Respondetur

L. Julii Flori

de Gestis Romanorum historiarum libri IV et locorum in eos ~~xxxx~~ Comentaria I. Stadii

Coloniae Agrippinae

Anno — 1635.

(Heidony)

0-17-0-213
8°-4166

ILLVSTRISSIMÆ HEROINAE CATHARINÆ CLAROMONTIÆ MARESCHALLÆ

Retziæ Hieronymus Ioannis F. Stadius S. D.

SApientissimè & planè diuinè Socrates, Catharina illustrissima, in Platonis Rep. puerorum mentes & adolescentium ab Homeri fabulis & Poëtarum mendaciis abarcet, easque in honesti perpetua cogitatione defixas collocatas esse vult: nam, quod ait Poeta;

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

aque cum iis duo proposuerit, quos ad spem reip. ducat, quorũ alterum in corporis exercitatione vertur, alterum in apta animi & ingenij cõpositione; sic tionem instituit, vt eorum animos ab omni non so-m turpitudine summoueat, sed in honesti etiam cie & pulchritudine habitare velit: cumque homi-em ad cognitionis amorem natura factum scientiæ ipiditate ita per se inflammari videret, nulla vt sit tas tam tenera quæ non audiendi, videndi, sciendi esiderio ducatur; puerorum animos fabularum qui-em suauitate deliniri; narrationum honestate con-rmari non alienum à salute communi esse censet: d quos reip. suæ gubernaculis admouet, & salutis que vtilitatis omnium φύλακας & veros custodes stituit, ita educari præcipit, vt quamcunque in par-em mentes, aures, oculos conuerterint, in virtutum mnium vestigiis pedem ponant: eosque, qui stitutionis forma à pueris vsi fuerint, su-ullis legum præceptis, quid sequen-ugiendum, satis iudicaturos

eratis & Platonis ea de re placitis facilè acquiescenti, neque historiarum iucunditatem hoc tempore laudare lubet, neque ad eius lectionem per te, Heroina præstantissima, quemquam adhortari: nam qui fabularum lectione delectantur, eos narrationum veritate non teneri mihi non sit verisimile: hoc tantum dicam; eam præcipuè litterarum partem mihi cognitione dignissimam videri, quæ ipsius cognitionis κατ' ἐξοχήν nomen retinuit. Est enim ἱστορεῖν (id quod tu omnino nosti) cognoscere & scire, est πολυίστωρ multiscius; vnde τῆς ἱστορίας notio deducta est: quocirca illud præclarè M. Tullij, vt cetera, qui historiam non mouerit, eum perpetuò infantem esse. Ad quam adolescentes incitate, vereor ne sit eius, qui de alieno studio & industria parum prudenter & considerate iudicet: præsertim quos si non allicit rerum varietas & lectionis oblectatio, ipse tamen fructus & vtilitatis magnitudo debeat inuitare: quod ni ita esset, nunquam omnium hominum, Dei Opt. Max. iudicio sapientissimus, Moyses legislationis suæ initium ab historiæ narratione duxisset: nunquam Philo Iudæus, at qui vir? quo nemo omnium disciplinarum sacrarum humanarumque scientia post Salomonis ætatem præstantior, nemo vllo tempore Græcè eloquentior in ea gente fuit: Philo, inquam, Iudæus tot tantisque scriptionum laboribus in historia exornanda Platonis vniuersam Philosophiam, Pythagoræ occulta mysteria, Iudæorum omnia arcana consumsisset: nunquam ex eadem gente Iosephus historiam attigisset. Mitto excellentissimos vbiq; terrarum in sua quemquam rep. ciues: quorum vt quisque optimus atque reip. amantissimus fuit: ita maximè sese ad historiam scribendam contulit: nec id tam sui nominis illustrandi spe, quàm vt ciuibus suis, hac etiam parte post mortem consuleret: quod si legum initia, quibus ad salutem generis humani nihil Dei munere vtilius datum est, ab communibus naturæ notionibus ducere placet,

placet, (vt certè in perennibus & firmissimis naturæ fontibus inhærent) in antiquitatis vestigiis primæ illius ætatis lib. Genes. indagandæ sunt. illic pœnæ homicidij prima lex, illic cultus diuini institutio, illic matrimonij coniugatio, illic scelerum flagitiorumque certissima vindicatio: vt verum esse pateat, quod iam Socratis ex ore protulimus, cuius ab adolescentia narrationum eiusmodi assiduitate aures personuerint, eum sibi legem esse posse, eum sine lege satis iam habere per se vitæ & suæ & suorum ciuium modum, quod eò non dico vt historiæ vtilitate prædicanda, te ad historiæ amorem excitem, (cuius diuinum ingenium videmus in omnium artium & litterarum cognitione magno cum labore, sed maiore cum fructu & gloria dies noctesque versari) sed quoniam & Ioannem Stadium patrem meum liberalitate tua, auctoritate, gratia fouisti quoad vixit; & post eius mortem nos quoq; eius liberos ad aliquam tuarum curarum partem pertinere voluisti: ne diuturna taciturnitas mea ingratitudinis culpam sustineret, te alloquendo liberos tuos magna & animi & ingenij indole pueros velut admonere volui, vt assidua Historiarum lectione a tatem peruerterent, atque iis diligenter euoluendis, & rerum vsum & τὴν ἐν δίκῃ præcipuè ambirent iam inde ab vnguiculis, vt dicitur, & τῆς πολιτικῆς (liceat etiam illud adiungere sine inuidia) καὶ τῆς στρατηγικῆς rudimenta magno cum fœnore nullo suo aut dispendio aut periculo ponerent: quanquam permultos esse scio, qui totum hoc genus studij in homine militari non probent: quibus si respondeam summos Imperatores Alexandrum Magnum, Cæsarem, Pompeium, Periclem, Iphicratem, Xenophontem, Gabriam, Carolum Magnum, Iosephum, innumerabiles alios, non tam natura aut militari studio (quàmquam illis quoque) quam à scholis & litterarum cognitione exstitisse, si non voce & suffragiis, at pedibus arbitror in meam sententiam

bunt. Quid? nuper Caroli Quinti Cæsaris & Francisci primi atque Henrici secundi Regum temporibus, quot quam excellentes duces fuerunt, quanta scientia, quo vsu, quanta consilij & prudentiæ magnitudine? at eorum quis nō vel doctissimus ipse, vel doctissimos viros in consilio habuit rei bellicæ? cetera stratagemata quę sunt innumerabilia prætermitto. hoc vnum recitabo. Gabriel Orgius Mongomerius cum Rothomagi ab Francisco duce Guysio artissimè obsideretur, & transuersa per Sequanam catena effugium ad mare sibi intercluſum videret, æstu obseruato, naui cum militibus conscensa, vbi ad catenam ventum, omnes in puppim concidere iussit; mox naui velis remisque supra catenam acta eosdem ad proram reduxit, atque ita euasit. Hoc vniuersæ Galliæ pro miraculo fuit: at quibus noti sunt Procopij libri De bello Gothico, id à Belisario vsurpatum sciunt secundo ipsius in Italiam reditu Romana Totilæ obsidione. L. Lucullus (ait Cicero) ad Mithridaticum bellum missus à Senatu, non modo opinionem vicit omnium quæ de virtute eius erat, sed etiam gloriam superiorum: quanam arte aut industria? cum (inquit) totum iter & nauigationē consumpsisset partim in percunctando à peritis, partim rebus gestis legendis, in Asiam factus Imperator venit, cum esset Roma profectus rei militaris rudis. Et tamen tantus Imperator fuit in omni genere belli, prælij, oppugnationibus, naualibus pugnis, totiusque belli instrumentis & apparatu, vt ille rex, post Alexandrum, maximus hunc à se maiorem ducem cognitum quam quemquam eorum quos legisset fateretur. sed quemadmodum in ceteris artibus & disciplinis permultum interest ad quos doctores primum quis applicet; sic in historia permagni refert ad quarum gentium & populorum res gestas initio deferare. In omnibus autem quod præstantissimum, id optabilissimum. cum ergo in antiquis populis historiæ Roma-

manorum & Athenienſium & rerum geſtarum magnitudine & conſiliorum, prudentia & varietate caſuum ceteris omnibus antiſtent, illis auctor ſim, qui ad certam ſpem reip. aluntur, earum monumenta diligenter ſtudeant.

Nocturna verſare manu, verſare diurna.

Sed Romanorum geſta & amplitudine & gloria longè Athenienſium facta poſt ſe reliquere: quæ fusè & copioſè multis magnisque ſcriptoribus Græcis Latiniſque tractata ſunt; quorum libri ſunt præ manibus. Verum in omni re vtiliſſimum eſt & ad percipiendi facilitatem & ad vſum memoriæ aptiſſimum, totius operis quaſi faciem velut in tabula poſitam ſub oculos habere. Quocirca non minimam laudem ſunt adepti, qui magno ingenio nec ſine iudicio hiſtoriarum collegere compendia in quibus res Romanas mirificè & felici breuitate Iulius Florus perſecutus eſt, ſeu quis alius huius libelli auctor fuit. In quem ante aliquot annos pater meus annotationes edidit omnium iudicio probatiſſimas, ſumma certè fide & diligentia conſcriptas: quas per otium & ex interuallo poſtea reperens, atque attentiùs relegens, nonnulla adiecit, quædam deleuit, mutauit non pauca, permulta emendauit. Hoc autem quicquid eſt laboris, Catharina illuſtriſſima, in tuo nomine apparere volui, cùm vt in ea re parentis defuncti voluntati obtemperarem, & meæ erga te gratitudinis atque obſeruantiæ memoriam hoc, cui cuimodi eſt, munuſculo teſtificarer, & tuorum in parentem, noſque eos liberos beneficiorum munificentiam poſteritatis æternitati conſecrarem; tum vt filiorum tuorum indolem puerorum ſummæ ſpei & ingenia ad eius lectionem auctoritatis tuæ grauitate impellerem.

Vale Lutetiæ Pariſiorum ſexto Kalend.
Octob. Anno Domini
M.D.LXXIX.

L. CARRIONIS IN FLORVM A IO. STADIO COMMENTARIO ILLVstratum Epigramma.

AVſpicijs noua ROMA nouis feliciter orta
Creſcit beatioribus.
ROMVLVS imperium ſolus de ſtirpe necati
Fratris ſuperſtes occupat
Hinc reliqui BIS TRES toto ſunt ordine REGES,
Quorum SVPERBVS vltimus,
Finibus eiectus, patriáq; extorris, habenas
Regni relinquit integri
CONSVLIBVS, quorum inſani DE PLEBE TRIBVNI
Partem laborum vindicant.
Mox tamen & SOCERI & GENERI reſpublica bellis
Dum diſſipatur mutuis,
Ipſa velut grauida imperio atque effeta parentum
Totam dedit ſe CÆSARI.
Ille venit, videt, ac vincit, latumq; per orbem
Cæſar triumphans cernitur.
Excipit AVGVSTVS Romana pondera molis,
Recepto in aſtra Iulio.
Quem populus veneratur, amat ſanctuſq; Senatus
Patrem ſalutat patriæ.
Horum progeniem, res geſtas, fortia bella,
Compendiosè tradidit
Quiſquis is eſt qui, Troiano ſub Principe, Florus
Florebat, auctor elegans.
Cuius ſcripta, ſuo rurſum donata nitori,
(Nam maculæ erant hic plurimæ)
Correxit, luce ingenij illuſtrauit, & auxit,
Atque aucta profert STATDIVS;
STATDIVS ille profeſſorum flos. en age tantum
Ne Muſa deſeras virum.

DE

DE STVDIO EIVSDEM ILLVSTRISSIMÆ HEROINÆ CATHARINÆ CLAROMONTIÆ Astronomico.

QVID mihi lasciuos vsque inculcatis amores,
Et gemitis formæ dona perire meæ?
Desinite haud simili certè afflictamur amore:
Dissimilis tentat pectora nostra calor.
Vos humiles miseris agitant ardoribus ignes,
Et rigida attolli non patiuntur humo:
At me cœlestes rapiunt super æthera curæ,
Affixamq; polo sideribusq; tenent.
Sic liquidum subiens mortali corpore cœlum,
Parte mei viuens liberiore fruor.
Iam valeant terrena Meus me sistit Olympo,
Vicinumq; Deo collocat artis amor.

Philippus Auenellius Heroinæ bene merenti Anno Domini M. D. LXXVII. Cenonceij in Turonibus.

0-17-0-213
8°-4166

M. M. IOANNIS STADII MATHEMATICI EXCELLENTISSIMI.

DVM numeris cœlum metitur & ignea cœli
Sidera perq; suas iam docet ire vias:
Et quid ab antiquo deflexerit ordine, cursum,
Quà cieat varians quisque planeta notat:
Ecce tibi subitò lucis malè cautus aborta
Puluere in hoc Stadias percitus igne iacet.
Imò animus cælos nota regione secutus,
Iam sua metitur sidera Lector, Aue.

PHILIPPVS A VENELLIVS MOERENS AMICO SVAVISSIMO.

OBIIT XV. KAL. QVINT. DE MEDIA NOCTE LVTETIÆ PARISIORVM, ANN. DOMINI M. D. LXXIX. IN SVBVRBIO HONORATIANO, DOMI MARESCHALLI RETZII, SVMMO OMNIVM BONORVM DOCTORVMQVE DOLORE, NATVS ANNOS LII. MENSES DVOS, DVOBVS DIEBVS MINVS.

L. FLO-

L. FLORI HISTORIARVM

LIBER I.

PROLOGVS.

POpulus 1 Romanus à rege Romulo in Cæsarem augustum 2 septingentos per annos tantum operum pace belloq; gessit, vt si quis magnitudinem Imperij cum annis conferat, 3 ætatem vltra putet. Ita latè per orbem terrarum arma circumtulit, vt qui res eius legunt, non vnius populi, sed generis humani facta discant. Nam tot laboribus periculisq; iactatus est, vt ad constituendum eius imperium, contendisse virtus & 4 fortuna viderentur. Quare quum præcipuè hoc quoque, * sicut cetera, operæpretium sit cognoscere, tamen quia ipsa sibi obstat magnitudo, rerumq; diuersitas aciem intentionis abrumpit, faciam, quod solent, qui terrarum situs pingunt, in breui quasi tabella totam eius imaginem amplectar; nonnihil, vt spero, in admirationem principis populi collaturus, si pariter atque in semet vniuersam magnitudinem eius ostendero. Si quis ergo popul. Rom. quasi hominem consideret, totamque eius ætatem percenseat, vt cœperit, vtque adoleuerit, vt quasi ad quendam iuuentæ florem peruenerit, vt postea velut consenuerit, quatuor gradus progressusq; eius inueniet.

* abundat (sicut cætera.)

Prima ætas sub regibus fuit, 5 propè CCL. *per annos, quibus circum ipsam matrem suam cum finitimis luctatus est. Hæc erit eius infantia Sequens 6 à Bruto Colla-*

*Marcũ, *patet. Collatinoq; consulibus, in Appiũ Claudium,* 7 Quinctumque Fuluium consules, CCL. annos * habet, quibus Italiam subegit. Hoc fuit tempus 8 viris armisq; * exercitatissimum: ideo quis adolescentiam dixerit.

*incitatissimũ. * CC. Dehinc ad Cæsarem Augustum * 9 CCL. anni, quibus totum orbem pacauit, Hic iam ipsa iuuentà imperij, & quasi quædam robusta maturitas A Cæsare Augusto in sæculum nostrum sunt non multo minus 10 anni CC. quibus inertia Cæsarum quasi consenuit atque 11 decoxit, nisi quod sub Traiano principe * mouet lacertos, & prater spem omnium, senectus imperij quasi reddita iuuentute reuiresc it.

* mouit.

De Romulo primo Romanorum rege.

CAPVT I.

1 Primus ille & vrbis imperij conditor 2 Romulus fuit, à Marte genitus & Rheâ Siluia. Hoc de se * Vesta sacerdos grauida confessa est, nec mox fama dubitauit, cùm, Amulij imperio abiectus non profluentem cum Remo fratre, non potuit extingui. Siquidem & Tiberinus amnem repressit, & relictis catulis lupa, vagitum secuta, vbera admouit infantibus, matremque se gessit. Sic repertos apud 3 arborem Faustulus regis pastor tulit in casam, atque educauit 4 Alba tunc erat Latio caput, Iulij opus: nam Lauinium patris Æneæ contempserat. Ab his Amulius 5 iam bis septima sobole regnabat, fratre pulso Numitore, cuius ex filia Romulus. Igitur prima iuuenta face patruum Amulium ab arce deturbat, auum reponit: ipse fluminis amator & montium, apud quos erat educatus, mœnia noua vrbis agitabat 6 Gemini erant vter auspicaretur & regeret, 7 adhibere placuit Deos. Remus montem 8 Auentinum, hic 9 Palatinum occupauit. Prior ille VI. 10 vultures, hic postea, sed XII. vidit. Sic victor augurio, 11 vrbem excitat plenus spei bellatricem fore: ita

* Abundat (Vestæ.)

ita illi assueta sanguini & præda aues 12 pollicebatur. Ad tutelam nouæ vrbis sufficere vallum videbatur: cuius dum irridet angustias Remus, idque increpati saltu 13 dubium, an iussu fratris, occisus est. Prima certè victima fuit, munitionemque vrbis nouæ sanguine suo consecrauit. Imaginem vrbis magis quàm vrbem fecerat. Incolæ deerant. Erat in proximo lucus; hunc 14 Asylum facit, & statim mira vis hominum, Latini * Tusciſque pastores, quidam & transmarini Phryges, qui sub 15 Æneæ: Arcades, qui sub Euandro duce, influxerant. Ita ex varijs quasi elementis congregauit corpus vnum, populumque Romanum ipse fecit. Res erat vnius ætatis, Populus virorum. Itaque matrimonia à finitimis petita, quia non impetrabantur, manu capta sunt. 16 Simulatis quippe ludis, equestribus virgines, quæ ad spectaculum venerant, præda fuere: & hæc statim causa bellorum. Pulsi fugatiq; Venientes, Caninensium captum ac diruptum est oppidum. Spolia insuper 17 opima de rege, Feretrio Ioui manibus suis rex reportauit Sabinis prodita porta per 18 virginem, nec dolo, sed puella pretium rei, quam gerebant in sinistris, petierat: dubium clypeos an armillas. Illi, vt & fidem soluerent, & vlciscerentur, clypeis obruere. Ita admissis ad mœnia hostibus, atrox in ipso aditu pugna, adeò vt Romulus Iouem oraret, vt fœdam suorum fugam sisteret. Hic templum est & Stator 19 Iupiter. Tandem sauientibus interuenere raptæ laceris comis. Sic pax facta cum Tatio, 20 fœduſque percussum, secutaque res mira dictu, vt relictis sedibus suis nouam in vrbem hostes 21 demigrarent, & cum generis suis auitas opes pro dote sociarent. Auctis breui viribus, hunc rex sapientissimus statum Reipublicæ imposuit, vt iuuentus, * diuisa per 22 tribus, in equis & in armis ad subita * bella excubaret: consilium reipublicæ penes senes 23 esset, qui ex auctoritate patres, ab ætate senatus vocabantur. His ita ordinatis, repentè cùm concionem haberet ante vrbem apud 24

* Tuscorumque.

* dispersa.

* belli.

Capra

LXXVIII. *Capra paludem, è conspectu ablatus est. Discerptum aliqui à senatu putant ob asperitas ingenium: sed ob-*
orta tempestas, 26 soliq; defectio, consecrationis spe-
ciem præbuere: cui mox Iulius Proculus fidem fecit, vi-
sum à se Romulum affirmans augustiore forma quam
fuisset: mandare præterea vt se pro numine acciperent:
Quirinum in cœlo vocari placitum diis: ita gentium
* redundat (imperio.) ** imperio Roma potiretur.*

De Numa Pompilio.

Caput II.

Successit Romulo Numa Pompilius, quem Curibus
Sabinis agentem vltro petiuere, ob inclytam viri reli-
gionem. Ille sacra, & ceremonias, omnemq; cultum
duorum immortalium docuit. Ille 1 Pontifices, 2 Au-
gures, 3 Salios, ceteroscq; per 4 Sacerdotia: annum quo-
que in XII. 5 menses, fastos dies nefastosque descripsit.
Ille Ancilia atque Palladium, secreta quædam imperij
6 pignora, 7 Ianumq; geminum fidem pacis ac belli: in
primis focum Vestæ virginibus colendum dedit, vt ad
similitudinem cælestium siderum, custos imperij 8
flamma vigilaret. Hæc omnia quasi monitu deæ E-
geriæ, quo magis barbari acciperent. Eo denique fe-
rocem populum redegit, vt quod vi & iniura occu-
pauerat imperium, religione atque iustitia guber-
naret.

De Tullo Hostilio.

Caput III.

LXXXII. *Excipit Pompilium Numam Tullus Hostilius,*
cui in honorem virtutis regnum vltro datum. Hic om-
nem militarem disciplinam artemque bellandi con-
didit. Itaque mirum in modum excita iuuentute,
prouocare ausus Albanos, grauem & diu 1 principem
populum. Sed quum pari robore frequentibus prælijs
vtrique comminuerentur, missio in compendium bello,

2 Ho-

2 Horatijs Curatijsque tergeminis hinc atque inde fratribus, vtriusque populi fata commissa sunt. Anceps & pulchra contentio, exitusque ipso mirabilis. Tribus quippe illinc vulneratis, hinc duobus occisis qui supererat Horatius, addito ad virtutem dolo, vt distraheret hostem, simulat fugam singulosque prout sequi poterant adortus exsuperat. Sic (rarum aliàs decus) vnius manu parta victoria est: quam ille mox parricidio fœdauit. Flentem spolia circa sponsi quidem, sed hostis, sororem viderat: hunc tam immaturum virginis amorem vltus est ferro. 3 Citauere leges nefas, sed abstulit virtus parricidam, & facinus intra gloriam fuit. Nec diu in fide mansit Albanus. 4 Nam Fidenati bello missi in auxilium ex fœdere, medij inter duos expectauere fortunam. Sed rex callidus vbi inclinare se socios ad hostem videt, 5 tollit animos quasi ipse mandasset: spes inde nostris, metus hostibus. Sic fraus proditorum irrita fuit. Itaque hoste victo, rutorem fœderis Metium Fusetium, religatum inter ios curruũ, pernicibus equis distrahit: Albamque iam quamuis parentem, amulam tamen, diruit, cũ rius omnes opes vrbis, ipsumque populum Romam ranstulisset, prorsus vt consanguinea ciuitas non perijsse, sed in suum corpus redijsse rursus videretur.

De anco Marcio.

CAPVT IV.

Ancus deinde Marcius, nepos ex filia Pompilij, 1 pa- CXIII.
ri ingenio. Hic igitur 2 & mœnia muro amplexus est, & interfluentem vrbi Tiberim 3 ponte commisit: 4 Ostiamq; in ipso mari fluminisque confinio coloniam posuit. tam tum videlicet præsagiens animo futurum, vt totius mundi opes & commeatus illo veluti maritimo Vrbis hospitio reciperentur.

De

De Tarquinio Prisco.

Cap. V.

XXXIIX. *Tarquinius postea Priscus, quamuis transmarinæ origínis, regnum vltro petens, accepit, ob industriam atque elegantiam: quippe qui oriundus Corintho Græcum ingenium Italicis artibus miscuisset. Hic & senatus maiestatem 2 numero amplíauit, & centurijs tribus 3 auxit: quamuis Attius Neuius numerum augeri prohiberet, summus augurio: quem rex in experimentum rogauit, fierine posset quod ipse mente conceperat. Ille, rem expertus augurio, posse respondit. Atque hoc, inquit, agitabam, an cotem illam secare nouacula possem: Augur, Potes ergo. inquit, & secuit. Inde Romanis sacer auguratus. Neque pace Tarquinius quàm bello tromtior. XII. namque Tuscia populos frequentes armis subegit: & inde 4 fasces, Trabea. Curules 5 Annuli, Phaleræ, Paludamenta, Prætexta: inde quod aurato cursu quatuor equis triumphatur. Togæ pictæ tunicæq; palmatæ: omnia denique decora & insignia quibus imperij dignitas eminet.*

De Seruio Tullio.

Cap. VI.

CLXXII. *Seruius Tullius deinceps gubernacula vrbis inuadit: nec obscuritas inhibuit, quamuis matre serua creatum. Nam ob eximiam indolem vxor Tarquinij Tanaquil liberaliter educauerat: & clarum fore, 1 visa circa caput flamma promiserat. Ergo inter Tarquinij mortem, adnitente regina, substitutus in locum regis quasi ad tempus, regnum dolo partum sic egit industria, vt iure adeptus videretur. Ab hoc populus Romanus, relatus incensum, digestus in classes, curijs atque collegijs distributus. 2 Summaque regis solertia ita est ordinata Respublica, vt omnia patrimonij, dignitatis,*

ætatis, ætatis, artium, officiorumque discrimina in tabulas referrentur, ac si maxima ciuitas minima domus diligentia contineretur.

De Tarquinio Superbo.

CAPVT VII.

Postremus omnium fuit regum Tarquinius, cui cognomen Superbo ex moribus datum. Hic regnum 1 auuitum, quod à Seruio tenebatur, rapere maluit quam expectare: immissisque in eum percussoribus scelere partam potestatem non melius egit, quam acquisierat. Nec abhorrebat moribus vxor Tullia, qua vt virum regem salutaret, supra cruentum patrem vecta carpento consternatos equos egit. Sed ipse in senatum cadibus, in omnes superbia (qua crudelitate grauior est bonis) grassatus; cum sæuitiam iam domi fatigasset, tandem in hostes conuersus est. Sic valida oppida in Latio capta sunt, 2 Ardea, 3 Ocriculum, 4 Gabij, 5 Suessa Pometia. Tum quoque cruentus in suos. Neque enim filium verberare dubitauit, vt simulanti transfuga apud hostes, hinc fides esset: cui Gabijs vt voluerat recepto, atque per nuntios consulenti quid fieri vellet, eminentia forte papauerum capita virgula decussit, quum per hoc interficiendos esse principes intelligi vellet: qua superbia sic respondit. Tamen de manubijs captarum vrbium templum erexit: quod quum inauguraretur cedentibus cæteris deis (mirares dictu) restitere Iuuentas & Terminus. Placuit vatibus contumacia numinum siquidem firma omnia & aterna pollicebantur. Sed illud horrendum, quod molientibus ædem, in fundamentis humanum repertum est 6 caput: nec dubitauere cuncti monstrum pulcherrimum, imperij sedem caputque terrarum promittere. Tamdiu superbiam regis populus Romanus perpessus est, 7 donec aberat libido: hanc ex liberis eius importunitatem tolerare non potuit: quorum cum alter ornatissima fe-

CCXIIX.

CCXL.

mina Lucretiæ stuprum intulisset, matrona dedecus ferro expiauit imperium tum Regibus abrogatum.

Anacephalæosis de septem regibus.

CAPVT VIII.

Hæc est prima ætas Pop. Romani, & quasi infantia, quam habuit sub regibus septem, quadam fatorum industria tam varijs ingenio, vt Reip. ratio & vtilitas postulabat. Nam quid Romulo ardentius? tali opus fuit, vt inuaderet regnum. Quid Numa religiosius? talem res poposcit, vt ferox populus deorum metu mitigaretur. Quid ille militiæ artifex Tullus, bellatoribus viris quam necessarius? vt acueret ratione virtutem. Qui ædificator Ancus? vt vrbem colonia extenderet, ponte iungeret, muro tueretur. Iam verò Tarquinij ornamenta & insignia quantam principi populo addiderunt ex ipso habitu dignitatem? Actus à Seruio census quid effecit, nisi vt ipsa se nosceret respublica? Postremò Superbi illius importuna dominatio nonnihil immo vel plurimum profuit. Sic enim effectum est, vt agitatus iniurijs populus, cupiditate libertatis incenderetur.

De Mutatione Reip.

CAPVT IX.

CXLIV. 1 *Igitur Bruto 2 Collatinoq; ducibus & auctoribus, quibus vltionem sui moriens matrona mandauerat, populus Romanus ad vindicandum libertatis ac pudicitiæ decus quodam quasi instinctu deorum concitus, regem repentè destituit bona diripit, 3 agrum Marti suo consecrat, imperium in eosdem libertatis suæ vindices transfert, mutato tamen & iudice & nomine. Quippe ex perpetuo annuum placuit, ex singulari duplex, ne 4 potestas solitudine vel mora corrumperetur. Consules q; appellauit pro regibus, vt consulere se ciuibus suis debere meminissent. Tantumq; libertatis noua gaudium incesserat, vt vix mutati status fidem caperent, alterumq; ex consulibus, tantùm ob nomen & genus re-*

rus regium, 5 fascibus abrogatis vrbe dimitterent. Ita q; substitutus Valerius 6 Poplicola, summo studio annixus est ad augendam liberi populi maiestatem. Nam & 7 fasces ei pro *libera concione submisit, & 8 ius prouocationis aduersus ipsos dedit. Et ne specie 9 arcis offenderet, eminentes ades suas in plana submisit. Brutus vero fauori ciuium etiam domus suæ clade & patricidio 10 velificatus est. Quippe cùm studere reuocandis in vrbem regibus liberos suos comperisset, protraxit in forum & concione media virgis cecidit, & securi percussit: vt planè publicus parens in locum liberorum adoptasse sibi populum Rom. videretur. Liber iam hinc Pop. Rom. prima aduersus exteros arma pro libertate corripuit, mox pro finibus, deinde pro sociis, tum gloria, & imperio, lacessentibus assiduè vsquequaque finitimis, quippe cùm patrij soli gleba nulla esset, sed statim hostile 11 pomœrium, mediusq; inter 12 Latium & Tuscos quasi in quodam biuio collocatus, omnibus portis in hostem incurreret, donec quasi contagione quadam per singulos itum est, & proximis quibusque correptis, totam Italiam sub se redigeret.

*Redundat.

1. Bellum Etruscum & cum rege Porsena.

CAP. X.

Pulsis ex vrbe regibus, prima pro libertate arma corripuit. Nam Porsena rex Etruscorum ingentibus copijs aderat, & Tarquinios manu reducebat. Hunc tamen, CXLVI. quamuis & armis & fame vrgeret occupatoq; laniculo ipsis vrbibus faucibus incubaret, sustinuit, repulit: nouissimè etiam tanta admiratione perculit, vt superior vltro cùm penè victis amicitia fœdera feriret. Tunc illa Romana pericula atq; miracula, Horatius, Mutius, Cloelia: quæ nisi in annalibus forèt, hodie fabulæ viderentur. Quippe Horatius Cocles postquã hostes vndiq; instantes solus submouere non poterat, 2 ponte reciso trãsnatat Tiberim, nec arma dimittit. Mucius Scæuola

regem per insidias in castris eius aggreditur : sed vbi
* frustra-to. * frustratum circa purpuratum eius * ictum tuetur;
* ictu te-netur. ardentibus focis iniycit manum ; terroremque geminat dolo Vt scias, inquit, quem virum effugeris idem trecenti iurauimus, cum interim (immane dictu) hic interritus, ille trepidaret; tanquam manus regis arderet. Sic quidem viri Sed ne qui sexus à laude tessaret, eccè & virginum virtus. Vna ex obsidibus regi data, elapsa custodiam, 3 Cloelia per patrium flumen aquitabat Et rex quidem tot tantisque virtutum territus monitis, valere, liberosq; esse iussit Tarquinij tamdiu dimicauerunt, donec 4 Aruntem filium regis manu sua
CXLV. Brutus occidit, superq; ipso mutuo vulnere exspirauit planè quasi adulterium ad inferos vsque sequeretur.

Bellum Latinum.

Caput XI.

Latini quoque Tarquinios asserebant amulatione & inuidia, vt populus qui foris dominabatur, saltem domi seruiret. Igitur omne Latium, Mamilio Tusculano duce, quasi in regis vltionem tollit animos. Apud Regilli lacum dimicatur, diu Marte vario, donec Postumius ipse 1 dictator signum in hostes iaculatus est (nouum & insigne commentum) vti peteretur cursu. 2 Cossus equitum magister exuere frenos imperauit, & hoc nouum quo acrius incurrerent. Ea demum atrocitas fuit prælij, vt interfuisse spectaculo deos fama tradiderit, duos in candidis equis castorem atque Pollucem nemo dubitarit. Itaque & Imperator veneratus est, pactusq; victoriam, templa promisit, & reddidit planè quasi commilitonibus deis stipendium. Hactenus pro libertate. Mox de finibus cum eisdem Latinis assiduè & sine intermissione pugnatum est 3 Sora (quis credat?) &
CXXXII. 4 Algidum terrori fuerunt, 5 Satricum atque 6 Cornículum prouincia De 7 Veijs & Bouillis pudet, sed triumphauimus. 8 Tibur nunc suburbanum, & æstiua 9 Prænestæ delitiæ, nuncupatis in Capitolio votis

votis petebantur. Idem tunc 10 Fæsula, quod 11 Taphra nuper, idem nemus 12 Aricinum, quod 13 Hernicius saltus. 14 Fregellæ, quod 15 Gessoriacum; Tiberis, quod 16 Euphrates, 17 Coriolos quoq; (prô pudor) victos adeò gloriæ fuisse, vt captum oppidum C. Marcius Coriolanus quasi Numantiam aut Africam nomini indueret. Exstant & parta de 18 Antie spolia, qua C. CDXI.
Manius in suggestu fori, capta hostium classe suffixit, si tamen illa classis, nam sex fuêre rostratæ. Sed hic numerus illis initiis nauale bellum fuit. 19 Peruicacissimi tamen Latinorum Æqui & 20 Volsci fuere, & quotidiani, vt sic dixerim, hostes. Sed hos præcipuè L. Quinctius domuit, ille dictator ab aratro, qui obsessa ac pene iam capta L. Minutij consulis castra egregia virtute seruauit. Medium erat fortè tempus sementis, quum patricium virum innixum aratro suo lictor in ipso opere deprehendit. Inde in aciem profectus, ne quid à rustici operis imitatione cessaret, victos more pecudum sub 21 iugum misit. Sic expeditione finita, rediit ad boues rursus triumphalis agricola. Fides numinum qua velocitate, intra XVI. dies cœptum peractumq; prorsus est bellum: vt festinasse dictator ad relictum opus videretur. CCXCV.

Bellum cum Etruscis, Falisci, & Fidenatibus.

CAPVT XII.

Assidui verò & anniuersarij hostes ab Etruria fuere Veientes, adeò vt extraordinariam manum aduersus eos promiserit, priuatumq; gesserit bellum gens vna Fabiorum, satis superq; idonea clade. 1 Casi apud Cromeram trecenti & sex, patricius exercitus: & scelerato signatur nomine qua proficiscentes in prælium porta dimisit. Sed ea clades ingentibus expiata victorijs, post- CCIXXVI.
quam per alios atq; alios duces robustissima capta sunt oppida, vario quidem euentu. Falisci sponte dediderunt. Cremat. suo igne Fidenates. Rapti funditus dole- CCIXXIV.

tiq; Veientes Faliscis, quum obsiderentur, mira visa est fides Imperatoris, nec immeritò, quod ludimagistrum vrbis proditorem, cum his quos adduxerat pueris, vinctum sibi vltro remisisset. Eam namq; Furius Camillus, vir sanctus & sapiens, sciebat veram esse victoriam, qua salua fide & integra dignitate pararetur. Fidena quia pares non erant ferro, ad terrorem mouendum facibus armata, & discoloribus serpentum in modum vittis *ferali more processerant: sed habitus ille feralis, euersionis omen fuit Veientium quanta res fuerit, indicat decennis obsidio. Tunc primum hiematum sub pellibus, & taxata stipendio hyberna adactus miles sua sponte iureiurando nisi capta vrbe non remeare, 3 Spolia de Larte Tolumnio rege ad Feretrium reporta. ta. Deniq; non scalis, nec irruptione, sed cuniculo & subterraneis dolis peractum vrbis excidium. Ea deniq; visa est praeda magnitudo, vt eius decima Apollini Pythio mitterentur, vniuersusq; populus Rom. ad direptionem vrbis vocaretur. Hoc tunc Veientes fuere, nunc fuisse quis meminit? qua reliquia? quodue vestigium? Laborat annalium fides, vt Veios fuisse credamus.

cccliv. *Euriali. cccxxxii. cccxlvij. cccxxv. ccclvii.

Bellum Gallicum.

CAPVT XIII.

Hinc siue inuidia deûm, siue fato, rapidissimus procurrentis imperij cursus, parumper Gallorum Senonum incursione supprimitur: quod tempus populo Romano nescio vtrùm clade funestius fuerit, an virtutis experimentis speciosius. Ea certè fuit vis calamitatis, vt in experimentum illatam putem diuinitus, scire volentibus immortalibus dijs, an Romana virtus imperium orbis mereretur. Galli Senones, gens natura ferox, moribus incondita, ad hoc ipsa corporum mole perinde ac armis ingentibus, adeò omni genere terribile fuit, vt planè nata ad hominum interitum, vrbium stragem videretur. Hi quondam ab vltimis terrarum oris, cum cinge-

gingerentur omnia Oceano, ingenti agmine profecti: cum iam media vastassent, positis inter Alpes & Padum sedibus, ne his quidem continenti per Italiam vagabantur. Tum Clusium oppidum obsidebant. Pro so- ccclxij.
cijs ac fœderatis populus Romanus interuenit. Missi ex more 1 legati. Sed quod ius apud barbaros? Ferocius agunt. Mouent exinde certamen. Conuersis igitur à Clusio, Romamq; venientibus, ad 2 Aliam flumen cum exercitu Fabius consul occurrit. Non 3 Cremera fœdior clades. Itaq; hunc diē fastis Roma mandauit. Fuso exercitu, iam mœnibus vrbis appropinquabant. Erant nulla præsidia. Tum igitur, aut nunquam aliàs, apparuit vera illa Romana virtus. Quam primùm maiores natu, amplissimis vsi honoribus, in forum coeunt: ibi deuouente pontifice, dijs se Manibus consecrant: statimq; in suas quisq; ades regressi, sicut in trabeis erant, & amplissimo cultu, in curulibus sellis sese posuerunt, vt cùm venisset hostis, in sua dignitate morerentur Pontifices & Flamines, quidquid religiosissimi in templis erat, partim in dolijs defossa terra recondunt, partim imposita palustris secum auferunt Virgines simul ex sacerdotio Vestæ, nudo pede fugientia sacra comitantur, tum excepisse fugientes vnus è plebe fertur L. Albinius, qui depositis vxore & filijs, Virgines in plaustrum recepit. Adeò tum quoque in vltimis, religio publica priuatis affectibus antecellebat. Iuuentus verò, quam satis constat vix mille hominum fuisse, duce Manlio arcem Capitolini montis insedit, obtestata ipsam quasi præsentem Iouem, vt quemadmodum ipsi ad defendendum templum eius concurrissent, ita ille virtutem eorū numine suo tueretur. Aderant interim Galli, apertamq; vrbem primò trepidi, ne qui subesset dolus: mox vbi solitudinem vident, pari clamore & impetu inuadunt. Patentes passim domos adeunt: vbi sedētes in curulibus sellis prætexatos senes velut Deos, Geniosq; venerati mox eosdem, postquam esse homines liquebat, alioqui nihil respondere & dignantes pari vecordia mactant, faces-

faceſq; tectis iniȝciunt, & totam vrbem igne ferro, manibus ſolo exæquant. 5. Septem menſibus barbari (quis crederet?) circa montem vnum pependerunt, nec diebus modò, ſed noctibus omnia experti, quos tandem Manlius nocte ſubeuntes, clangore anſeris excitatus, à ſumma rupe deiecit: & vt ſpem hoſtibus demeret, quamquam in ſumma fame, tamen ad ſpem fiduciæ panes ab arce iaculatus eſt. Et ſtato quodam die per medias hoſtium cuſtodias Fabium Pontificem ab arce demiſit, qui ſolenne ſacrum in Quirinali monte conficeret. Atq; ille per media hoſtium tela incolumis religionis auxilio rediit, propitioſq; deos renuntiauit. Nouiſſimè cum iam obſidio ſua barbaros fatigaſſet, mille pondo auri receſſum ſuum vendicantes, idq; ipſum per inſolentiam, cum ad iniqua pondera addito adhuc gladio, 6 ſuperbè, va victis, increparent, ſubitò aggreſſus à tergo, 7 Camillus adeò cecidit, vt omnia incendiorum veſtigia, Gallici ſanguinis inundatione, deleret. Agere gratias dijs immortalibus ipſo tantæ cladis nomine libet. Paſterum caſus ignis ille & flamma, paupertatem Romuli abſcondit. Incendium illud quid egit aliud, niſi vt deſtinata hominum ac deorum domicilio ciuitas, non deleta non obruta, ſed expiata potiùs & illuſtrata videatur? Igitur poſt aſſertam à Manlio, reſtitutam à Camillo vrbem, acriùs etiam vehementiusq; infinitimos reſurrexit. Ac primum omnium illam ipſam Gallicam gentem non contentus mœnibus expulisſe, cùm per Italiam naufragia ſua latiùs traheret, ſic perſecu-
cccLxxxvj tus eſt duce 8 Camillo, vt hodie nulla Senonum veſtigia ſuperſint. Semel apud Anienem trucidati, cum ſin-
cccxcij. gulari certamine 9 Manlius aureum torquem Barbaro inter ſpolia detraxit. Inde Torquati. Iterum in Pontio agro, cùm ſimili pugna M. 10. Valerius inſequente Gallo, ſacra alite adiutus retulit ſpolia; & inde * Coruini.
* Corui. Nec non tamen poſt aliquot annos, omnes reliquias eo-
CDIV. rum in Etruria ad lacum 11 Vadimonis Dolabellam
cccclxx. 12 deleuit, ne quis exſtaret in ea gente, qui incenſam à ſe Romam vrbem gloriaretur.

Bel-

Bellum Latinum.

Caput XIV.

Conuersus à Gallis in Latinos, Manlio Torquato, Decio Mure consulibus, semper quidem æmulatione imperij & magistratuum infestos, tum verò contemptu vrbis incensa, cùm 1 ius ciuitatis, partem imperij ac magistratuum poscerent pari imperio, atq; iam amplius quàm congredi auderent, quo tempore quis cessisse hostem mirabitur? cùm 2 alter consulum filium suum, quia contra imperium pugnauerat, quamuis victorem, occiderit, quasi plus in imperio esset, quàm in victoria: Alter quasi monitu deorum capite velato primam ante aciem dijs manibus se deuouerit, vt in confertissima se hostium tela iaculatus, nouum ad victoriam iter, sanguinis sui semita aperiret. CDXII.

Bellum Sabinum.

Caput XV.

A Latinis aggressus est gentem Sabinorum, qui immemores facta sub Tito Tatio affinitatis, quodam contagio belli se Latinis adiunxerant. Sed Curio, Dentato consule, omnem eum tractum, quà 2 Nar. ambit, fontesq; Velini, Adriatico tenus mari, igne ferroq; vastauit: qua victoria tantum hominum, tantum agrorum redactum in potestatem, vt in vtro plus esset, nec ipse posset æstimare qui vicerat. CDLXII.

Bellum Samniticum.

Caput XVI.

Precibus deinde 1 Campaniæ motus, non pro se, sed, quod est speciosius, pro socijs Samnitas inuadit. Erat fœdus cum vtrisque percussum; sed hoc Campani sanctius & priùs, omnium suorum deditione, fecerant. Sic ergo Romanus bellum Samniticum tanquam sibi gessit. Omnium non modò Italiæ, sed toto orbe terrarum pulcherrima 2 Campaniæ plaga est. Nil mollius CDX.

calo: deniq; bis floribus vernat. Nihil vberius solo: ideo Liberi Cereriſque certamen dicitur. Nihil hoſpitalius mari. Hic illi nobiles portus, 3 Caieta, 4 Miſenus, & tepentes fontib. 5 Baia, 6 Lucrinus & 7 Auernus, quadam maris * otia. Hic amicti vitibus montes, 8 Gaurus, 9 Falernus, 10 Maſſicus, & pulcherrimus omniũ 11 Veſuuius, Ætnæi ignis imitator Vrbes ad mare, Formiæ, Cumæ, 12 Puteoli Neapolis, 13 Herculaneum, 14 Pompeij, & ipſa caput vrbium 15 Capua, quondam inter tres maximas, Romam, Carthaginemque numerata. Pro hac vrbe, ijs regionibus populus Romanus Samnitas inuaſit, gentem, ſi opulentiam quæras, aureis, & argenteis armis, 16 diſcolori veſte vſque ad ambitũ armatam Sæ* inſidiarum fallaciam, 17 ſaltibus ferè & montium fraude graſſantem. Si rabiem ac furorẽ, * ſacratis 18 legibus, humaniſque hoſtijs in exitium vrbis agitatam. Si pertinaciam, ſexies rupto fœdere, cladibuſque ipſis animoſiorem. Hos tamen 19 quinquaginta annis per Fabios & Papirios patres, eorumque liberos, ita ſubegit ac domuit, ita ruinas ipſas vrbiũ diruit, vt hodie 19 Samnium in ipſo Samnio requiratur, nec facile appareat materia 20 quatuor & viginti triumphorum. Maximè tamen nota & illuſtris ex hac gente clades apud 21 Caudinas furcas Veturio Poſtumioq; conſulibus accepta eſt. Clauſo enim per inſidias intra eum ſaltum exercitu, vnde non poſſet euadere ſtupens occaſione tanta dux hoſtium Pontius, Herennium patrem conſuluit: & ille, mitteret omnes, vel occideret, ſapienter vt ſenior ſuaſerat. Hic armis exutos mittere ſub iugum maluit, vt nec amici forent beneficio, & poſt flagitium hoſtes magis. Itaque & conſules magnificè voluntaria deditione turpitudinem 22 fœderis dirimunt, & vltionem flagitans miles 23 Papirio duce (horribile dictu) ſubiectis enſibus per ipſam viam ante pugnam furit, & in congreſſu arſiſſe omnium oculos, hoſtis auctor fuit: 24 nec prius finis cædibus datus, quàm iugum & hoſtibus & duci capto repoſuerunt.

* oſtia.

* Inſidiarũ abundat.

cdxxxii.

cdxxiv.

Bellum

Bellum Etruscum, Samniticum, & bellum Gallicum.

CAPVT XVII.

*Hactenus Populus Romanus bellum cum singulis gẽtium: mox aceruatim, tamen sic quoque par omnibus. Etruscorum XII. populi in id tẽpus incitati, antiquissimus Italiæ populus Samnitium, reliqui in excidium Romani nominis repentè coniurant. Erat terror ingens tot simul tantorumque populorum. * A latere 1 Etruria infesta, 2 quatuor agminum signa volitabant. 3 Ciminius interim saltus in medio, antè inuius planè quasi 4 Caledonius, vel ‹ Hercinius, adeò tunc terrori erat, vt* cdxlii. *senatus consuli denunciaret, ne tantum periculi ingredi 5 auderet. Sed nihil horum terruit ducem quin 6 fratre præmisso exploraret accessus. Ille per noctem pastorio habitu speculatus omnia refert. Tum sic Fabius Maximus periculosissimum bellum, periculo explicauit. Nam subitò inconditos atque palantes aggressus est, captisque superioribus iugis, in subiectos suo more detonuit. Ea namque species fuit illius belli quasi in 7 Terrigenas è cœlo ac nubibus tela mitterentur nec incruenta tamen illa victoria: 8 nam oppressus in sinu vallis alter consulum Decius, 9 more patrio deuotum dijs Manibus obtulit caput, solemnemq; familiæ suæ consecrationem in* cdlviii. *victoriæ pretium redegit.*

Bellum Tarentinum, & cum Pyrrho rege.

CAPVT XVIII.

Sequitur bellum Tarentinum, vnum quidem titulo & nomine sed victoria multiplex. Hoc enim Cãpanos, cdlxvii. *Apulos, atque Lucanos, & caput belli Tarentinos, idem totam*

totam Italiam, & cum istis omnibus Pyrrhum clarissimum Graciæ regem vna veluti ruina pariter inuoluit, vt eodem tempore & Italiam consummaret, & transmarinos triumphos auspicaretur. 2 Taretus etiam Lacedæmoniorum opus, Calabriæ quondam & Apuliæ totiúsque Lucaniæ caput, tum magnitudine & muris, portuque nobili tum mirabili situ: quippe in ipsis Adriatici maris faucibus posita, in oras nostras, Istriam, 3 Illyricum, Epirum, Achaiam, Africam, Siciliam vela dimittit. Imminet portui ad prospectum maris positum vrbis theatrum, quod quidem causa miserę ciuitati fuit omnium suarum calamitatum. Ludos fortè celebrabant, quum remigantes littori Romanas classes inde videt atque hostem rati, emicant, sine discrimine insultant: qui autem, aut vnde Romani nec satis norant. Aderat sine mora querelam ferens legatio, hanc quoque fœdius per obscœnam 4 turpemque dictu contumeliam violant. Ex hinc bellum: sed apparatus horribilis: cùm tot simul populi pro Tarentinis consurgerent: omnibusque vehementior Pyrrhus, qui semigracam ex Lacedæmonijs conditoribus ciuitatem vindicaturus, cum totius viribus Epiri, Thessaliæ, Macedoniæ, incognitisque in id tempus 5 elephantis, mari, terra, viris, equis armis, addito insuper ferarum terrore veniebat. Apud Heracleam, & Campaniæ fluuium 6 Sirim, Lauino consule, prima pugna: qua tam atrox fuit 7 vt Farentana turmæ præfectus Obsidius, inuectus in regem turbauerit, coëgeritque proiectis insignibus prælio excedere. Actum erat, nisi elephanti conuersi in spectaculum belli procurrissent, quorum tum magnitudine, tum deformitate & nouo * colore simul ac stridore cõsternati equi cùm incognitas sibi belluas amplius quam erant suspicarentur fugam stragemque latè dederunt. In Apulia deinde apud Asculum melius dimicatum est, 8 Fabricio Æmilioque Coss. Iam quippe belluarum terror exoleuerat, & C Minucius quarta religionis hastatus, vnius proboscide abscissa, mori posse belluas osten-

cdlxxiii.

*odorē.

cdlxxv.

ostenderat. Itaque & in ipsas pila congesta sunt, & in turres vibrata faces, tota hostium agmina ardentibus ruinis operuerunt: nec alius cladi finis fuit, quam nox dirimeret, postremusque fugientium ipse rexa satellitibus humero saucius in armis suis referretur. In 9 Lucaniæ suprema pugna sub Auruncinis, quos vocant, campis, ducibus ijsdem qui superiùs. Et tunc toti victoriæ exitum, quem datura virtus fuit, casus dedit. Nam productus in primam aciem rursus elephantis, unum ex his pullum adacti in caput teli grauis ictus auertit: qui tum per stragem suorum percurrens stridore quereretur mater agnouit, & quasi vindicatura exsiliuit: tum omnia circa quasi hostilia graui timore permiscuit: ac sic eadem fera, quæ primam victoriam abstulerant, secundam parem fecerant, tertiam 10 sine controuersia tradidere. Nec verò tantum armis, & in campis, sed consilijs quoque & domi intra vrbem cum rege Pyrrho dimicatum est. Quippe posti primam victoriam rex callidus intellecta virtute Romana, statim desperauit armis, seque ad dolos contulit. Nam interemptos cremauit, captiuosque indulgenter habuit, & sine pretio restituit. Missisque deinde legatis in vrbem, omni modo adnixus est, vt in amicitiam reciperetur. Sed bello & pace, foris & domi, omnem in partem Romana virtus tum se probauit: nec alia magis quàm Tarentina victoria ostendit populi Romani fortitudinem, senatus sapientiam, ducum magnanimitatem. Quinam illi fuerunt viri, quos ab elephantis primo prælio obrutos accipimus? omnium vulnera in pectore, quidam hostibus suis immortui, omnium in manibus enses, & relicta in vultibus mina, & in ipsa morte ira viuebat. Quod adeò Pyrrhus miratus est, vt diceret: O quam facilè erat, orbis imperium occupare, aut mihi Rom. militibus, aut me rege Romanis! Qua autem eorum qui superfuerunt, in reparando exercitu festinatio. Pyrrhus, video me, inquit, planè Herculis sidere procreatum, cui quasi ab angue Lernæo tot cæsa hostium capita de sanguine cdlxxvi. cdlxxviij cdlxxvii. cdlxxiv.

guine suo renascuntur. Qui autem ille senatus fuit? cùm 11 perorante Appio Cæco, pulsi cum muneribus suis ab vrbe 12 legati interroganti regi suo quid de hostium sede sentirent, Vrbem templum sibi visum, 13 senatum regum esse confessum consiterentur. Quales porrò ipsi duces vel in castris? cùm medicum venale regis Pyrrhi caput afferentem Curius 14 remisit, Fabricius oblatam sibi à rege imperij partem repudiauit Vel in pace? cùm 15 Curius fictilia sua Samnitico præferret auro: 16 Fabricius decem pondo argenti facti circa Rufinum consularem virum, quasi luxuriam cẽsoria grauitate damnaret. Quis ergo miretur his moribus, virtute, militia, victorem Pop. Romanum fuisse? vnoque bello Tarentino intra 17 quadriennium maximã partem Italiæ fortissimas gentes, opulentissimas vrbes, vberrimasque regiones in deditionem redegisse? Aut quid adeò fidem superet, quam si principia belli cum exitu conferantur? Victor primo prælio Pyrrhus, totam trementem Italiam, Campaniam, Lirim, fregellasque populatus, propè captam vrbem à Prænestina arce prospexit, & à 18 vigesimo lapide oculos trepida ciuitatis fumo ac puluere impleuit. Eodem post ea bis exuto castris bis saucio, & in Græciam suam trans mare ac terras fugato, pax & quies & tanta adeò de opulentissimis tot gentibus spolia, vt victoriam suam Roma non caperet. Nec enim vllus pulchrior in vrbem aut speciosior triumphus intrauit, cum ante hunc diem nihil nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, facta Samnitium arma vidisset. Tunc si captiuos aspiceres: 19 Molossi, Thessali, Macedones, 20 Bruttius, Apulus, atque Lucanus Si pompas: auram, purpura, signa, tabulæ, Tarentinæque delicia. Sed nihil libentius P. Rom. aspexit, quam illas quas timuerat cum turribus suis belluas, quæ non sine sensu captiuitatis

summissis ceruicibus victores equos
sequebantur.

Bellum Picenum.

CAPVT XIX.

Omnis mox Italiæ pacem habuit. Qui enim post Tarentum auderent? nisi quod vltro persequi socios hostium placuit. Domiti hinc 1 *Picentes, & caput gentis* 2 *Asculum, P. Sempronio duce, qui tremente inter prælium campo, Tellurem deam promissa ade placauit.* cdlxxxv.

Bellum Sallentinum.

CAPVT XX.

3 *Salentini Picentibus additi, caputque regionis* 4 *Brundusium inclyto portu, M. Atilio duce. Et in hoc certamine, victoria pretium, templum sibi pastoria Pales vltro popposcit.* cdxxcvi. cdxxcvii

Bellum Vulsinienſe.

CAPVT XXI.

Postremi Italicorum in fide mansere Vulsinij opulentissimi Etruscorum implorantes opem aduersus seruos quondam suos, qui libertatem à dominis datam, in ipsos erexerant, translataque in se Rep. dominabantur. Sed hi quoque duce 5 *Fabio Gurgite pœnas dederunt.* cdxvcviij

De seditionibus.

CAPVT XXII.

Hæc est secunda ætas Pop. Romani, & quasi adolescentia, qua maximè viruit, & quodam flore virtutis exarsit ac ferbuit. Ita, qua inerat, quadam adhuc ex pastoribus feritas, quiddam spirabat indomitum. Inde est quod exercitus Posthumium Imperatorem, insitiantem quas promiserat prædas, facta in castris cccxxxix.

ccxxcii. ccxxci. *seditione lapidauit : Quòd sub Appio Claudio noluit vincere hostem, cùm posset: Quòd duce Volerone, detrectantibus pleriſque militiam, fracti consulis fasces. Inde, quòd clarissimos principes, quòd aduersarentur voluntati suæ, exsulatione multauit: vt Coriolanum colere agros iubentem. Nec minus ille ferociter iniuriam armis vindicasset, nisi quod iam inferentem signa filiũ mater Veturia lacrymis suis exarmauit. Vt ipsum Camillum, quod iniquè inter plebem & exercitum diuisisse Veientem prædam videretur. Sed hic melior obsessis in capta vrbe consuluit: & mox supplices de hoste Gallo vindicauit. Cum senatu quoque de æquo bonoq; certatum est: adeò vi relictis sedibus solitudinem & interitum patriæ suæ minarentur.*

ccclxii. ccclxiii.

Prima Vrbis discordia.

Cap. XXIII.

cclvii. *Prima discordia ob impotentiam fœneratorum, quibus in terga quoque seruiliter sauientibus, in Sacrum montem plebs armata secessit, ægreque nec nisi Tribunos plebis impetrasset: Menenij Agrippæ facundi & sapientis viri auctoritate reuocata est. Exstat orationis antiquæ satis efficax concordiam fabula, qua dissensisse inter se quondam humanos artus dicitur, quod omnibus opere fugientibus, solus venter immunis ageret: deinde moribundos à seiunctione redisse in gratia, quando sensissent quod eius opera redactis in sanguinem cibis irrigarentur.*

cci.

Secunda Vrbis discordia.

Cap. XXIV.

cccxiv. *Secundam in vrbe media decemuiratus libido conflauit. Allatus à Gracia leges decem principes lecti, iubente*

bente populo conscripserant: ordinataque erat in duodecim tabulis tanta iustitia: cum tamen traditos fasces regio quodam furore retinebant. Ante cateros Appius Claudius eò insolentia elatus est, vt ingenuam virginem stupro destinaret, oblitus & Lucretia, & regum, & iuris quod ipse composuerat. Itaque cum oppressam iudicio filiam; trahi in seruitutem videret Virginius pater, nihil cunctatus, in medio foro manu sua interfecit, admotisque signis commilitonum, totam eam dominationem obsessam armis; in carcerem & catenas ab Auentino monte detraxit.

Tertia Vrbis discordia.

CAPVT XXV.

Tertiam seditionem excitauit matrimoniorum dignitas, vt plebeij cum patricijs iungerentur: qui tumultus in monte Ianiculo, duce Canuleio Tribuno plebis exarsit. CCCVIII.

Quarta Vrbis discordia.

CAP. XXVI.

Quartam honorum cupido, vt plebeij quoque magistratus crearentur. Fabius Ambustus duarum pater, alteram Sulpicio patricij sanguinis dederat; alteram plebeio Stoloni. Qui, quod vxor eius ad victoria virgæ sonum ignotum penatibus suis expauerat; & à sorore satis insolenter irrisa esset, iniuriam non tulit. Itaque nactus tribunatum; honorum & magistratuum consortium quamuis inuito senatu extorsit. Verum in his ipsis seditionibus principem populum non immeritò suspexeris: siquidem nunc libertatem, nunc pudicitiam, tũ natalium dignitatem; honorũ decora & insignia vindicauit. Interque omnia hæc nullius acrior custos, quàm libertatis fuit: nullaque in pretium eius potuit largitione corrumpi, cùm, * vt in magno & indies maiore populo, interim pernitiosi ciues exsisterent; Sp. Cassium CCCXXCV. CCCXXCVII. *iam.

ccIx VIII. *Agraria lege, 3 Malium largitione suspectum regiæ dominationis, præsenti morte multauit. Ac de Spurio quidem supplicium pater ipsius sumpsit: hunc Quinctij* cccxIv. *Dictatoris imperio in medio foro Magister equitum* ccclxx. *Seruilius Abala confodit. 4 Manlium verò Capitolij vindicem, quia plerosque debitorum liberauerat, altiùs se & in ciuilius efferentem, ab illa quam defenderat arce deiecit. Talis domo ac foris, talis pace belloque populus Romanus fretum illud adolescentiæ id est, secundam imperij ætatem habuit, in qua totam inter Alpes fretumque Italiam armis subegit.*

L. FLORI HISTORIARVM LIB. II.

CAPVT I.

DOMITA subactaque Italia, populus Romanus propè I quingentesimum annum agens, cum bona fide adoleuisset, si quod est robur, si qua iuuentus, tum ille verè robustius & iuuenis, & par orbi terrarum esse cœpit. Itaque (mirum & incredibile dictu) qui propè quingentis annis domi luctatus est, (adeò difficile fuerat dare Italiæ caput) his cc. annis qui sequuntur, Africam, Europam, Asiam, totum denique orbem terrarum bellis victoriisque peragrauit.

Primum bellum Punicum.

CAPVT II.

ccIxxcIx. *Igitur victor Italiæ populus, cum à terra fretum usque venisset, more ignis, qui obuias populatus incendio siluas, interueniente flumine abrumpitur, pauliſper substitit. Mox cum videret opulentissimam in proximo prædam quomodo Italiæ sua abscissam, & quasi reuulsam; adeò cupiditate eius exarsit, vt quatenus*

neo-

nec mare iungi nec pontibus posset, armis belloque iungenda, & ad continentem suam reuocanda bello videretur. Sed ecce, vltro ipsis viam pandentibus fatis, nec occasio defuit cùm de Pœnarum impotentia, fœderata Sicilia ciuitas Messana quereretur. Affectabat enim vt Romanus, ita Pœnus Siciliam: & eodem tempore paribus vterque votis ac viribus, imperium orbis agitabat. Igitur specie quidem socios iuuandi, re autem solicitante præda (quanquam territaret nouitas rei, tanta tamen in virtute fiducia est) ille rudis, ille pastorius populus, veraque terrestris, ostendit nihil interesse virtutis, equis an nauibus, terra an mari dimicaretur Appio Claudio consule primùm fretum ingressus est, cdxxc1xx
3 fabulosis infame monstris, æstuque violentum: sed adeò non est exterritus, quin ipsam illam ruentis æstus violentiam pro munere amplecteretur: statimque ac sine mora Hieronem Syracusanum regem tanta celeritate vicit, vt ipse ille se prius victum quàm hostem videret, fateretur. 4 Duilio Cornelioque consulibus, cdxc111.
etiam mari congredi ausus est. Tum quidem ipsa velocitas classis comparata, victoriæ auspicium fuit. Intra enim sexagesimum diem quam cæsa siluæ fuerat, clx. nauium classis in ancoris stetit: vt non artefacta, sed quodam munere deorum conuersa in naues atque mutata arbores viderentur. Prælij verò fama mirabilis, cùm illas celeres volucresque hostium naues, hæ graues tardæque comprehenderent. Longè illis plus nauticæ artis, detorquere remos, & ludificari fuga rostra. Iectæ enim ferreæ manus, machinæque aliæ, ante certamen multum ab hoste derisæ: coactique hostes quasi in solido decernere. Victor ergò ad 6 Lipanas, mersa & fugata hostium classe primum illum maritimum egit triumphum. Cuius quod gaudium fuit? cum Duilius Imperator non contentus vnius diei triumpho, per vitam omnem, vbi à cœna rediret perlucere funalia, & præcinere sibi tibias iussit; quasi quotidie triumpharet. Pro tanta victoria leue huius prælij damnum fuit.

Alter consulum interceptus 7 Cn. Cornelius Asina, qui simulato colloquio euocatus atque oppressus fuit,
CDXCIV. perfidiæ Punicæ documentum. 8 Calatino dictatore, ferè omnia præsidia Pœnorum 9 Agrigento, 10 Drepano, 11 Panormo, 12 Eryco, 13 Lilybeo detraxit. Trepidatum est semel circa 14 Camarinensium saltum, sed eximia virtute Calpurnij Flammæ tribuni militum euasimus, qui lecta CCC. manu infestum & insessum ab hostibus tumulum occupauit; adeoque moratus hostes, dum exercitus omnis euaderet: ac si pulcherrimo
CDXCVI. exitu, 15 Thermopilarum & Leonidæ famam adæquauit. Hoc illustrior noster, quod expeditioni tantæ superfuit & superuixit, licet nihil 16 scripserit sanguine. L. 17. Cornelio Scipione, cùm iam Sicilia suburbana esset populi Romani prouincia, serpente latius bello, in Sardiniam annexamque ei Corsicam transit, vbi & sic Caralæ vrbis excidio incolas terruit, adeoque omneis terra mariq; Pœnos expugnauit, vt iam victoriæ nihil nisi Africa ipsa restaret. M. Atilio 18
CDXCVII. Regulo duce iam in Africam nauigabat bellum. Nec deerant qui ipso Punici maris nomine ac terrore deficerent; augente insuper Tribuno Mannio metum: in quem, nisi paruissent, securi districta Imperator, metu mortis nauigandi fecit audaciam: mox ventis remisque properatum est: tantusque terror hostici aduentus Pœnis fuit, vt apertis penè portis Carthage caperetur. Belli prima præmium fuit ciuitas Clypea. Prima enim à Punico littore quasi arx & specula procurrit: & hac & CCC. amplius castella vastata sunt. Nec cum hominibus modò, sed cum monstris quoque dimicatum est, cùm quasi ad vindictam Africæ nata mira magnitudinis serpens, posita apud 19 Bagradam castra vexaret. Sed omnium victor Regulus, cum terrorem nominis sui latè circumtulisset, cumque magnam vim iuuentutis, ducesque ipsos aut cecidisset, aut haberet in vinculis, classemque ingenti præda onustam, & triumpho grauem in vrbem præmisisset, etiam ipsam caput

belli

belli Carthaginē vrgebat obsidione ipsisque portis inharebat. Hic paulum circumacta fortuna est tantum, vt plura essent Romanæ vrbis insignia, cuius ferè magnitudo calamitatibus approbatur. Nam conuersis ad externa auxilia hostibus, cum 20 Xantippum illis ducem Lacedæmon misisset, à viro militiæ peritissimo cdxcvii. vincimur, cum fœda clade. Romanisque vsu incognita, viuus in manus hostium venit fortissimus Imperator. Sed ille quidem par tanta calamitati fuit. Nam nec Punico carcere fractus est, nec legatione suscepta. Quippe diuersa quam hostes 21 mandauerant, censuit, ne pax fieret, nec commutatio captiuorum reciperetur. Sed nec illo voluntario ad hostes suos reditu, nec vltimo siue carceris seu crucis 22 supplicio deformata maiestas: imò his omnibus admirabilior. Quid aliud quam victus de victoribus quia Carthago non cesserat, de fortuna triumphauit? Populus autem Romanus multo acrior infestiorque pro vltione Reguli, quàm pro victoria fuit. 23 Metelle igitur consule spirantibus altiùs Pœnis, & reuerso in Siciliam bello, apud Panormum sic hostes cecidit, vt ne amplius ea in insula concitaretur. Argumentum ingentis victoriæ, centum circiter elephantorum captiuitas: sic quoque magna prada, si gregem illum non bello, sed venatione cepisset. P. 24. Claudio DIV. consule, non ab hostibus, sed à dijs ipsis superatus est, quorum auspicia contempserat, ibi statim classe demersa, vbi ille 25 præcipitari pullos iusserat, quod pugnare ab his vetaretur. M. Fabio 29 Buteone consule, classem hostium in Africo mari apud Ægimurum iam in Italiam: vltro nauigantem cecidit: quantus ò tum 27 triumphus tempestate intercidit, cum opulenta prada classis aduersis acta, ventis naufragio suo Africam & 28 Syrtes, omnium imperia gentium, insularum littora impleuit! Magna clades, sed non sine aliqua principis populi dignitate, intercepta tempestate victoria & triumphum perijsse naufragio. Et tamen cum Punica prada omnibus promontorijs insulisque allisa

DII.

DXII. *fluitarent; populus Romanus triumphauit 29 Lutatio Catulo consule, tandem bello finis impositis apud insulas, quibus nomen 30 Ægates: nec maior alia in mari pugna quippe commeatibus, exercitu, propugnaculis, armis grauis hostium classis & in eis quasi tota Carthago, quod ipsum exitio fuit: Romana classis prompta leuis, expedita, & quodam genere castrensis, ad similitudinem pugnæ equestris, sic remis quasi habenis agebatur, & in hos vel in illos ictus mobilia rostra: speciem viuentium præferebant. Itaque momento temporis lacerata hostium rates, totum inter Siciliam Sardiniamque pelagus naufragio suo operuerunt. Tanta denique fuit illa victoria, vt de excidendis hostium mœnibus non quæreretur. Superuacuum visum est in arcem murosque sauire, cum iam in mari esset deleta Carthago.*

Bellum Liguſtinum.

Capvt III.

Peracto Punico bello secuta est breuis sanè & quasi ad recipiendum spiritum requies: argumentumque pacis, & bona fide cessantium armorum, tunc primũ post Numam clausa fuit porta Iani: sed statim ac sine mora patuit. Quippe iam Ligures, iam Insubres Galli, necnon

DXVI. *& Illyrici lacessebant: sic desub Alpibus, id est, de sub ipsis Italiæ faucibus, gentes deo quodam assiduè incitante, ne rubiginem ac situm arma sentirent: denique ita quotidiani & quasi domestici hostes tirocinia militum imbuebant, nec aliter vtraque gente quam quasi cote quadam populus Romanus ferrum suæ virtutis acuebat. Ligures imis Alpium iugis adhærentes, inter 1 Varum & Macram flumen, implicitos dumis silueſtribus maior aliquanto labor erat inuenire quam vincere. Tutum locis & fuga, durum atque velox genus, ex occasione magis latrocinia quam bella faciebat. Itaque*

dlxxiv. dlxxiii. *cum diu multumque eluderent saltu vijs latebris, 2 Deceates, 3 Oxybij 4 Euburiates, Ingauni, tãdem 5 Fulluius*

nius latebras eorum ignibus sepsit, 6 Bœbius in plana deduxit. 7 Postumius ita exarmauit, vt vix reliqueris ferrum quo terra coleretur.

Bellum Gallicum.

CAPVT IV.

Gallis 1 Insubribus, & de his accolis Alpium, animi dxxviii.
ferarum, corpora plus quàm humana erant Sed experimento deprehensum est: quod sicut primus impetus eis maior quàm virorum est, ita sequens minor quàm feminarum. Alpina corpora humenti cœlo educata, habent quiddam simile cum niuibus suis, quæ mox vt caluere pugna, statim in sudorem eunt, & leui motu, quasi sole, laxantur. Hi sæpe & alias, sed Britomaro duce non dxx viii.
prius solituros se baltheo quàm Capitolium ascendissent, iurauerant Factum est Victos enim 2 Æmilius DXXX.
*in Capitolio discinxit. Mox * Astrionico duce vouere* * Ario-
de nostrorum militum præda Marti suo torquem. Intercepit Iupiter votum: nam detorquibus eorum aureum trophæum Ioui 3 Flaminius erexit. Virdumaro Rege Romana arma Vulcano promiserant: aliorsum bisto.
vota ceciderunt. Occiso enim rege 4 Marcellus tertia dxxxi.
post Romulum patrem Feretrio Ioui opima suspendit.

Bellum Illyricum.

CAPVT V.

Illyrici seu Liburni sub extremis Alpium radicibus agunt inter Arsiam Titiumque flumen, longissimè dxxiv.
*per totum * Adriatici maris litus effusi. Hi regnan-* * Adria-
te 1 Teuta muliere populationibus non contenti, licen- ni.
tia scelus addiderunt. 2 Legatos quippe nostros, ob ea quæ deliquerant, iure agentes, nec gladio quidem, sed vt victimas, securi percutiunt, præfectos nauium igne comburunt: idque, quo indignius foret, mulier

imperabat. 3 Itaque Cn. Fuluio Centumalo duce latè
DXXV. domantur Strictæ in principum colla secures, legatorum
manibus litauere.

Bellum Punicum secundum.

Caput VI.

Post primum Punicum bellum 1 vix quadriennis
dxxxv. requies. Ecce alterum bellum minus quidem 2 spatio,
(nec enim amplius quam octo & decem annos habet)
sed adeò cladium atrocitate terribilius, vt si quis
conferat damna vtriusque populi, similior victo sit
populus qui vicerat. 4 Pudebat nobilem populum, ab-
lato mari, raptis insulis, dare tributa, quæ iubere con-
sueuerat. Hinc vltionem puer Annibal ad aram pa-
DXXXV. tri iurauerat: nec remorabatur. Igitur in caussam belli
5 Saguntus deleta est, vetus Hispaniæ ciuitas & opu-
lenta, fideique erga Romanos magnum quidem, sed tri-
ste monumentum: quam in libertate communi fœdere
exceptam, Annibal caussas nouorum motuum quæ-
rens, & suis, & ipsorum manibus euertit, vt Italiam
sibi rupto fœdere aperiret. Summa fœderum Roma-
nis religio est. Itaque ad auditum socia ciuitatis obsi-
dium, memores icti cum Pœnis quoque fœderis, non
statim ad arma procurrunt, dum prius more legitimo
queri malunt. Interim iam 6 nouem mensibus fessi fa-
me, machinis, ferro, & igne, versa denique in rabiem
fide immanem in foro excitant rogum, tum desuper se
suosque cum omnibus opibus suis ferro & igne corrum-
punt. Huius tantæ cladis auctor Annibal poscitur. Ter-
giuersantibus Fœnis, dux legationis Romanorum,
Quæ, inquit mora est? Fabius: In hoc ego sinu bellum
affero & pacem: vtrum eligitis, vtrum placet, sumi-
te. Cumque succlamatum est, vtrum vellet daret,
Bellum igitur, inquit, accipite; & excusso in media
curia toga gremio, non sine horrore, quasi planè sinu
bellum ferret, effudit. Similis exitus belli initio fuit.
Nam quasi has inferias sibi Saguntinorum vltima dira
in illo,

in illo publico parricidio incendioq; mandassent, ita manibus eorum, vastatione Italiæ, captiuitate Africæ, ducum & regum qui id gessere bellum, exitio parentatum est. Igitur vbi semel se in Hispania mouit illa grauis & luctuosa Punici belli vis atque tempestas, destinatumq; *Romanis iam diu fulmen, Saguntino igne conflauit, statim 7 quodam impetu rapta, medias perfregit Alpes, & in Italiam ab illis fabulosæ altitudinis nimbis, velut cœlo missa descendit. Ac primi quidem impetus turbo inter Padum & Ticinum validoq; statim fragore detonuit. Tunc Scipioni duce fusus exercitus: saucius & ipse venisset in hostium manus Imperator, nisi protectum patrem 8 prætextatus admodum filius ab ipsa morte rapuisset. Et hic erit Scipio, qui in exitium Africæ crescit, cognomen ex malis eius habiturus, Ticino Trebia succedit. Hic secunda belli Punici procella desæuit Sempronio consule. Tunc callidissimi hostes frigidum & nimalem nacti diem, cum se ignibus prius oleoq; fouissent, horribile dictu, homines à meridie & sole venientes, nostra nos hieme vicerunt. Trasimenus lacus tertium fulmen Annibalis, Imperatore Flaminio. Ibi quoque ars noua Punicæ fraudis. Quippe nebula lacus, palluſtribusq; virgultis tectus eques, terga subitò pugnantium inuasit. Nec de dijs possumus queri. Imminentem temerario duci cladem prædixerant insidentia signis examina, & 9 aquilæ prodire nolentes: & commissam aciem secutus ingens terræ tremor: nisi illum horrorem soli, equitum virorumq; discursus, & mota vehementius arma fecerüt. Quartum, id est, penultimum vulnus imperij, Cannæ, ignobilis Apuliæ vicus, sed magnitudine cladis emersit, & XL. millium cæde parta nobilitas. Ibi in exitium infelicis exercitus, dux, terra, cœlum, dies, tota denique rerum natura consensit. Siquidem non contentus simulatis transfugis Annibal, qui mox terga pugnantium ceciderant, insuper callidissimus Imperator, patentibus in campis obseruato loci ingenio, quòd & sol ibi acerri-

* Romanis abundat.

mus, & plurimus puluis, & Eurus ab oriente semper quasi ad constitutum flaret, ita instruit aciem, vt Romanis aduersus hæc omnia obuersis, secundum cœlum tenens, vento, puluere, sole pugnaret. Itaque duo maximi exercitus cæsi ad hostium satietatem, donec Annibal diceret militi suo, Parce ferro. Ducum effugit alter, alter occisus est: dubium vter maiore animo. Paullum puduit, Varro non desperauit Documenta cladis, cruentus aliquamdiu Ausidus. Pons de cadaueribus iussu ducis factus in torrente 10 *Gello. Modij* 11 *duo annulorum Carthaginem missi, dignitasq; equestris taxata mensura. Dubium deinde non erat, quin vltimum illum diem habitura fuerit Roma,* 10 *quintumq; intra diem epulari Annibal in Capitolio potuerit (si quod Pœnum illum dixisse* *12 *Moharbalem Bomilcaris ferunt) Annibal quemadmodum sciret vincere, sic vti victoria scisset. Tum quidem illum (vt dici vulgo solet) aut fatum vrbis imperatura, aut ipsius mens mala, & auersi à Carthagine dij, in diuersum abstulerunt: cùm victoria posset vti, frui maluit, relictaq; Roma, Campaniam Tarentumq; peragrare, vbi mox & ipse & exercitus ardor elanguit, adeò vt verum dictum sit, Capuam Annibali Cannas fuisse. Siquidem inuictum Alpibus indomitum armis, Campania (quis crederet?) sola, & tepentes fontibus Baiis, subegerunt. Interim respirare Romanus, & quasi ab inferis emergere. Arma non erant, detracta sunt templis. Deerat iuuentus, in Sacramentum militia liberata* 13 *seruitia Egebant* 14 *æraria, opes suas libens senatus in medium protulit, nec præter quod in bullis, cingulis, at q; annulis erat, quidquam sibi auri reliquere. Equ es secutus exemplum, imitatæq; equitem tribus: deniq; vix suffecere tabulæ: vix scribarum manus, Lauino Marcelloq; consulibus, cum priuatæ opes in publicum deferrentur. Quid autem in eligendis magistratibus? qua* 15 *centuriarum sapientia? cum iuniores à senioribus consilium de creandis consulibus petiuere?*

*Adarbalem.

dxliij. dxliv.

uere? Quippe aduersus hostem toties victorem, tam callidum, non virtute tantùm, sed suis etiam pugnare consilijs oportebat. Prima redeuntis, & vt sic dixerim, reuiuiscentis imperij spes 16 Fabius fuit, qui nouam de Annibale victoriam commentus est, non *velle pugnare. Hinc illi cognomen nouum, & Resp. salutare, Cunctator. Hinc illud ex populo, vt imperij scutum vocaretur. Itaq; per Samnium totum, per Falernos Gauranosq; saltus sic macerauit Annibalem, vt qui frangi virtute non poterat, mora comminueretur. Inde 17 Claudio Marcello duce etiam congredi ausus est: comminus venit & pepulit è Campania sua, & ab obsidione Nolæ vrbis excussit. Ausus & 18 Sempronio Graccho duce per Lucaniam sequi, & premere terga cedentis: quamuis tunc (ô pudor) manu seruili pugnaret. Nam hucusque tot mala compulerant: sed libertate donati, fecerant de seruitute Romanos. O horribilem in tot aduersis fiduciam, ô singularem animum ac spiritum pop. Romani tam arctis afflictisq; rebus cùm de Italia sua dubitaret, ausus est tamen in diuersa respicere, cumq; hostes in iugulo per Campaniam Apuliamq; volitarent, mediamq; iam de Italia Africam facerent, eodem tempore & hunc sustinebat, & in Siciliam, Sardiniam, Hispaniam, diuersa per terrarum orbem arma mittebat. 19 Sicilia mandata Marcello, nec diu restitit. Tota enim insula in vna vrbe superata est. Grande illud, & ante id tempus inuictum caput Syracusæ, quamuis Archimedis ingenio defenderentur, aliquando cesserunt. Longè illi triplex murus, totidemq; arces, portus ille marmoreus, & fons celebratus Arethusa, quid hactenus profuere, nisi vt pulchritudini victæ vrbis pateretur? Sardiniam 20 Gracchus arripuit: nihil illi gentium feritas, Insanorumq; (nam sic vocantur) immanitas montium profuere. Sæuitum in vrbes, vrbemq; vrbium Caralim, vt gens contumax, viliq; mortis, saltem desiderio patrij soli domaretur. In 21 Hispaniam missi Cneus & Pub-

*velle, abundat.

DXXXIIX. DXXXIX. DXL. DXXXIX. DXLI. DXXXVI. DXXXVI.

& Publius Scipiones, spem totam Pœnis eripuerant, sed insidijs Punicæ fraudis oppressi, rursus amiserunt magnis quidem illi prœlijs, cùm Punicas opes cecidissent: sed Punicæ insidiæ alterum ferro, castra metantem alterum, cùm euasisset in turrim, cinctum facibus op-
DXLij. pressérunt. Igitur in vltionem patris ac patrui missus cum exercitu Scipio, cui tam grande de Africa cognomen fata decreuerant, bellatricem illam, virisque armisque nobilem Hispaniam, illam seminariam hostilis exercitus, illam Annibalis eruditricem (incredibile dictu)
DXLvij. totam 22 Pirenæis montibus in Herculis columnas & Oceanum recuperauit nescias citiùs, an faciliùs: quàm velociter, quatuor anni fatentur: quàm facilè, vel vna ciuitas probat, eodem quippe quo obsessa est die, capta est, omenque Africanæ victoriæ fuit, quòd tam facilè capta est Hispanica Carthago. Certum est tamen ad profligandam prouinciam maximè profeciſſe singularem ducis sanctitatem: quippe qui captiuos pueros puellasque præcipuæ pulchritudinis barbaris restituerit, ne in conspectum quidem suum passus adduci, ne quid de virginitatis integritate delibasse saltem vel oculis videretur. Hæc inter diuersa terrarum, populus Romanus: nec ideò tamen Italiæ visceribus inhærentem summouere poterat Annibalem plerique ad hostem defecerant, & dux acerrimus contra Romanos Italicis
DXLiv. quoque viribus vtebatur. Iam tamen eum plerisque op-
DXLij. pidis & regionibus excusseramus. Tarentus ad nos redierat. Iam 23 Capua, sedes & domus & patria altera Annibalis, tenebatur, cuius amissio tantum Pœno duci dolorem dedit, vt inde totis viribus in Romam conuerteretur. O populum dignum orbis imperio, dignum omnium fauore & administratione hominum ac deorum! Compulsus ad vltimos metus, ab incepto non destitit, & de sua vrbe solicitus, Capuam tamen non omisit, sed parte exercitus sub Appio consule relicta, parte Flaccum in vrbem secuta, absens simul pra-
DLiij. sensque pugnabat. Quid ergo miramur? Mouenti castra à ter-

a tertio lapide Annibali, iterum ipsos deos, deos inquam (nec fateri putebit) restitisse: tanta enim ad singulos illius motus vis imbrium effusa est, tanta ventorum violentia coorta, vt diuinitus hostem submoueri, non à cœlo, sed ab vrbis ipsius mœnibus & Capitolio videretur. Itaque fugit & cessit, & in vltimum se Italiæ recepit sinum, cùm vrbem tantum non adortam reliquisset. Parua res dictu, sed ad magnanimitatem pop. Rom. probandam satis efficax; quod illis ipsis quibus obdebatur diebus ager, quem Annibal castris insederat, venalis Romæ fuit, hastaq; subiectus inuenit emtorem. Voluit Annibal contra fiduciam imitari, subiecitq; argentarias vrbis tabernas, nec sector inuentus est: vt scias etiam præsagia fatis fuisse. Nihil actum erat tanta virtute, tanto fauore deorum. Siquidem ab Hispania Asdrubal frater Annibalis cum exercitu nouo, nouis viribus, noua belli mole veniebat. Actum erat proculdubio, si vir ille se cum fratre iunxisset: sed hunc quoque castra metantem à 4. Claudius Nero cum DXLVI.
25 Liuio Salinatore debellat: Nero in vltimo Italiæ angulo summouebat Annibalem, Liuius in diuersissimam partem, id est, in ipsas nascentes Italiæ fauces signa conuerterat, tanto, id est, omni, qua longissima Italia solo interiacente. Quo consilio, qua celeritate consules castra coniunxerint, inopinanterq; hostem collatis signis compresserint, neque id fieri Annibal senserit, difficile dictu est: certè Annibal recognita, cum proiectum fratris caput ad sua castra vidisset: Agnosco inquit, infelicitatem Carthaginis. Hæc fuit illius viri non sine præsagio quodam fati imminentis prima confessio. Iam certum erat Annibalem etiam ipsius confessione posse vinci. Sed tot rerum prosperarum fiducia plenus pop. Rom. magni æstimabat asperrimum hostem in sua Africa debellare. Duce igitur Scipione in ipsam Africam tota mole conuersus imitari cœpit Annibalem, & Italiæ suæ clades in Africa vindicare. Quas ille (dij boni) Asdrubalis copias, quos 25 Syphacis exercitus fudit? DXLIX. DL.

fudit? Qua quantaq; vtriusq; castris facibus illatis vna nocte deleuit? Denique iam non à tertio lapide, sed ipsas Carthaginis portas obsidione quatiebat? sic factum est, vt inhærentem atque incubantem Italiæ extorqueret
DL. Annibalem. Non fuit maior sub imperio Romano dies
DLI. quam ille, cùm duo omnium & antea & postea ducum maximi, ille Italiæ, hic Hispaniæ victor collatis comminus signis direxere aciem. Sed & colloquium fuit inter ipsos de legibus pacis. Steterunt diu mutua admiratione defixi: vbi de pace non conuenit, signa cecinere. Constat vtriusq; confessione, nec melius instrui aciem, nec acrius potuisse pugnari hoc Scipio de Annibale, Annibal de Scipionis exercitu prædicauerunt.
DLII. Sed tamen Annibal cessit, præmium q; victoriæ Africa fuit, & secutus Africam terrarum orbis.

Bellum Macedonicum primum, siue Philippicum.

Caput VII.

Post Carthaginem vinci neminem puduit. Secutæ sunt statim Africam gentes, Macedonia, Gracia, Syria, cæteraq; omnia quodam quasi æstu & torrente
dxxxiix. fortunæ. Sed primi omnium Macedones affectator quondam imperij populus. Itaq; quamuis tunc Philippus regno præsideret, Romani tamen dimicare sibi cum rege Alexandro videbantur. Macedonicum bellum nomine amplius quam exspectatione gentis fuit. Causa cœpit à fœdere Philippi, quo Rex iam pridem dominantem in Italia Annibalem sibi sociauerat: postea creuit, implorantibus Athenis auxilium contra regis iniurias, cum ille vltra ius victoriæ, in templa, aras,
DLII. & sepulchra ipsa sæuiret. Placuit senatui opem tantis
DXLIII ferre supplicibus. Quippe iam gentium reges duces populi, nationes, præsidia sibi ab hac vrbe petebant. Primo igitur a Lætino consule populus Romanus Ionium

mare

mare ingressus, tota Graecia littora veluti triumphanti classe peragrauit. Spolia quippe Siciliæ, Hispaniæ, Sardiniæ, Africæ præferebat. Et manifestam victoriam, nata in prætoria puppe laurus pollicebatur. Aderat sponte in auxilium Attalus rex Pergamorum. DLV.
Aderant Rhodij nauticus populus, quibus à mari, consul à terris omnia equis virisq; quatiebat. Bis victus rex bis fugatus bis exsuctus castris, cum tamen nihil terribilius Macedonibus fuit ipso vulnerum aspectu, qua non spiculis, neque sagittis, nec vllo Graculo ferro, sed ingentibus 3 pilis, nec minoribus adacta gladijs, vltra mortem patebant. Enimuero Flaminino duce inuios antea 4 Chaonum montes, Pindumq; amnem per abrupta vadentem, & ipsa Macedoniæ claustra penetrauimus. Introisse, victoriæ fuit. Nam postea DLV.
nunquam ausus congredi rex, ad tumulos, quos 5 Cynoscephalas vocant, vno ac ne hoc quidem iusto prælio opprimitur: & illi quidem consul pacem dedit, regnumq; concessit. Mox ne quid esset hostile, Thebas, & 6 Euboeam, & grassantem sub 7 Nabido suo Lacedæmona compescuit, Graciæ verò veterem statum reddidit, vt legibus viueret suis, & auita libertate fruerentur. Qua gaudia, qua vociferationes fuerunt? Cùm hoc forte 8 Nemea in theatro Quinquennalibus ludis à præcone cuneretur, quo certauere plausu? quid florum in consulem profuderunt? Et iterum iterumq; praconem repetere illam vocem iubebant, qua libertas Achaiæ pronuntiabatur: nec aliter illa consulari sententia quam modulatissimo aliquo tibiarum aut fidium cantu, fruebantur. DLVII.

Bellum Syriacum Regis Antiochi.

CAPVT VIII.

Macedoniam statim & regem Philippum Antiochus excepit quodam casu, quasi industria sic adgubernante fortuna, vt quemadmodum ab Africa in Europam, DLXI.

pam, sic ab Europa in Asiam vltro se suggerentibus caussis, imperium procederet, & cum terrarum orbis situ, ipse ordo victoriarum nauigaret. Non aliud formidolosius fama bellum fuit. Quippe cùm Persas & Orientem, 1 Xerxem atque 2 Darium cogitarent, quando perfossi inuij montes; quando velis opertum mare nuntiaretur. Ad hoc cœlestes minæ territabant, cum humore continuo Cumanus Apollo sudaret. Sed hic fauentis Asiæ suæ numinis timor erat. Nec sanè viris, opibus, armisq; quidquam copiosius Syria: sed in manus tam ignaui regis inciderant; vt nihil fuerit in Antiocho speciosius, quam quod à Romanis victus est. Impulere regem in id bellum, illinc Thoas Ætoliæ princeps inhonoratam apud Romanos quærens aduersus Macedonas militiæ suæ societatem: hinc 3 Annibal, qui in Africa fretus, profugus, & pacis impatiens hostem pop. Rom. toto orbe quærebat. Et quod illud fuisset periculum si se consilijs eius rex tradidisset? si Asia viribus vsus fuisset miser Annibal? Sed rex suis opibus & nomine regio fretus, satis habuit bellum mouere. Europa iam dubio procul iure ad Romanos pertinebat. Hic 4 Lysimachiam vrbem in littore Thracio positam à maioribus suis, Antiochus vt hæreditario iure repetebat. Hoc velut sidere Asiatici belli mota tempestas, & maximus regum conuentus fortiter indicto bello, cùm ingenti strepitu ac tumultu mouisset ex Asia; occupatis statim insulis Græcisq; littoribus, otia & luxus tanquam victor agitabat. Eubœiam insulam continenti adhærentem tenui freto; reciprocantibus æquis Euripus abscidit. Hic ille positis aureis sericisq; tentorijs sub ipso freti murmure, cùm inter fluenta tibijs fidibusq; concineret, collatis vndique quamuis per hiemem, rosis, ne non aliquo ducem genere agere videretur, virginum puerorumq; delectus habebat. Talem ergo regem iam sua luxuria debellatum, pop. Rom. M. Acilio Glabrione consule in insula aggressus, ipso statim aduentus sui nuntio coegit ab insula fugere. Tam præcipitem

DLXII.

apud

apud Thermophylas assecutus locum, CCC. Laconum speciosa cæde memorandum; ne ibi quidem fiducia loci resistentem mari ac terra cedere coegit. Statum & è vestigio itur in Asiam. Classis regia Polyxeni Annibalique commissa: nam rex prælium nec spectare poterat. Igitur duco Æmilio Regillo à remigantibus Rhodiis tota laceratur: Ne sibi placeant Athenæ, in Antiocho vicimus Xerxem, in Æmilio Themistoclem aquauimus; Ephesiis Salamina pensauimus. Tum consule Scipione, cui frater ille modò victor Carthaginis Africanus voluntaria legatione aderat, debellari regem placet: & iam toto cesserat mari: sed nos imus vlterius. Maandrum ad amnem montemq; Sipylum castra ponuntur. Hic rex incredibile dictu quibus auxilijs quibus copijs consederat Trecenta millia peditum equitum falcatorumq; curruum non minor numerus Elephantis ad hoc immensa magnitudinis, auro, purpura argento, & suo ebore fulgentibus aciem vtrimq; vallauerat. Sed hæc omnia præpedita magnitudine sua, ad hoc imbre, qui subitò superfusus mira felicitate Persicos arcus corrupuerat. Primum trepidatio, mox fuga, dehinc triumphus fuerunt. Victo & supplici 6 pacem atq; partem regni dari placuit, eò libentius, quòd tam facilè cessisset. DLXIV.

Bellum Ætolicum.

CAPVT IX.

Syriaco bello successit, vt debebat Ætolicum. Victo quippe Antiocho, Romanus faces Asiatici belli persequebatur. Ergo Fuluio Nobiliori mandata vltio est. Hic protinus caput gentis Ambraciam, regiam Pyrrhi, machinis quatit. Secuta deditio; Aderant Ætolorum precibus Attici, Rhodij: & memineramus auxilij: sic placuit ignoscere. Serpsit tamen latius in proximos bellum, omnemq; latè, Cephalleniam, 2 Zacynton, & quidquid insularum in eo mari inter Ceraunios DLXIV.

montes, iugumq́ Maleum, Ætolici belli accessio fuerunt.

Bellum Istricum.

Cap. X.

DLXXVI. *Istri sequuntur Ætolos. Quippe bellantes eos nuper adiuuerant: & initia pugnæ prospera hosti fuerunt, eademq́ exitij caussa. Nam cum A. Manly castra cepissent, opimaq́ præda incubarent, epulantes ac ludibundos plerosque, ac vbi essent, præ poculis nescientes,*

DLXXVI. *C. Claudius Pulcher inuadit, sic cum sanguine & spiritu malè partam remouere victoriam. Ipse rex Æpulo equo impositus, cum sucinde crapula & capitis errore lapsaret, captum seje vix & ægre postquam experrectus est, dixit.*

Bellum Gallogræcum.

Caput XI.

DLXIV. *Gallograciam quoque Syriaci belli ruina conuoluit. Fuerant inter auxilia regis Antiochi. An fuisset cupidus triumphi Manlius, an eos visos simulauerit, dubium certè negatus est victori triumphus, quia caussam belli non approbauit senatus. Cæterùm gens Gallogracarum, sicut ipsum nomen indicio est, mixta & adulterata est: reliqua Gallorum, quibus Brenno duce vastauerant Graciam, mox orientem sequuti, in media Asiæ parte etiam sedere. Itaque vt frugum semina mutato solo degenerant, sic illa genuina feritas eorum, Asiatica amœnitate mollita est. Duobus itaque præliis fusi fugatiq́ sunt: quamuis sub aduentu hostis relictis sedibus, in altissimos se montes recipissent, quos Tolistobogij Tectosagiq́ tam insederant. Vtrimque fundis sagittisq́ actis, in perpetuam se pacem dediderunt. Sed alligati miracula quodam fuere, cùm catenas morsibus & ore tentassent, cùm offocandæ inuti-*

inuicem fauces prabuissent. Nam 1 Orgiagontis regis uxor à Centurione stuprum passa, memorabili exemplo custodiam euasit, reuulsumq; militis caput ad maritum suum retulit.

Bellum Macedonicum secundum, siue Persicum.

CAPVT XII.

Cùm alia aliaq; gentes Syriáci belli sequuntur ruinam Macedonia se rursus erexit Fortissimum populum memoria & recordatio sua nobilitatis agitabat, & successerat Philippo filius Perses, qui semel in perpetuum victam esse Macedoniam, non putabat ex gentis dignitate, multo vehementiùs sub hoc Macedones, quàm sub patre consurgunt. Quippe Thracas in vires suas traxerant. Atque ità industria Macedonum, viribus Thracum, disciplinam Macedonicam temperauere. Accessit his consilium ducis, qui situm regionum suarum de summo speculatus 1 Æmo, positis per abrupta castris ita Macedoniam suam armis ferroq; vallauerat, vt non reliquisse aditum nisi à cœlo venturis hostibus videretur. Nam Q. Marcio Philippo consule eam prouinciam ingressus populus Romanus, exploratis diligenter accessibus per * Astrudem paludem, per acerbos dubiosq; tumulos, & illa, quæ volucribus quoque videbantur inuia, accessit regemq; securum, & nihil tale metuentem, subita belli irruptione terruit: cuius tanta trepidatio fuit: vt pecuniam omnem in mare iusserit mergi ne periret, classem cremari, ne incenderetur 2 Paullo consule cum maiora & crebra essent imposita præsidia per alias vias Macedonia depressa est, summa quidem arte & industria ducis, cùm alia minatus, alia irrepsisset: cuius aduentus ipse eò terribilis regi fuit, vt interesse non auderet, sed gerenda ducibus bella mandauerit. Absens ergo victus, fugit in maria, insulamq; 3 Samothracem, Dxxcii. Dxvciv *Ascuti-dem. Dxxcvii.

fretus celebri religione quasi templa & aræ possent defendere, quem nec montes sui nec arma potuissent. Nemo regum diutius amissa fortuna conscientiam retinuit. Supplex cùm scriberet ad Imperatorẽ, ab illo quo confugerat templo, nomenq; epistolæ notaret suum, regem addidit. Sed nec reuerentior captæ maiestatis alius Paullo fuit, cùm in conspectum veniisset hostis in templum recepit: & in conuiuijs adhibuit liberosq; admonuit suos vt fortunam, cui tantum liceret, reuererentur. Inter pulcherrimos hunc quoque populus Romanus de Macedonia duxit atque vidit triumphum:

DXXCVI. *quippe cuius spectaculo triduum impleuerit. Primus dies signa tabulasq;, sequens arma pecuniasq; transuexit, tertius captiuos, ipsumq; regem attonitum adhuc, tanquam subito malo stupentem. Sed multo prius gaudium victoriæ populus Romanus, quam epistolis victoris perceperat. Quippe eodem die quo victus est Perses in Macedonia, Romæ cognitum est: duo iuuenes candidis equis apud Iuturnæ lacum pulueren & cruorem abluebant. Hi nuntiauere: Castorem & Pollucem fuisse creditum vulgo, quòd gemini fuissent: interfuisse bello, quod sanguine maderent, à Macedonia venire, quod adhuc anhelarent.*

Bellum Illyricum.

Caput XIII.

DXXCVI. *Macedonici belli contagio traxit Illyricos. Ipsi quidem vt Romanum à tergo distringerent, à Perse rege conducti pecunia militauere. Sine mora ab Anicio pro*

* Liuio. *prætore subiguntur * Scodram caput gentis delesse suf-*

Scardonam. *fecit. Denique hoc bellum antè finitum est, quam gerè Romæ nuntiaretur.*

Bel-

Bellum Macedonicum tertium cum Andrisco.

CAPVT XIV.

Quodam fato, quasi ita conuenisset inter Pœnos & Macedonas, vt tertio quoque vincerentur, eodem tempore vtrique arma mouere. Sed prior iugum excutit Macedo, aliquanto quàm antè grauior dum contemnitur. Causa belli propè erubescenda: quippe regnum pariter & bellum vir vltimæ sortis Andriscus inuaserat, dubium liber an seruus, mercenarius certè: sed quia vulgo Philippus, ex similitudine eris, Pseudophilippus vocabatur, regiam formam, regium nomen animo quoque regio impleuit. Igitur dum hæc ipsa contemnit populus Romanus, Iuuentio prætore contentus, virum non Macedonicis modo, sed Thracia quoque auxilijs ingentibus validum, temere tentauit: inuictusq; non à veris regibus, sed ab illo imaginario & scenico rege superatur: sed prætore Metello, amissum cum legione prætorem, plenissimè vltus est. Nam & Macedoniam seruitute multauit, & ducem belli deditum, ab eo ad quem confugerat, Thraciæ Regulo, in vrbem in catenis reduxit, hoc quoque illi in malis suis indulgente fortuna, vt de eo populus Romanus, quasi de vero rege, triumpharet. DCV.

Bellum Punicum tertium.

CAPVT XV.

Tertium cum Africa bellum & tempore exiguum fuit, (nam quadriennio paratum est) & in comparatione priorum, minimum labore. Non enim tam cum viris, quam cum ipsa vrbe pugnatum est: sed planè maximo euentu: quippe eo tandem Carthago finita est. Atq; si quis trium temporum momenta consideret, primò commissum est bellum, profligatum secundò, tertio DCIV. CDXXCIX. DXXXV. DCIX.

verò confectum est. Sed huius caussa belli, quòd contra fœderis legem aduersus Numidas quidem semel parassset classem & exercitum, frequens autem Massinissa fines territaret. Sed huic bono socioq; regi fauebatur. Cùm bellum sederet, de belli fine tractatum est. Cato inexpiabili odio delendam esse Carthaginem, & cum de alio consuleretur, pronuntiabat 1 Scipio Nasica seruandam, ne metu ablato amula vrbis, luxuriari felicitas vrbis inciperet. Medium senatus elegit, vt vrbs tantum loco moueretur. Nec nihil enim speciosius videbatur, quàm esse Carthaginem, qua non timeretur.

DCIV. Igitur Manlio Censorino q; consulibus, populus Romanus aggressus Carthaginem, spe pacis inuicta traditam à volentibus classem suo ipso ore vrbis incendit. Tum euocatis principibus, si salui esse vellent, vt migrarent finibus, imperatum. Quod pro rei atrocitate adeò mouit iras, vt extrema mallent. Comploratum igitur publicè statim, & pari voce clamatum est, Ad arma: sediq; sententia, quoquo modo rebellandum: non quia spes vlla iam superesset, sed quia patriam suam mallent hostium quàm suis manibus euerti. Qui rebellandum fuerit furor, vel hinc intelligi potest, quod in vsum nouæ classis tecta domusq; rescinderunt, & in armorum officinis aurum & argentum pro ære ferroq; conflatum est, in tormentorum vincula matronæ crines suos con-

*Legato. tulerunt Mancino deinde*2 consule, terra mariq; feruebat obsidio. Operis portus nudatus, & primus, & sequens iam murus, cum tantum 3 Byrsa, quod nomen arci fuit, quasi altera ciuitas resistebat. Quamuis profugatio vrbis excidio, tamè fatale Africæ nomen Scipionũ videbatur. Igitur in alium Scipionem conuersa Resp. finem belli reposcebat. 4 Hunc Paullo Macedonico procreatum, Africani illius magni filium in decus gentis assumpserat, hoc scilicet fato, vt quam vrbem concussserat auus, nepos euerteret. Sed quam maximè mortiferi esse morsus solent morientium bestiarum, sic plus negotij fuit cum semiruta Carthagine, quàm integra

tegra. Compulsus in vnam arcem hostibus, portum quoq; maris Romanus obsederat. Illi alterum ibi portum ab alia vrbis parte foderunt, nec vt fugerent, sed qua nemo illos nec euadere posse credebat, inde quasi enata subitò classis erupit. Tum interim iam diebus, iam noctibus, noua aliqua moles, noua machina, noua perditorum hominum manus, quasi ex obruto incendio subita de cineribus flamma prodibat. Deploratis nouissimè rebus quadraginta se millia virorum dediderunt, quod minus credas, duce Asdrubale Quanto fortius femina & vxor ducis? quæ comprehensis duobus liberis, à culmine se domus in medium misit incendium imitata Reginam, quæ Carthaginem condidit. Quanta vrbs deleta sit, vt de cæteris taceam, vel ignium mora probari potest: quippe per continuos decem & septem dies vix potuit incendium extingui, quod domibus ac templis suis sponte hostes immiserant, vt quatenus vrbs eripi Romanis non poterat triumphis, arderet.

Bellum Achaicum.

CAPVT XVI.

Quasi sæculum illud* euersionibus vrbium curreret, ita Carthaginis ruinam statim Corinthus excepit, Achaiæ caput, Græciæ decus, inter duo maria Ionium & Ægæum quasi spectaculo exposita. (Hæc facinus indignum) antè oppressa est, quam in numerum certorum hostium referretur. Critolaus caussa belli, qui libertate à Romanis data aduersus ipsos vsus est: Legatos & Romanos dubium an & manu, certè oratione violauit. Igitur Metello ordinanti tum maximè Macedoniam, mandata est vltio, & hinc Achaicum bellum, ac primam Critolai manum Metellus I. consul per patentes Elidis campos toto cecidit Alpeo. Et vno prælio peractum erat bellum tam & vrbem ipsam terrebat obsidio: sed fato rerum, cum Metellus dimi-

DCXI. * euersionis.

DCVII.

cesset, ad victoriam Mummius venit. Hic alterius ducis dignitate exercitum, sub ipsis Isthmi faucibus fudit, & geminos, portus sanguine infecit. Tandem ab incolis deserta ciuitas, direpta primum, deinde tuba praecinente deleta est. Quid signorum, quid vestium, quidve tabularum raptum, incensum, atque proiectum est? Quantas opes & abstulerit & cremauerit, hinc scias, quod quidquid Corinthij aris toto orbe laudatur, incendio superfuisse comperimus. Nam aris notam pretiosiorem ipsa opulentissimae vrbis fecit iniuria, quia incendio perustis plurimis statuis atque simulachris, aris, auri, argentiq; & vena in commune fluxere.

Res in Hispania gestæ.

CAPVT XVII.

Vt Carthaginem Corinthus, ita Corinthum Numantia secuta est. Nec deinde toto orbe quidquam intactum armis fuit. Post illa duo clarissima vrbium incendia, late atq; passim, nec per vices, sed simul pariter quasi vnum vndiq; bellum fuit, prorsus vt illa quasi agitantibus ventis diffudisse quaedam belli incendia, toto orbe viderentur. Hispania nunquam animus fuit aduersus nos vniuersa consurgere, nunquam conferre vires suas libuit, neq; aut imperium experiri, aut libertatem tueri suam publicè. Alioquin ita vndiq; mari Pyrenaeoq; vallata est, vt ingenio situs ne adiri quidem potuerit. Sed ante à Romanis obsessa est, quàm se ipsa cognosceret: & sola omnium prouinciarum vires suas, postquam victa est, intellexit. In hac propè ducentos per annos dimicatum est, à primis Scipionibus in Caesarem Augustum, non continuè nec coharenter, sed prout causa lacessierant. Nec cum Hispanis initio, sed cum Poenis in Hispania. Inde contagio & series causaq; bellorum. Prima per Pyrenaeum iugum signa Romana P. & Cn. Scipiones intulerunt, praelijsq; ingentibus Annonem & Asdrubalem fratrem Annibalis ceciderunt,

raptaq;

ras, atque erat impetu. Hispania, nisi fortissimi viri in DXLX.
ipsa sua victoria oppressi Punica fraude cecidissent, terra mariq́ue victores. Igitur quasi nouam integramque DXI.
Prouinciam vltor Patris & patrui Scipio ille mox Africanus inuasit. Isque statim capta Carthagine, & aliis vrbibus, non contentus Pœnos expulisse, stipendiariam nobis prouinciam fecit, omnem citra vltraque Iberum subiecit imperio: primusque Romanorum ducum victor ad Gados & Oceani oram peruenit. Plus est, prouinciam retinere, quàm facere. Itaque per partes iam huc iam illuc missi duces, qui ferocissimas, & ad id temporis liberas gentes ideo impatientes iugi, multo labore, nec incruentis certaminibus seruire docuerunt.
Cato ille Censorius Celtiberos, id est, robur Hispaniæ, DLIX.
aliquot præliis fregit. Gracchus pater ille Gracchorum,
eosdem C & L vrbium euersione multauit. Metellus DLXXV.
ille, cui ex Macedonia cognomen, meruerat Celtiberi- DCX.
*cus fieri, cum & * Contrebiam memorabili cepisset* *Trebe-
*exemplo, & * Vertobrigis maiore gloria pepercit. Lucul-* iam.
lus 2 Turdulos atque Vaccæos, de quibus Scipio ille po- DCXI.
sterior, singulari certamine eum à rege fuisset prouocatus, optima retulerat. 3 Decimus Brutus aliquanto la- * Nertobrigis.
tius Gallæcos atque omnes Gallaciæ populos, formida- DCII.
tumq́ue militibus flumen Obliuionis, peragratoq́ue vi- DCXIV.
ctos Oceani littore non prius signa conuertit, quam cadentem in maria solem, obrutumq́ue aquis ignem non sine quodam sacrilegij metu & horrore deprehendit.
Sed tota certaminum moles cum Lusitanis fuit & Nu- DCXXI.
mantinis, nec immeritò, quippe solis gentium duces contigerunt. Fuisset & cum omnibus Celtiberis, nisi dux illius motus initio belli oppressus esset. Summus vir astutia & audacia, si successisset Solundicus, qui hastam argenteam quatiens velut cœlo missam, vaticinanti similis omnium in se mentes conuerterat. Sed cum mari temeritate sub nocte castra consulis adisset, iuxta tentorium ipsum pilo vigilis exceptus est. Cæterum Lusitanos 4 Viriathus erexit vir calliditatis acerrimæ, qui DCIV.
ex venatore latro, ex latrone subitò dux atque Impe-

rator, & si fortuna cessisset, Hispania Romulus, non contentus libertatem suorum defendere, per quatuordecim annos omnia citra ultraque Iberum & Tagum ignigni ferroque populatus, castra etiam prætorum & *præsidium aggressus, Claudium Vnimanum pæne ad internecionem exercitus cecidisset, insignia trabeis & fascibus nostris quæ ceperat, in montibus suis tropæa fixisset. Tandem eum Fabius Maximus consul oppresserat: sed à successore Seruilio Capione violata victoria est, quippe qui conficiendæ rei cupidus fractum ducem, & extrema deditionis agitantem, per fraudem & insidias & domesticos percussores aggressus, hanc hosti gloriam dedit, vt videretur aliter vinci non potuisse.

DCVII.
*præsidium.
DCVIII.
DCXIII.

Bellum Numantinum.

Cap. XVIII.

DCXII. Numantia quantum Carthaginis, Capuæ, Corinthi opibus inferior, ita virtutis nomine & honore par omnibus, summumque si vires æstimes Hispaniæ decus: quippe quæ sine muro, sine turribus, modicè edito in tumulo apud flumen Durium sita, quatuor millibus Celtiberorum, XL. millium exercitum, per annos XIV. sola sustinuit, nec sustinuit modò sed sæuius aliquanto perculit pudendique fœderis vsus affecit. Nouissimè cum inuictam esse constaret, opus quoque eo fuit, qui Carthaginem euerterat. Non temere, si fateri licet, vllius causa belli iniustior, Segidenses socios & consanguineos, Romanorum manibus elapsos, exceperant, habita pro eis deprecatio nihil valuit; cum se ab omni bellorum contagione remouerent, in legitimi fœderis pretium iussi arma deponere. Hoc sic à barbaris acceptum, quasi manus abscinderentur. Itaque statim, Megara viro fortissimo duce ad arma conuersi. 1. Pompeium prælio aggressi fœdus tamen maluerunt, cum debellare potuissent. 2 Hostilium deinde Mancinum aggressi sunt,

sunt, hunc quoque assiduis cadibus ita subegerunt, vt DCXIII.
ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quisquā DCXVI.
sustinerent: tamen cùm hoc quoque fœdus maluere, con-
tenti armorum manubijs, cùm ad internecionem sauire potuissent. Sed non minus Numantini quàm Caudini illius fœderis flagrans ignominia ac pudore populus Romanus, dedecus quidem præsentis flagitij, deditione Mancini expiauit: caterum duce Scipione Carthaginis DCXX.
*incendijs ad excidia vrbium imbuto, tandem etiam in vltionem excanduit. Sed tunc acriùs in castris, quàm in campo nostro cum milite, quam cum Numantino prælianduin fuit. Quippe assiduis & iniustis, & seruilibus maximè operibus attriti ferre plenius vallum, qui arma nescirent: luto inquinari, qui sanguine nollent, iubebantur. Ad hoc scorta, calones sorcina nisi ad vsum necessaria amputantur. Tanti esse exercitum, quanti Imperatorem, verè proditum est. Sic redacto in disciplinam milite commissa acies: quodque nemo visurum se vnquam sperauerat, factum est, vt fugientes Numantinos quisque videret. Dedere etiam sese volebant, si toleranda viris imperarentur. Sed cùm Scipio veram vellet & sine exceptione victoriam, eò necessitatum compulsi primum, vt destinata morte in prælium ruerent, cum sese priùs epulis, quasi inferijs impleuissent, carnis semicruda & Calia sic vocant * indigena ex frumento potionem. Intellectum ab* * indigenam.
Imperatore consilium. itaque non est permissa pugna morituris, cum fossa atque lorica, quatuorque castris circumdatos fame premeret, ab duce orantes prælium, vt tanquam viros occideret. Sed vbi non impetrabant, placuit eruptio: sic conserta manu plurimi occisi, & cùm vrgeret fames, aliquantisper inde vixêre. Nouissimè consilium fugæ sedit, sed hoc quoque ruptis equorum cingulis vxores ademêre, summo scelere per amorem. Itaque etiam exitu deplorato, in vltimam rabiem furoremque conuersi postremò mori hoc genere destinarunt. Duces suos, seque patriamque ferro, & veneno,

subie-

subiectoque vndique igne peremerunt Mactę esse fortissimam, & meo iudicio beatissimam in ipsis malis ciuitatem asseruit cum fide socios, populum orbis terrarũ viribus fultum, sua manu, & ate tam longa sustinuit. Nouissimè maximo duce oppressa ciuitas, nullum de se gaudium hosti 3 reliquit. Vnus enim vir Numantinus non fuit, qui in catenis duceretur: præda vt de pauperibus nulla arma cremauerant. Triumphus fuit tantùm

DCXXI. *de nomine.*

Anacephalæosis.

Caput XIX.

Hactenus populus Rom. pulcher, egregius, pius, sanctus atque magnificus. Reliqua sæcula vt grandia æquè, ita vel magis turpida & fœda, crescentibus cum ipsa magnitudine imperij vitijs: adeò vt si quis hanc tertiam eius ætatem transmarinarum, quam ducentorum annorum fecimus, diuidat, centum hos priores, quibus Africam, Macedoniam Siciliam, Hispaniam domuit, aureos (sicut poetæ canunt) iure meritoque fateatur: centum sequentes, ferreos planè & cruentos, & si quid immanius: quippe qui Iugurthinis, Cimbricis, Mithidaticis, Parthicis bellis, Gallicis atque Germanicis, quibus cœlum ipsum gloria ascendit; Gacchanas, Drusianasque cædes, adhæc seruilia bella miscuerunt: & ne quid turpitudini deesit, gladiatoria, denique, in se conuersus, Marianis atque Syllanis, nouissimè Pompeij & Cæsaris manibus quasi per rabiem, & furorem, & nefas, semet ipse lacerauit. Quæ etsi inuoluta inter se sunt omnia atque confusa, tamen quo melius appareant, simul & ne scelera virtutibus obstrepant, separatim proferentur. Priusque vt capimus, iusta illa memorabimus, & pia cum exteris gentibus bella vt magnitudo crescentis in dies imperij appareat. Tum ad illa ciuium scelera, turpe que & impias pugnas reuertemur.

Bellum

Bellum Asiaticum, cum Aristonico.

CAP. XX.

Victa ad occasum Hispania, populus Rom. ad orientem pacem agebat, nec pacem modò sed inusitata & incognita quadam felicitate, relicta regijs hereditatibus opes & tota in simul regna veniebant. Attalus rex DCXX.
Pergamenorum regis Eumenis filius, socij quondam cõmilitonisque nostri, testamentum reliquit: Populus Rom. bonorum meorum hares esto. In bonis regis hæc fuerunt. Adita igitur hereditate, prouinciam populus Rom. non quidem bello, nec armis, sed (quod est æquius) testamenti iure retinebat. Sed hanc difficilè dictu est, vtrum facilius amiserit populus Romanus, an recuperauerit. Aristonicus regij sanguinis ferox iuuenis, vrbes regibus parere consuetas, partim facilè solicitat paucas resistentes, Mindum, Samon, Colophonem vi recepit. Crassi quoque proconsulis eccidit exercitum, i. DCXXII
psumque cepit. Sed ille memor & familia & Romani nominis, custodem sui barbarum virgula excæcat in exitium sui, quod volebat, ita concitat. 1 Mox à Per- dcxxiii.
perna domitus & captus, & per deditionem in vinculis habitus. M. Aquillius Asiatici belli reliquias confe- DCXIV.
cit, mixtis, nefas, veneno fontibus ad deditionem quarundam vrbium qua res vt maturam, ita infamem fecit victoriam: quippe cùm contra fas deúm, moresque maiorum, medicaminibus impuris in id tempus sacrosancta Romana arma violasset.

L. FLORI HISTORIARVM LIB. III.

Bellum Iugurthinum.

CAPVT I.

DCXLII. HÆC ad Orientem. Sed non ad Meridionalem plagam eadem quies. Quis speraret ad Carthaginem aliquod in Africa bellum? Atqui non leuiter se * Numidia cōcussit, & fuit in Iugurtha, quod post Annibalem timeretur. Quippe rex callidissimus pop. Rom. armis inclytum, & inuictum opibus aggressus est, & citra spem omnium fortuna cessit, vt rex fraude præcipuus, fraude caperetur. Hic auo Massinisa, & Micipsa patre per adoptionem, cùm interficere fratres statuisset, agitatus regni cupiditate, nec illos magis quàm senatum populumque Romanum, quorum in fide & clientela regnum erat, metueret primum scelus mandat insidijs: potitusque Hiempsalis capite, cum se in Adherbalem conuertisset. isque Romam profugisset, missa per legatos pecunia traxit in sententiam suam senatum. Et hæc fuit de nobis eius prima victoria. Missos deinde qui regnum inter illum Adherbalemque diuiderent, similiter aggressus, cum in Scauro ipsos Romani imperij mores expugnasset, inchoatum nefas perfecit audacius. Sed diu non latent scelera. Corrupta nefas legationis erupit, placuitque bello persequi parricidiam. Primus in Numidiam Calpurnius Bestia consul immittitur. Sed rex * præmonitus fortius ad-

* Numida.

DCXLII. uersus Romanos aurum esse, quàm ferrum, pacem emit.

* petitus. Cuius flagitij reus cùm interueniente publica fide à senatu

senatu accersiretur pari audacia & venit, & competitorem imperij Massinissa nepotem Massiuam, immisso percussore confecit. Hac altera contra regem fuit caussa bellandi. Igitur sequens vltio mandatur Albino. Sed huius quoque (prò dedecus) ita corrupit exercitum, vt voluntaria nostrorum fuga vinceret Numida, castrisque potiretur: addito etiam turpi fœdere in pretium salutis, quem, quod priùs emerat, dimisit exercitum. Eodem tempore in vltionem non tam imperij Romani, quàm pudoris, Metellus assurgit, qui callidissimè hostem nunc precibus, nunc minus iam simulata quasi vera fuga eludentem artibus suis aggressus est. Agrorum atque vicorum populatione non contentus, in ipsa Numidia capta impetum fecit, & Zamam quidem frustra diu voluit. Cæterum Thalam, grauem armis thesauroque regis, diripuit. Tunc vrbibus exsutum regem, etiam finium suorum regnique fugitiuum per Mauros atq; Gatuliam sequebatur. Postremò Marius auctis admodum copijs, cum pro obscuritate generis sui 1 capite censos sacramento adegisset, ita fusum & saucium regem adortus, non facilius tamen vicit, quam si integrum & recentem. Hic & vrbem Herculi conditam Capsam in media Africa sitam, anguibus arenisque vallatam, mira quadam felicitate superauit, & saxeo inditam monti Mulucham vrbem per Ligurem aditu arduo inaccessoque penetrauit mox non ipsum modò, sed Bocchum Mauritaniæ regem, iure sanguinis Numidam vindicantem, apud oppidum Cirtam grauiter cecidit. Qui ibi diffisus rebus suis, alienæ cladis accessio ne fieret timet, pretium fœderis atque amicitiæ regem facit. Sic fraudulentissimus regum, fraude 2 soceri sui insidias deductus est, & Sulla in manum traditus. Tandemque opertum cæteris 3 Iugurtham in triumpho populus Romanus aspexit: sed ille quoque quamuis victus & vinctus vidit vrbem quam venalem, & quandoque perituram, si habuisset * Iam. emtorē, frustra cecinerat * Tamē vt venalis fuisset habuit

dcxliix.

dcxliv.

dcxlvi.

dcxlix.

buit emptorem, & cùm ille non euaserit, certum erit eam non esse perituram.

Bellum Allobrogicum.

Capvt II.

dcxxviij. *Sic ad Meridiem populus Romanus. Multo atrociùs & multipliciter magis & à Septemtrione sauitum nihil hac plaga infestius: atrox calum, peruicaci ingenio. Omni igitur tractu violentus hostis à dextris atque lauis, & medio Septemtrionis erupit. Prima trans Alpes*

*Saluij. *arma nostra sensere * Salyi, cùm de incursionibus eorũ*

dcxxix. *fidissima atque amicissima ciuitas Massilia quererentur: i Allabrogos deinde, & Aruerni cùm aduersus eos, similes Æduorum querelæ opem & auxilium nostrum flagitarent. Varus victoriæ testis Isaraque & Vindelicus * amnis & impiger fluminum Rhodanus. Maximus barbaris terror elephanti fuêre, immanitati gentium pares. Nil tam conspicuum in triumpho, quàm rex ipse * Bituitus discoloribus in armis, argenteoque carpento, qualis pugnauerat. Vtriusque victoriæ quod quantumque gaudium fuerit vel hinc existimari potest, quòd & Domitius * Ænobardus, & Fabius Maximus ipsis quibus dimicauerant locis saxeas erexere turres, & desuper exornata armis hostilibus 2 tropæa fixêre: cum hic mos inusitatus fuerit nostris. Nunquam enim populus Romanus hostibus domitis suam victoriam exprobrauit.*

* Amnes

*Vel Bellus. dcxxxi.

* Aheno barbus.

dcxxx ii.

Bellum Cimbricum, Theutonicum, ac Tigurinum.

Capvt III.

DC XL. *Cimbri, Theutones, atque Tigurini ab extremis Galliæ profugi, cùm terras eorum inundasset Oceanus, nouas sedes toto orbe quærebant: excluſique Gallia & Hispania, cùm in Italiam remigrarẽt, miserunt legatos in*

in castra Silani, inde ad senatum, petentes vt * Martius populus aliquid sibi terra daret quasi stipendium: cæterùm vt vellet manibus atque armis suis vteretur. Sed quas daret terras populus Romanus agrarijs legibus inter se dimicaturus? Repulsi igitur, quod nequiuerant precibus, armis petere constituunt. Sed nec primum impetum barbarorum Silanus, nec secundum Manilius, nec tertium Capio sustinere potuerunt. Omnes fugati, exsuti castris. Actum erat nisi Marius illi sæculo contigisset. Ille quoque non ausus congredi statim, militem tenuit in castris, donec inuicta illa rabies & impetus, quem pro virtute barbari habent conseneſceret. Recessere igitur increpantes, & (tanta erat capiendæ vrbis fiducia) consulentes si quid ad vxores suas mandarent. Nec segnius quam minati fuerãt, tripartito agmine per Alpes, id est, claustra Italiæ ferebantur. Marius mira statim velocitate occupatis compendijs præuenit hostem, prioresque Theutonas sub ipsis Alpium radicibus assecutus, in loco quem Aquas Sextias vocant, quo, fides numinum! prælio oppressit! Vallem fluuiumque hostes tenebant; nostris aquarum nulla copia consultone id egerit Imperator; an errorem in consilium verterit, dubium. certè necessitate acta virtus, caussa victoriæ fuit. Nam flagitãte aquã exercitu, Viri, inquit, estis: en illic habetis. Itaque tanto ardore pugnatum est, eaque cædes hostium fuit, vt victor Romanus de cruẽto flumine non plus aqua biberit, quam sanguinis barbarorum. certè rex ipse Theutoboccus quaternos senosque equos transilire solitus, vix vnum cum fugeret ascendit, proximoq; in saltu comprehensus, insigne spectaculum fuit; quippe vir proceritatis eximiæ super Tropæa ipsa eminebat. Sublatis funditus Theutonis, in Cimbros conuertitur. Hi iam (quis crederet?) per Hiemem, qua altius Alpes leuat, à Tridentinis iugis in Italiã profluenti ruina descenderant. Athesim flumen nõ ponte nec nauibus, sed quadã soliditate barbarica; primũ corporibus aggressi; postquã retinere amnem manibus, & clypeis frustrã

*Populus R. dcxliv. dcxlviij; DCLI. DCLIII.

stra tentauerant, ingesta obrutum silua transiluere: & si statim infesto agmine vrbem petissent, grande discrimen esset: sed in 3 Venetia, quo ferè tractu Italia mollissima est, ipsa soli calique clementia robur elanguit. Ad hoc panis vsu carnis cocta & dulcedine vini mitigatos Marius in tempore aggressus est. Iam diem pugna à Mario Imperatori petierunt, & sic proximum dedit. In patientissimo quem Caudium vocant, campo concurrere, millia inde cxl. ceciderunt, hinc tertio minus: per totum diem conciditur barbarus. Isti quoque Imperator addiderat virtuti dolum, secutus Annibalem, artemq; Cannarum. Primùm nebulosum nactus diem, vt hosti inopinatus occurreret: tum ventosum quoque, vt puluis in oculos & ora ferretur: tum acie conuersa in Orientem vt quod ex captiuis mox cognitum est, ex splendore galearum, ac repercussu; quasi ardere cælum videretur.

DCLII. Nec minor cum vxoribus eorum pugna quam cum ipsis fuit, cum obiectis vndique plaustris atque carpentis alta desuper quasi è turribus lanceis contisque pugnarent. Perinde speciosa mors earum fuit, quam pugna. Nam cùm missa ad Narium legatione libertatem ad sacerdotium non impetrassent (nec fas erat) suffocatis elisisque passim infantibus suis aut mutuis concidere vulneribus aut vinculo è crinibus suis facto, ab arboribus iugisque plaustrorum pependerunt. Beleus rex in acie dimicans impigre nec inultus ocubuit. Tertia Tigurinorum manus, qua quasi in subsidio Noricos inderat Alpium tumulos, in diuersa lapsi, fugo ignobili & latrocinijs euanuit. Hunc tam latum tamque felicem libertatis Italiæ assertique imperij nuntium, non per homines, vt solebat populus accepit, sed per ipsos (si credere fas est) deos. Quippe eodem die quo gestares est, visi pro æde Castoris & Pollucis iuuenes laureati prætori litteras dari frequensque in spectaculo rumor victoriæ Cimbricæ feliciter dixit. Quo quid admirabilius quidque insignius fieri potest? Quippe velut elata montibus suis Roma, spectaculo belli interesset, quod in gladia-

gladiatorio munere fieri solet, vno eodemque momento cùm in acie Cimbri occumberent, populus in vrbe plaudebat.

Bellum Thracium.

CAPVT IV.

Post Macedonas (si dijs placet) Thraces rebellabant ipsi quondam Tributarij Macedonum: nec in proximas modò prouincias contenti incurrere, Thessaliam atque Dalmatiam, in Adriaticum mare vsque venerunt eoque fine contenti quasi interueniente natura, contorta in ipsas aquas tela miserunt. Nihil interim per id omne tempus residuum crudelitatis fuit in captiuos sauientibus. Litare dijs sanguinem humanum, bibere in ossibus capitum, & huiuscemodi ludibrio fœdare mortem tam igni quàm fumo: partus quoque grauidarum extorquere tormentis. Sauissimi omnium Thracium 1 Scordisci fuere: sed calliditas quoque ad robur accesserat. Siluarum & montium situs cum ingenio consentiebat. Itaque non fusus modo ab his, aut fugatus, sed similе prodigio omnino totus interceptus exercitus quem duxerat 2 Cato, Didius vagos, & libera populatione diffusos, intra suam repulit Thraciã. 3 Drusus vlterius egit, & vetuit transire Danubium. 4 Minucius toto vastauit Æbro, multis quidem amissis, dum per perfidũ glacie flumen equitatur. Piso 5 Rhodopen Caucasumque penetrauit. 6 Curio Dacia tenus venit, sed tenebras saltuum expauit 7 Appius in Sarmatas vsque peruenit. 8 Lucullus ad terminum gentium Tanaim lacumque Mæotim. Nec aliter cruentissimi hostium, quàm suis moribus domiti: quippe in captiuos igne ferroque sauitum est. Sed nihil Barbaris atrocius visum est, quam quod abscissis manibus relicti, viuere superstites pœna sua videbantur.

DCIXI. DCXLI. DCXLII. DCX III. dclxxxi. dclxxvi. dclxxxii

Bellum Mithradaticum.

Caput V.

Pontica gentes ad Septemtrionem in mare 1 sinistrum
DCLIX. iacent, à Pontico cognominata mari. Harum gentium atque regionum rex antiquissimus Atheas, post Artabazes, à 2 septem Persis oriundus. Inde Mithridates omnium longè maximus. quippe cùm quatuor Pyrrho,
XVII. anni Annibali suffecerint, ille per quadraginta annos restitit, donec tribus ingentibus bellis subactus, felicitate Sullâ, virtute Luculli magnitudine Pompeij consumeretur. Causam quidem illius belli prætenderat apud 3 Cassium legatum attrectari terminos suos à Nicomede Bithynico. Ceterum elatus animis ingentibus Asia totius, & si posset, Europæ cupiditate flagra-
dclxii. bat. Spem ac fiduciam dabant nostra vitia. Quippe cũ
dclxiii. ciuilibus bellis disiungeremur, inuitabat occasio, nu-
dclxiv. dumque imperij latus ostendebant 4 procul Marius, Sulla, Sertorius. Inter hæc Reipub. vulnera, & hos tumultus, repentè quasi captato tempore, in lassos simul atque districtos subitus turbo Pontici belli ab vltima veluti specula Septemtrionis erupit. Primus statim impetus belli Bithyniam rapuit. Asia deinde pari terrore
dclxv. correpta est. Nec cunctanter ad regem ab vrbibus no-
dclxvi. stris populisque desciturn est. Aderat instabat, sæuitia quasi virtute vtebatur. Nam quid atrocius vno eius edicto, cum omnes qui in Asia forent Romanæ ciuitatis 5 homines interfici iussit? Tum quidem domus templa, & ara, humana omnia atque diuina iura violata sunt. Sed hic terror Asiæ, Europam quoque regi aperiebat. Itaque missis Archelao Neoptolemoq; præfectis excepta 6 Rhodo, quæ pro nobis firmius stetit cæteris, Cyclades, Delos, Eubœa, & ipsum Græciæ decus Athenæ, tenebantur. Italiam iam ipsamque vrbem Romam regius
dclxvii. terror afflabat. Itaque L. Sulla festinat, vir armis optimus, parique violentia ruentem vlterius hostem,

manu

mana quadam quasi ipsius, repulit. Primumque Athenas vrbem (quis crederet) frugum parentem, obsidione ac fame ad humanos cibos compulit, mox subruto 7 Pyræi portu, sex quoque & amplius muris postquam domuerat ingratissimos hominum, vt ipse dixit in honorē tamen mortuorum sacris suis famaque donauit. Mox cùm Euboea atque Bœotia præsidia regis dispulisset, omneis copias, vno apud 8 Charoneā, apud 9 Orchomenon altero bello dissipauit: statimq; in Asiam transgressus, ipsum opprimit: & debellatū etiam foret, nisi de 10 Mithridate triumphare citò, quam verè maluisset. Actum quidem hunc Asiæ statum Sulla dederat. Ictum cum Ponticis fœdus: recepit Bithiniam à rege Nicomede, ab Ariobarzane Cappadociā: ac si erat Asia rursus nostra, vt cœperat: Mithridates tantùm repulsus. Itaq; non fregit eas res Ponticos, sed incendit. Quippe rex Asiæ & Europæ quodammodo inescatus, non tam quasi alienam, sed quia amiserat quasi captam belli iure repetebat. Igitur vt extincta parum fideliter incendia maiore flamma reuiuiscunt: ita ille 11 de integro auctis matrem in modum copijs, tota deniq; regni sui mole in Asiam rursus mari, terra, fluminibusq; veniebat. 12 Cyzicum nobilis ciuitas, arce, mœnibus, portu, turribusque marmoreis, Asiatica plaga littora illustrat. Hanc ille quasi alteram Romam toto inuaserat bello. Sed fiduciam oppidanis resistendi nuntius fecit, docens aduentare Lucullum, qui horribile dictu, per medias hostium naues vtro suspensus & pedibus iter ad gubernans, videntibus procul quasi marina pistrix euaserat. Mox clade conuersa, cùm ex mora obsidentem regem, & ex fame pestilentia vrgeret, recedentem Lucullus assequitur, adeoque cecidit, vt Granicus & Æsapus amnes cruenti redderētur 13 Rex callidus Romanaque auaritiæ peritus, spargi à fugientibus sarcinas & pecuniam iussit, qua sequentes moraretur. Nec felicior in mari quam in terra fuga. Quippe centum amplius nauium classem, apparatumque belli grauem, in

dclxvii. dlcxix. dclxxix. dclxxx.

Pontico mari aggressa tempestas, tam fada strage lacerauit, vt naualis belli instar efficeret, quasi Lucullus, quodam cum fluctibus procellisque commercio, debellandum tradidisse regem ventis videretur. Attrita iam omnes validissimi regni vires erant, sed animus malis augebatur. Itaque conuersus ad proximas gentes, totum
dclxxxv. *pene Orientem ac septemtrionem ruina sua inuoluit. Iberi, Caspij, Albani, & vtraque solicitabantur Armenia, perque omnia & decus & nomen & titulos Pompeio, sua fortuna quærebat. Qui vbi nouis motibus ardere Asiam videt, alioque ex alijs prodire reges, nihil cunctandum ratus, priusquam inter se gentium robora coirent, statim ponte nauibus facto, omnium ante se primus transit Euphratem, regemque fugientem media nactus Armenia (quanta felicitas viri!) vno prælio confecit. Nocturna ea dimicatio fuit, & 14 luna in partibus: quippe quasi commilitans, cùm à tergo hostibus, à facie Romanis se præfuisset, Pontici per errorem longius cadentes vmbras suas quasi hostium corpora petebant. Et Mithradates quidem nocte illa debellatus est. Nihil enim postea valuit quanquam omnia expertus, more anguium, qui obtrito capite, postremum cauda minantur. Quippè cùm effugisset hostem, Colchos, Cilicia quoque littora & Campaniam nostram subitò aduentu terrere voluit: mox subruto Pyræi portu, Colchis tenus iungere Bosporon, inde per Thraciam, Macedoniam, & Græciam transilire sic Italiam nec opinato inuadere tantùm cogitauit. Nam*
dcxc. *per defectionem ciuium, Pharnacisque filij scelere præuentus, malè tentatum 15 veneno spiritum ferro expulit. Cn. interim Magnus rebelles Asiæ reliquias sequens, per diuersa gentium terrarumq; volitabat. Nam sub orientem secutus Armenios, captis ipso capite genis. Artaxatis supplicem iussit regnare Tigranem. At in Septrionem Scyticum iter tanquam in mari stellas secutus, Colchos cecidit ignouit Iberiæ, pepercit Albanis; regem Colchorum Orodem, positis sub ipso Caucaso castris,*

castris, iussit in planã descendere: Artocem qui Iberis imperabat & obsides liberos dare: Orodem etiam remuneratus est, ultrò ab Albania sua lectulum aureum & alia dona mittentem: necnon & in Meridiem verso agmine, Libanum Syriæ Damascumque transgressus, per nemora illa adorata, per thuris & balsami siluas Romana signa circumtulit. Arabes, si quid imperaret, præsto fuere. Hierosolyma defendere tentauere Iudæi: verùm hac quoque & intrauit & vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens sub aureo vti cælo. Dissidentibus de regno fratribus arbiter factus, regnare iussit Hircanum. Aristobulo, quia renuebat eã rem, catenas dedit. Sic Pompeio duce populus Romanus totam quà latissima est Asiam peruagatus, quam extremam imperij habebat prouinciam, mediam fecit. Exceptis quippe Parthis, qui fœdus maluerunt, & Indis, qui adhuc nos non nouerant, omnis Asia inter Rubrum & Caspium & Oceanum Pompeianis domita vel oppressa signis tenebatur. DCXII.

Bellum Piraticum.

CAPVT VI.

Interim dum populus Rom. per diuersa terrarum distractus est, 1 Cilices inuaserant maria, sublatisque commercijs, rupto fœdere generis humani, sic mariabello, quasi tempestate, præcluserant. Audaciam perditis furiosisque latronibus dabat inquieta Mithradatici præsidij Asia, dum sub alieni belli tumultu, exteriique regis inuidia impunè grassantur: ac primum duce Isidoro contenti proximo mari, Cretam inter atque Cyrenas * Piræum & Achaiam sinumque Æaleum, * quem à spolijs aureum ipsi vocauere, latrocinabantur. Missusque in eos P. Seruilius, quamuis leues & fugaces 2 Myoparonas, graui & Martia classe turbaret, non incruenta victoria superat. Sed nec mari submouisse contentus, validissimas vrbes eorum & diu-

*Piræum supereſt. *quod. DCLXXIV.

& diuitna præda abundantes, 3 Phaselim & Olympon euertit, Isauronque ipsam arcem Cilicia, vnde consciasi sibi magni laboris, Isaurici cognomen adamauit.

dclxxix. Non ideo tamen tot cladibus domiti, terra se continere potuerunt: sed vt quadam animalia quibus aquam terramque incolendi gemina natura est, sub ipso hostis recessu impatientes soli in aquas suas resiluerunt, & aliquanto latius quam prius. Sic ille quoque ante felix, dignus nunc victoria Pompeius visus est, & Mithradatica prouincia facta accessio. Ille dispersam to-

dclxxxvi to mari pestem semel & in perpetuum volens extinguere, diuino quodam apparatu aggressus est. Quippe 4 cùm classibus suis & socialibus Rhodiorum abundaret, pluribus legatis atque prafectis vtraque Ponti & Oceani ora complexus est. Gellius Tusco mari impositus, Plotius Siculo: Gratillus Liguſtinum sinum, M. Pomponius Gallicum obsedit, Torquatus Balearicum, Tiberius Nero Gaditanum fretum qua primum maris nostri limen aperitur: Lentulus Libycum, Marcellinus Ægyptium, Pompeij iuuenes Adriaticum, Varro Terentius Ægæum & Ponticum, & Pamphylium Metellus, Asiaticum Capio, ipsas propontidis faucis Porcius Cato sic obditis nauibus, quasi portam obseruauit. Sic per omnis æquoris portus, sinus, latebras, recessus promontoria freta peninsulas quidquid piratarum fuit, quadam indagine inclusum & oppressum est. Ipse Pompeius in originem fontemq; belli Ciliciam versus est. Nec hostes detrectauere certamen, non ex fiducia, sed quia oppressi erant, ausi videbantur: sed nihil tamen amplius, quàm vt ad primum ictū concurrerent. Mox vbi circumfusa vndique rostra viderunt, abiectis statim telis remisso, plausu vndique pari, quod supplicantibus signum fuit, vitam petiuerunt. Non alia tam incruenta victoria vsi vnquam sumus, sed nec fidelior in posterum reperta gens vlla est. Idque prospectum singulari consilio ducis, qui maritimū genus à conspectu lōge remouit maris, & mediterraneis agris quasi obligauit.

Eodem-

Eodemq; tempore & vsum maris nauibus recuperauit, & terra homines suos reddidit. Quid prius in hac mirere victoria? velocitatem, 5 quod XL. die parta est? an felicitatem, quòd ne vna quidem nauis amissa est? an verò perpetuitatem, quòd amplius pirata non fuerunt?

Bellum Creticum.

CAPVT VII.

*Creticum bellum si vera volumus noscere nos fecimus bona vincendi nobilem insulam cupiditate. Fauisse Mithradati videbatur, hoc placuit armis vindicare. Primus inuasit insulam M. Antonius, cùm ingenti quidem victoria spe atque fiducia, adeò vt plureis catenas in nauibus quam arma portaret. Dedit itaq; pœnas vecordiæ: nam plerasq; naues intercepere hostes. captiuaq; corpora religata velis ac funibus pependere ac sic velificantes triumphantium in modum Cretes portibus suis adremigauerunt. Metellus deinde totam insulam igni ferroq; populatus, intra castella & vrbes redegit, & *Gnoson, & *Erythraam, & vt Graci dicere solent) vrbium matrem Cydonam: adeoq; sauè in captiuos consulebatur, vt veneno se pleriq; conficerent, alij deditionem suam ad Pompeium absentem mitterent. Et cùm ille res in Asia gerens, eò quoq; præfectum misisset Octauium, in aliena prouincia irrisus fuit; eoq; infestius Metellus in hostes ius victoris exercuit, victisq; Lasthene & Panare Cydona ducibus, victor redit, nec quidquam amplius tamen de tam famosa victoria, quam cognomen Creticum reportauit.* dcxxcv. dcxxcv. *Gnossũ. *Eleutheram. dcxxcvi. dcxci.

Bellum Balearicum.

CAPVT VIII.

Quatenus Metelli Macedonici domus bellicis nominibus assueuerat, altero ex liberis eius Cretico facto, dcxxx.

mora non fuit quin alter quoq; Balearicus vocaretur. Baleares per idem tempus insula piratica rabie corruperant maria. Homines feros atq; siluestres mireris ausos à scopulis suis saltem maria prospicere. Ascendere etiam inconditas rates, & prænauigantes subinde inopinato impetu terruere. Sed cum venientem ab alio Romanam classem prospexissent, prædam putantes ausi etiam occurrere: & primo impetu ingenti lapidum saxorumq; nimbo classem operuere. Tribus quidq; fundis præliatur. Certos esse quis miretur ictus, cum hæc sola genti arma sint, id vnum ab infantia studium? Cibum puer à matre non accipit, nisi quem ipsa monstrante percussit. Sed non diu lapidatione Romanos terruere. Postquam comminus ventum est, expertiq; rostra, & pila venientia, pecudum in morem clamore sublato petierunt fuga littora, delapsiq; in proximos tumulos, quærendi fuerunt vt vincerentur.

Expeditio in Cypron.

CAPVT IX.

DCXCVII. *Aderat fatum insularum. Igitur & Cypros recepta sine bello insulam veteribus diuitijs abundantem, & ob hoc Veneri sacram, Ptolemæus regebat: & diuitiarum tanta erat fama, nec falsò, vt victor gentium populus, & donare regna consuetus, P. Clodio Tribuno plebis duce, socij viuiq; regis confiscationem mandauerit. Et ille quidem ad rei famam veneno fata præcepit. Cæterum porcius Cato Cyprias opes Liburnis per Tiberinum ostium inuexit, quæ res latius ærarium populi Romani quàm vllus triumphus impleuit.*

Bellum Gallicum.

CAP. X.

DCXCV. *Asia Pompeij manibus subacta, reliqua quæ restabant in Europa fortuna in Cæsarem transtulit. Restabant autem immanissimi gentium, Galli atq; Germani: &*

ni: & quamuis toto orbe diuisa, tamen qui vinceret, habuit Britannia. Primus Galliæ motus ab Heluetijs cœpit, qui Rhodanum inter & Rhenum siti, non sufficientibus terris venêre sedes petitum, incensis mœnibus suis: hoc sacramentum fuit, ne redirent. Sed petito tempore ad deliberandum, cùm inter moras Cæsar 3 Rhodani abscisso abstulisset fugam, statim bellicosissimam gentem sic in sedes suas, quasi greges in stabula pastor, deduxit. 4 Sequens longè cruentior pugna Belgarum, DCXCVI. quippe pro libertate pugnantium. Hic cùm multa Romanorum militum insignia, tum illud egregium ipsius ducis, quòd nutante in fugam exercitu, rapto fugientis è manu scuto, in primam volitans aciem manu prælium restituit. 5 Inde cum Venetis etiam nauale bellum DCXCVII. sed maior cum Oceano quàm cum ipsis nauibus rixa. Quippe illa rudes & informes, & statim naufraga rostra sensissent, sed harebat in vadis pugna, cum æstibus solitis cum ipso certamine subductus. Oceanus intercedere bello videretur. Illæ quoque accessêre diuersitates pro gentium locorum, natura. Aquitani callidum genus in speluncas se recipiebant: iussit includi, Morini dilabebantur in siluas: iussit incendi. Nemo tantùm feroces dixerit Gallos, fraudibus agunt. Inducimarus Treuiros, 6 Ambiorix conuocauit Eburones: vtrique absente Cæsare coniuratione facta inuenêre legatos. Sed ille fortiter à T. Labieno summotus est, relatumq; regis caput. Hic, insidijs in valle dispositis, dolo perculit itaque & castra direpta sunt, & aurum ablatum. Cottam cum Titurio Sabino legato ibi amisimus. Nec vlla de rege mox vltio: quippe perpetua trans Rhenum fuga latuit. Nec Rhenus ergo immunis: nec enim fas erat vt liber esset receptator hostium atque defensor: sed prima contra Germanos illius pugna iustissimis quidem ex caussis. Sequani enim de incursionibus eorum querebantur. Qua 7 Arioui sti regis superbia? Cùm legati dicerent, Veni ad Cæsarem: Quis autem est Cæsar? & si vult veniat, inquit, & quid ad illum

DCXCIX.

DCXCVIII.

illum quid agat nostra Germania? num ego me interpono Romanis? Itaq; tanti is gentis noua terror in castris, vt testamenta passim in 8 principijs scriberentur. Sed illa immania corpora quo erant maiora, eò magis gladijs ferroq; patuerunt. Qui calor in præliando militum fuerit, nullo magis exprimi potest, quàm quod elatis super scutis cum se veluti 9 testudine barbarus tegeret, super ipsa Romani scuta salierunt, & inde in iugulos gladijs descendebant. Iterum vbi de 10. Germanis Menapij querebantur, hic verò iã Cæsar vltra Mosam nauali ponte transgreditur, ipsumq; Rhenũ & Hercinijs hostẽ quærit in siluis. Sed in saltus & paludes genus omne diffugerat, tantum pauoris incussit intra ripam subitò Romana vis: nec semel Rhenus, sed iterum quoque, & quidem ponte facto, penetratus est. Sed maior aliquanto trepidatio, quippe cùm Rhenum suum sic ponte quasi iugo captum viderent, fuga rursus in syluas & paludes: & quod acerbissimum 11 Cæsari fuit non fuere qui vincerentur. Omnibus terra mariq; captis, respexit Oceanum, & quasi hic Romanis orbis non sufficeret, alterum cogitauit. Classe igitur comparata. Britanniam petit. In Britanniam transit mira celeritate: quippe cùm tertia vigilia Morino soluisset à portu, minus quam medio die insulam ingressus est. Pena erant tumultu hostico littora, & trepidantium ad conspectum rei nouæ carpenta volitabant. Itaq; trepidatio pro victoria fuit: arma & obsides accepit à trepidis: & vlterius esset, nisi improbam classem naufragio castigasset Oceanus. Reuersus igitur in Galliam, classe maiore, auctisq; copijs in eundem rursus Oceanum, eosdemq; rursus Britannos Calidonias secutus in siluas, vnum quoque è regibus *Cauelianum in vincula dedit. Contentus his (non enim prouincijs, sed nomini studebatur) cum maiore quàm priùs præda reuectus est ipso quoque Oceano tranquillo magis & propitio, quasi imparem se fateretur. Sed maxima omnium eademq; nouissima coniuratio fuit 12 Galliarum: cum omnes

dcxc. xl.

*Cauelanis.

omnes pariter Auernos atque Biturigas, Carnutas si- DCCI.
mul, Sequanosq; contraxit. Ille corpore, armis, spiritu q;
terribilis, & nomine etiam quasi terrori composito;
Vercingentorix: ille festis diebus & comitialibus, cum
frequentissimos in lucis haberet, ferocibus dictis ad ius
pristinum libertatis erexit. Aberat tunc Cæsar Rauen-
na delectum agens & hieme creuerant Alpes, sic inter-
clusum putabant iter. Sed ille qualis erat ad nuntium
rei felicissimæ temeritatis? Per 13 inuios ad id tempus
montium tumulos per intactas vias & niues expedita
manu immensus, occupat Galliam, ex distantibus hi-
bernis castra contraxit, & ante in media Gallia fuit,
quàm ab vltima timeretur. Tum ipsa capita belli ag-
gressus, vrbes, 14 Auaricum tum quadraginta milli-
bus propugnantium sustulit, 15. Alexiam, ducentorum
quinquaginta millium iuuentute subnixum, flammis
adæquauit Cireca 16 Gergouiam tota belli moles fuit:
quippe quam cum LXXX. millia muro & arce & ab-
ruptis defenderent, maximam ciuitatem vallo, sudi-
bus, & fossa, inductoq; fossa flumine, ad hoc XVIII. ca-
stellis, ingentiq; quasi loricam circumdatam primùm
fame domuit mox audentem eruptiones, in vallo gla-
dijs sudibusq; concidit: nouissimè in deditionem rede-
git. Ipse ille rex, maximum victoriæ decus, supplex cùm
in castra veniisset, tum & phaleras & sua arma ante
Cæsar; is genua protecit. Habes, inquit fortem virum,
vir fortissime, vicisti.

Bellum Parthicum.

CAPVT XI.

Dum Galles per Cæsarem in Septentrione debellat, DCXCIIX.
interim ad Orientem graue vulnus à Parthis populus
Roman. accipit. Nec de fortuna queri possumus caret
solatio clades. Aduersa & dijs & hominibus cupiditas
consulis Crassi dum Parthico inhiat auro 1 strage XI.
legionem & ipsius capite multata est, quòd tribunus

plebis

plebis 2 Metellus exeuntem ducem hostibus diris deuouerat: & cum 3 Zeugma transisset exercitus, rapta subitis signa turbinibus hausit Euphrates: & cum apud Nicephorium castra potuisset, missi 4 ab Orode rege legati denuntiauêre percussorum cum Pompeio fœderum, cum Sylla q̃ meminissêt. Regijs inhians ille thesauris, nihilne imaginario quidem iure, sed Seleucia se responsurum esse respondit. Itaq̃ dij fœderum vltores, nec insidijs nec virtuti hostium defuerunt. Iam primùm qui solus & subuehere commeatus & munire poterat, a tergo relictus Euphrates, tum simulato transfuga cuidam 4. Maxara Syro creditur, cùm in mediam camporum vastitatem eodem duce ductus exercitus, vndique hosti exponeretur. Itaque vix dum venerat 5.
Dcc. Garras, cùm vndiq̃ præfecti regis Sillaces & Surena ostendere signa auro sericeisq̃ vexillis vibrantia. Tum sine mora circumfusi vndiq̃ equitatus, in modum grandinis atque nimborum densa tela pariter fuderunt. Sic miserabili strage deletus exercitus: ipse in colloquium solicitatus, signo dato viuus in hostium manus incidisset, nisi tribunis reluctantibus, fugam ducis barbari ferro occupassent. Sic quoque relatum caput ludibrio hosti fuit. Filium ducis penè in conspectu patris eisdem telis operuêre. Reliquiæ infelicis exercitus, quò quemque rapuit fuga in Armeniam, Ciliciam, Syriamq̃ distractæ, vix nuntium cladis retulerunt. Caput eius recisum cum dextra manu, ad regem reportatum, ludibrio fuit, neque indigno. Aurum enim liquidum in rictum oris infusum est, vt cuius animus auri cupiditate, eius etiam mortuum & exsangue corpus auro vteretur.

Anacephalæosis.

Caput XII.

Hæc est illa tertia ætas populi Romani transmarina, qua Italia progredi ausus, orbe toto arma circumtulit; Cuius ætatis superiores centum anni, sancti, pij, &

pij, & (vt diximus) aurei, sine flagitio, sine scelere, dum sincera adhuc & innoxia pastoria illius secta integritas, dumq; Pœnorum hostium imminens metus disciplinam veterem continebat. Postremi centum, quos à Carthagine, Corinthi, numantiaq; excidijs, & Attali regis Asiatica hereditate deduximus in Cæsarem & Pompeium, secutumq; hos, de quo dicemus, Augustum, vt claritate rerum bellicarum magnifici, ita domesticis cladibus miseri & erubescendi. Quippe sicut Galliam, Thraciam, Ciliciam, vberrimas validissimasq; prouincias, Armenios etiam & Britannos, vt non in vsum, ita ad imperij speciem magna nomina acquisisse pulchrum atque decorum: ita eodem tempore dimicasse domi cum ciuibus, socijs, mancipijs, gladiatoribus, totoq; inter se senatu, turpe atque miserandum. Ac nescio an satius fuerit populo Romano, Sicilia & Africa contentum fuisse, aut his etiam ipsis carere dominanti in Italia sua, quàm eò magnitudinis crescere, vt viribus suis conficeretur. Quæ enim res alia furores ciuiles peperit, quàm nimia felicitas? Syria prima nos victa corrupit, mox Asiatica Pergameni regis hereditas. Illa opes atque diuitiæ afflixêre seculi mores, mersamq; vitijs suis quasi sentina rempublicam pessundedere. Vnde enim populus Romanus agros & cibaria flagitaret, nisi per famem quam luxus fecerat? Hinc ergo Gracchana & prima & secunda, & illa tertia Appuleiana seditio. Vnde vt regnaret de iudiciarijs legibus diuijus à senatu eques, nisi ex auaritia, vt vectigalia reip. atque ipsa iudicia in quæstu haberentur? Hinc rursus & promissa ciuitas Latio, & per hoc arma sociorum. Quid autem bella seruilia? vnde nobis, nisi ex abundantia familiarum? Vnde gladiatorij aduersus dominos suos exercitus, nisi ad conciliandum plebis fauorem effusa largitio? Cùm spectaculis indulget, supplicia quondam hostium artem facit. Iam vt speciosiora vitia tangamus, nonne ambitus honorum ab ijsdem diuitijs incitatus? Atqui inde Mariana, inde Syl-

DCVI. DCX.

lana

lana tempestas, aut magnificus apparatus conuiuiorum, & sumptuosa largitio, nonne ab opulentia, paritura mox egestatem? Hac Catilinam hostem patriæ sua impegit. Denique illa ipsa principatus & dominandi cupido, vnde, nisi ex nimijs opibus venit? Atqui hæc Cæsarem atque Pompeium furialibus in exitium reipublicæ facibus armauit. Hos igitur populi Rom. omnes domesticos motus; separatos ab externis iustisq; belli; ex ordine prosequemur.

De legibus Gracchanis.

Caput XIII.

Seditionum omnium causas Tribunicia potestas excitauit, quæ specie quidem plebis tuendæ, cuius in auxilium comparata est, re autem dominationem sibi acquirens, studium populi ac fauorem 1. agrarijs, 2. frumentarijs, 3. iudiciarijs legibus aucupabatur. Inerat omnibus species æquitatis. Quid enim tam iustum, quàm recipere plebem ius suum à patribus? ne populus gentium victor, orbisq; possessor; extorris aris ac focis ageret? Quid tam æquum, quam inopem populum viuere ex ærario suo? Quid ad ius libertatis æquandæ magis efficax, quam vt senatu regente prouincias, ordinis equestris auctoritas saltem iudiciorum regno niteretur? Sed hæc ipsa in perniciem redibant; & misera respublica in exitium suum merces erat: nã & à senatu in equitem translata iudiciorũ potestas, 4. vectigalia, id est, imperij patrimonium; supprimebat: & emptio frumenti ipsos reipub. neruos exhauriebat 5. ærarium Reduci plebs in agros vnde poterat sine possidentium euersione, qui ipsi pars populi erant? & tamen relictas sibi à maioribus sedes 6. ætate quasi iure hereditario possidebant.

Sedi-

Seditio Tiberij Gracchi.

CAPVT XIV.

Primam certaminum facem Tiberius Gracchus ac- DCXX.
cendit, 1. genere, forma, eloquentia facilè princeps. Sed hic siue Manciniana deditionis, quia sponsor fœderis fuerat, contagium timens, & inde popularis, siue æquo & bono ductus, quia depulsam 2. agris suis plebem miseratus est, ne populus Romanus gentium victor, orbis q. possessor, laribus ac focis suis exsularet: aut quacunque mente rem ausus ingentem, postquam rogationis dies aderat, ingenti stipatus agmine 3. Rostra conscendit, nec deerat obuia manus, tota inde nobilitas, & tribuni in partibus. Sed vbi intercedentem legibus suis 4. M. Octauium videt Gracchus, contra fas collegij, ius potestatis, iniecta manu depulit Rostris, adeoq. præsenti metu mortis exterruit, vt abdicare se magistratu cogeretur. Sic 5. triumuir creatus diuidendis agris, cùm ad perpetranda cœpta, die comitiorum prorogari sibi vellet imperium, obuia nobilium manu, eorumq. quos agri mouerat, cædes à foro cœpit. Inde cùm in Capitolium profugisset, plebemq. ad defensionem salutis suæ manu caput tangens hortaretur, præbuit speciem regnum sibi & diadema poscentis: atque ita 6. duce Scipione Nasica concitato in arma populo, quasi iure oppressus est.

Seditio C. Gracchi.

CAPVT XV.

Statim & mortis & legum fratris sui vindex non DCXXXII.
minore impetu incaluit C. Gracchus, qui cùm pari tumultu atque terrore plebem in auitos agros arcesseret, & recentem Attali hæreditatem in alimenta populo polliceretur; iamq. nimius & potens altero tribunatus, secunda plebe volitaret, obrogare auso legibus suis Minucio tribuno, fretus comitum manu, fatale

familiæ suæ Capitolium inuasit. Inde proximorum cæde pulsus, cùm se in Auentinum recepisset, inde quoque obuia senatus manu, ab Opimio consule oppressus est. Insultatum quoque mortis reliquiis, & illud sacrosanctum caput Tribuni plebis percussoribus auro pensatum est.

Seditio Appuleiana.

Caput XVI.

DCLIII. Nihilominus Appuleius Saturninus Gracchanus asserere leges non destitit. Tantum animorum viro Marius dabat, qui nobilitati semper inimicus, consulatu suo præterea confisus, occiso palàm in comitijs A. Nonio competitore Tribunatus, subrogare conatus est in eius 1. locum C. Gracchum, hominem sine tribu, sine nomine: sed subdito titulo, in familiam ipse se adoptat. Cùm tot tantisq; ludibrijs exsultaret impunè, rogandis 2. Gracchorum legibus ita vehementer incubuit, vt senatum quoque cogeret in verba sua iurare, cùm abnuentibus 4. aqua & igni interdicturum se minaretur. Vnus tamen existit, qui mallet exilium. Igitur post Metelli fugam omni nobilitate perculsa, cùm iam tertium dominaretur, eò vesaniæ professus est, vt Consularia quoque comitia noua cæde turbaret. Quippe vt 3. satellitem furoris sui Glauciam, consulem faceret; C. Memmium competitorem interfici iussit: & in eo tumultu regem ex satellitibus se appellatum latus accepit. Tum verò iam conspiratione senatus, ipso quoque iam Mario consule, quia tueri non poterat, aduerso, directa in foro acies: repulsus inde Capitolium inuasit. Sed cùm abruptis fistulis obsideretur, senatuiq; per legatos pœnitentiæ fidem faceret, ab arce degressus cum ducibus factionis receptus in curiam est. Ibi eum facta irruptione, populus fustibus saxisq; coopertum in ipsa quoque morte laceraut.

Drusia-

Drusiana seditio.

CAPVT XVII.

Postremò Liuius Drusus non tribunatus modò viribus, sed ipsius, etiam senatus auctoritate totiusq; Italiæ consensu easdem leges asserere conatus, dum aliud captat ex alio, tantum conflauit incendium, vt nec prima illius flamma posset sustineri, & subita morte correptus, hæreditarium in posteros suos bellum prorogaret. 1. Iudiciaria legè C. Gracchus diuiserat Pop. Romanum & bicipitem ex vna fecerat ciuitatem Equites Romani, tanta potestate subnixi, vt qui fata fortunasq; patrum, vitasq; principum haberent in manu, interceptis vectigalibus, peculabantur suo iure Rempublicam. Senatus exilio Metelli, damnatione 2. Rutilij debilitatus, omne decus maiestatis amiserat. In hoc statu rerum pares opibus, animis dignitate: (vnde & nata Liuio Druso æmulatio accesserat) equitem Seruilius 3. Cæpio, senatum Liuius Drusus asserere: signa & aquilæ & vexilla aderant. Cæterùm sic vrbe in vna, quasi in binis castris dissidebatur. Prior Cæpio in senatum impetu facto, reos 4. ambitus 5. Scaurum & 6. Philippum principes nobilitatis elegit. His vt motibus resisteret Drusus plebem ad se Gracchanis legibus, eisdem, socios ad plebem spe ciuitatis erexit. Exstat vox ipsius: nihil se ad largitionem vlli reliquisse, nisi si quis aut cœnum diuidere vellet, aut cœlum. Aderat promulgandi dies, cùm subitò tanta vis hominum vndiq; apparuit, vt hostium aduentu obsessa ciuitas videretur. Ausus tamen, 7. obrogare de 8. legibus consul. Philippus. Sed 9. apprehensum faucibus viator non antè dimisit, quàm sanguis & in ora & in oculos redundaret. Sic per vim lata iussæq; leges. Sed pretium rogationis statim socij flagitauere, cùm interim imparem Drusum, ægrumq; rerum temere motarum, matura, vt in tali discrimine, mors abstulit: nec ideo minùs socij promissa Drusi à populo Romano reposcere armis desierũt. DCLXII.

Bellum Sociale.

Cap. XVIII.

DCLXIII *Bellum quod aduersus socios gestum est, Sociale bellum vocetur licet, vt extenuemus inuidiam: si verum tamen volumus, illud ciuile bellum fuit: quippe cùm populus Romanus Etruscos, Latinos, Sabinosq; miscuerit, & vnum ex omnibus sanguinem ducat, corpus fecit ex membris, & ex omnibus vnus est. Nec minore flagitio socij intra Italiam, quam intra vrbem ciues rebellabant. Itaque cùm ius ciuitatis, quam viribus auxerant socij, iustissimè postularent, ad quam spem eos cupidine dominationis Drusus erexerat, postquam ille domestico scelere oppressus est, eadem fax qua illum cremauit, socios in arma & in expugnationem vrbis accendit. Quid hac clade tristius? quid calamitosius? cùm omne Latium, atque Picenum, Etruria omnis atque Campania, postremò Italia contra matrem ac parentem suam Vrbem consurgerent? cùm omne robur fortiss. simorum fidelissimorumq; sociorum sub suis quisq; signis haberent, 1. municipalia illa prodigia? Popedius* *Vettius Cato, Samniũ. Marsos & Latinos, Afranius Vmbros,* Totus senatus & consules Samnium, Lucaniam Telesinus; cùm Regum & gentium arbiter populus, ipsum se regere non posset, vt victrix Asia Europaq;, à Corsinio, Roma peteretur. Primum fuit belli in Albano monte consilium, vt festo die 2. Latinarum Sex. Iulius Cæsar, & Marcius Philippus consules, intra sacra & aras immolarentur. Postquam id nefas proditione discussum est, 3. Asculo furor omnis erupit, in ipsa quidem ludorum frequentia trucidatis, qui tum aderant ab vrbe, legatis. Hoc fuit impij belli Sacramentum: inde iam passim ab omni parte Italia, duce & auctore belli discurrente 4.* *res erat à Nuceria & Picentia. Popedio, diuersa per populos & vrbes signa cecinere. Nec Annibalis, nec Pyrrhi fuit tanta vastatio. Ecce Ocriculum, ecce 5. Grumentum, ecce Fasula, Carseoli,* reserata Nuceria, & Picentes, cadibus ferro & igne vastan-

vastantur. Fusa 6. Rutilij copia, fusa Capionis. Nam ipse 7. Iulius Cæsar exercitu amisso cùm in vrbem cruentus referretur, miserabili funere mediam etiam vrbem peruiam fecit. Sed magna populi Romani fortuna, & semper in malis maior, totis denuo viribus insurrexit, aggressique singuli populos, 8. Cato discutit Etruscos, DCLXIV. *9. Gabinius Marsos, Carbo Lucanos, 10. Sylla Samnites. Strabo verò 11. Pompeius omnia flammis ferroq; populatus, non prius finem cadium fecit, quàm Asculi euersione, Manibus tot exercituum consularium, direptarumq; vrbium dijs litaretur.*

Bellum Seruile.

CAPVT XIX.

Vtcumq; etsi cum socijs (nefas) cum liberis tamen & ingenuis dimicatum est. Quis æquo animo ferat in principe gentium populo bella seruorum? Primum seruile bellum inter initia vrbis Herdonio Sabino duce in CCXCIIII *ipsa vrbe tentatum est, cùm occupata Tribunicijs seditionibus ciuitate Capitolium obsessum est, & à consule captum. Sed hic 1. tumultus magis fuit quam bellum. Mox imperio per diuersa terrarum occupato, quis crederet Siciliam multo cruentius seruili, quam Punico bello, esse vastatam? Terra frugum ferax, & quodammodo suburbana prouincia* * *latifundijs ciuium Latinorum tenebatur. Hic ad cultum agri frequentia ergastula, catenatiq; cultores materiam bello præbuere. Syrus quidam nomine Eunus (magnitudo* DCXVIIJ. *cladium facit vt meminerimus) fanatico furore simulato, dum Syriæ dea* * *cæremonias iactat, ad libertatem & arma seruos quasi numinum imperio concitauit; idq; vt diuinitus fieri probaret, in ore abdita nuce, quam sulphure & igne stipauerat, leuiter inspirans, flammam inter verba fundebat. Hoc miraculo primum duo millia ex obuijs, mox iure belli refractis ergastulis,* * *quadraginta amplius millium fecit exercitum. Regijsq;, ne quid malis deesset, decoratus insignibus,*

* latè fundis.

* comas.

* sexaginta.

castella, oppida, vicos miserabili direptione vastauit. Illud quoque in vltimum belli dedecus, capta sunt castra prætorum, nec nominare ipsos pudet, castra Manilij, Lentuli, Pisonis, Hypsæi. Itaque qui per fugitiuarios retrahi debuissent, prætorios duces, profugos prælio

DCXXI. *ipsi sequebantur. 2. Tandem P. Rupilio Imperatore supplicium de eis sumtum est. Hic enim victos, & apud Ennam nouissime obsessos, cum fame quasi pestilentia consumpsisset, reliquias latronum compedibus cate-*

DCLIII. *nisq; religauit, cruciatusq; puniuit. Futi; de seruis 3. ouatione contentus, ne dignitatem triumphi seruili inscriptione violaret. Vixdum respirauerat insula, cùm statim à seruis & à Syro reditur ad Cilicem. Athenio*

X *pastor, interfecto domino, familiam ergastulo liberatam sub signis ordinat. Ipse veste purpurea, argenteoq; baculo, & regium in morem fronte redimita, non minorem quam ille fanaticus prior conflat exercitum, acriusq; multo, quasi & illum vindicaret, vicos, castella, oppida diripiens, in dominos, in seruos infestius, quasi in transfugas, sæuiebat. Ab hoc quoque prætorij exercitus casi, capta Seruilij castra, capta Luculli. Sed Aquillius P. Rupilij vsus exemplo, intercluſum hostem*

* cõmunitasq;. *commeatibus an extrema compulit, * comminutasq; copias armis, fame facilè deleuit: dedidissentq; se nisi, suppliciorum metu voluntariam mortem prætulissent. Ac ne de duce quidem supplicium exigi potuit, quamuis in manus venerit. Quippe dum circa ad deprehendendum eum multitudo contendit, inter rixantium manus præda lacerata est.*

Bellum Spartacium.

Cap. XX.

Enimuero seruilium armorum dedecus feras: nam &

DCLXXX. *ipsi per fortunam in omnia obnoxij, tamen quasi secundum hominum genus sunt, & in bona libertatis nostræ adoptantur. Bellum Spartaco duce concitatum,*

que

quo nomine appellem nescio. Quippe cùm serui militauerint, gladiatores imperauerint: illi infimæ sortis homines: ii pessimam auxêre ludibrio calamitatem. Spartacus, Crixus, & Oenomaus, effracto Lentuli 1. ludo, cum septuaginta aut amplius eiusdem fortunæ viris eruperunt Capua, seruisq; ad vexillum & ad auxilium vocatis, cùm statim decem amplius millia coiissent hominum, non modò effugisse contenti, iam vindicari etiam volebant. Prima velut ara viris, mons Vesuuius placuit. Ibi cùm etiam obsiderentur à Clodio 2. Glabro, per fauces cauti montis vitigineis delapsi vinculis, ad imas eius descendêre radices, & exitu in vno nihil tale opinantis ducis subito impetu castra rapuere. 3. Inde alia castra deinceps Thoram, totamq; peruagantur Campaniam. Nec villarum atque vicorum vastatione contenti, Nolam atque Nuceriam, 4. Thurios atque Metapontum terribili strage populantur. Affluentibus in diem copijs, cùm iam esset iustus exercitus, è viminibus pecudumq; tegumentis inconditos sibi clypeos, & ferro ergastulorum recocto gladios ac tela fecerunt. Ac ne quod decus iusto deesset exercitui, domitis obuiis gregibus paratur equitatus, captaq; de prætoribus insignia & fasces ad ducem detulere. Nec abnuit ille de stipendiario Thrace miles, de milite desertor, inde latro, deinde in honore virium gladiator: qui 5. defunctorum quoque prælio ducum funera Imperatoriis celebrauit exsequiis, captiuosq; circa rogum iussit armis depugnare, quasi planè expiaturus omne prateritum dedecus, si de gladiatore 6. munerator fuisset. Inde iam consulares quoque aggressus, in Apennino 7. Lentuli exercitum cecidit, apud Mutinam C. 8. Cassij castra deleuit. Quibus elatus victoriis, de inuadenda vrbe Romana, quod satis est turpitudini nostræ, deliberauit: tandem etiam totis viribus contra Mirmillionem consurgitur, pudoremq; Romanum Licinius Crassus asseruit, quo pulsi fugatiq; (pudet dicere) hostes, in extrema

DCLXXXI.

DCLXXXII.

Italia confugerunt. Ibi circa Bruttium angulum inclusi, cùm fugam in Siciliam pararent, eoque nauigia supperetent, ratesq; ex cratibus, & dolia connexa virgultis in rapidissimo freto frustra experirentur, tandem eruptione facta, dignam viris obiere mortem; & quod sub gladiatore duce oportuit, sine missione pugnatum est. Spartacus ipse in primo agmine fortissimè dimicans quasi Imperator occisus est.

Bellum ciuile Marianum.

Caput XXI.

DCLXV. *Hoc deerat vnum populi Romani malis, iam vt ipse intra se parricidiale bellum domi stringeret, & in vrbe media ac foro quasi arena ciues cum ciuibus suis gladiatorio more concurrerent. Æquiore animo vtcunq; ferrem, si plebei duces, aut si nobiles, mali saltem, ducatum sceleri præbuissent: Cùm verò (prò facinus! qui viri? qui imperatores?) decora & ornamenta saculi sui Marius & Sylla, pessimo facinori suam etiam dignitatem præbuerunt, tribus, vt sic dixerim, sideribus agitatum est: primo & leui & modico, tumultu maiore quam bello, intra ipsos armorum duces subsistente sauitia: mox atrocius & cruentius, per totius viscera senatus grassante victoria. Vltimum non ciuicam modò, sed hostilem quoq; rabiem supergressum est, cùm armorum furor totius Italiæ viribus niteretur, eousq; odijs sauientibus, donec deessent qui occiderentur. Initium & caussa belli inexplebilis honorũ Marij fames, dum decretam Sullæ prouinciam Sulpicia lege solicitat. Sed impatiens iniuriæ statim Sulla legiones circumegit; dilatoq; Mithradate, Esquilina Collinaq; porta geminum agmen vrbi infudit. Vnde cùm subitò Sulpicius & Albinouanus obiecissent cateruas; sudesq;, & saxa vndique à mœnibus ac tela iacerentur, ipse quoque iaculatus, incendio viam fecit, arcemq; Capitolij, quæ Pœnos quoq;, Gallos etiam Senonas euaserat, quasi*

quasi captiuam victor insedit. Tum ex senatusconsulto, aduersarij hostibus iudicatis, in praesentem tribunũ aliosque aduersae factionis iure saeuitum est 1. Marium seruilis fuga exemit, imò fortuna alteri bello reseruauit. Cornelio Cinna, Cn. Octauo consulibus malè obrutum resurrexit incendium, & quidem ab ipsorum 2. discordia, cùm de reuocandis quos senatus hostes iudicauerat, ad populum referretur. Cincta quidem gladijs concione sed vincentibus quibus pax & quies potior, profugus patria sua Cinna confugit ad partes; redit ab Africa Marius clade maior, siquidem carcer, catena, fuga, exsilium. * horrificauerant dignitatem. Itaque ad nomen tanti viri latè concurritur, seruitia (prò nefas) & ergastula armantur; & facilè inuenit exercitum miser Imperator. Itaque vi patriam reposcens, vnde vi fuerat expulsus, poterat videri iure agere, nisi caussam suam saeuitia corrumperet. Sed cùm dijs hominibusque infestus rediret, statim primo impetu cliens & alumna Vrbis Ostia, nefanda strage diripitur: Mox in vrbẽ quadruplici agmine intratur: diuisere copias Cinna, Marius, Carbo, Sertorius. Hic postquam manus omnis Octauij depulsa Ianiculo est, statim in principum caedem signo dato, aliquanto saeuius, quam aut in Punica, aut in Cimbrica vrbe saeuitur. Octauij consulis caput pro Rostris exponitur, 3. Antonij consularis, in Marij ipsius mensis 4. Caesar & Fimbria in penatibus domorum suarum trucidantur; Crassi pater & filius in mutua alter alterius aspectu. Boebium atque Numitorium per medium forum vnci traxere carnificum. 5. Catulus se ignis haustu ludibrio hostium exemit. Merula flamen Dialis Capitolio, Iouis ipsius oculos, venarum cruore respersit. Ancharius ipso videnti Mario confossus est, quia 6. fatalem illam scilicet manum non porrexerat salutanti. Hac tot senatus funera intra Calendas & Idus Ianuarij mensis, septima illa Marij 7. purpura dedit. Quid futurum si annum consularis implesset? Scipione Norbanoque consulibus tertius, ille turbo ciuilis

DCLXVI

* honorificauerant.

DCLXVI

insania toto furore detonuit: quippe cum hinc VII.
pclxx. *legiones, inde quingenta cohortes starent in armis, in-*
*viii. *de ab Asia cum victore exercitu* 8. *Sulla properaret.*
Et sanè cùm tam ferus in Sullanos Marius fuisset,
quanta sæuitia opus erat vt Sulla de Mario vindica-
retur? Primùm apud Capuam sub amne Vulturno sig-
na concurrunt, & ibi statim Norbani fusus exercitus, statim omnes 9. *Scipionis copiæ, ostentata spe pa-*
pclxxi. *cis, oppressæ. Tum* 10. *Marius iuuenis &* 11. *Carbo con-*
sules, quasi desperata victoria, ne inulti perirent, san-
guine 12. *senatus sibi parentabant: obsessaque curia,*
sic de senatu quasi de carcere, qui iugularentur, edu-
cti. Quid funerum in foro, in circo, in patentibus tem-
plis? Namque Mutius Scæuola pontifex, Vestales
amplexus aras, tantùm non eodem igne sepelitur. Lam-
ponius atque Telesinus Samnitium duces atrocius
Pyrrho & Annibale Campaniam Etruriamque popo-
lantur, & sub specie partium se vindicant. Apud Sa-
criportum Collinamque portam debellata omnes ho-
stium copiæ. Ibi Marius hic Telesinus oppressi: nec i-
dem tamen cadium qui belli finis fuit. Stricti enim &
in pace gladij, animaduersumque in eos qui se sponte
dediderant. Non minus est, quòd apud Sacriportum &
apud Collinam septuaginta amplius millia
Sulla concidit. Bellum erat, quatuor millia deditorum
inermium ciuium, in villa 13. *publica interfici iussit:*
isti tot in pace non plures sunt: quis autem illos
potest computare, quos in vrbe passim quisquis voluit
occidit? donec admonente Furfidio, viuere aliquos
debere, vt essent quibus imperarent proposita est in-
gens illa tabula, & ex ipso equestris ordinis flore ac
senatus duo millia electi, qui mori iuberentur. Noui
14. *generis edictum. Piget post hæc referre ludibrio ha-*
bita fata Carbonis, fata Sorani prætoris, atque Ve-
nuleij; Bebium sine ferro ritu ferarum inter manus la-
ceratum; Marium ducis ipsius fratrem, apud Catuli
sepulchrum, oculis, manibus, cruribusque defossis, ser-
uatum

uatum aliquamdiu, vt per singula membra moreretur. Positis singulorum hominum ferè pœnis, municipia Italiæ splendidissima sub hasta venierunt, Spoletium, Interamnium, Præneste * Fluentia. nam Sulmonem vetus oppidum socium atque amicum (facinus indignũ) nondum expugnatum, vt obsides iure belli, & modò morte damnati, duci iubentur, sic damnatam ciuitatem iussit Sulla deleri. * Florentia.

Bellum Sertorianum.

CAPVT XXII.

Bellum Sertorianum quid aliud quàm Sullanæ proscriptionis hereditas fuit? hostile potiùs, an ciuile dixerim, nescio, quippe quod Lusitani Celtiberiqúe Romano gesserint duce. Exsul & profugus feralis illius tabulæ, vir summæ quidem sed calamitosæ virtutis, malis suis maria terrasque permiscuit; & in Africa iam & Balearibus insulis fortunam expertus, missusqúe in Oceanum, Fortunatas insulas penetrauit: tandem Hispaniam armauit, vbi viro cum viris facilè conuenit: nec aliter magis apparuit Hispani militis vigor, quàm Romano duce. Quamquam ille non contentus Hispania, ad Mithradatem quoque Ponticosqúe respexit, regemque classe iuuit. Et quid futurum fuit satis tanto hosti? Vno imperatore resistere res Romana non potuit, additus 1. Metello 2. Cn. Pompeius: hi copias viri diu & ancipiti semper acie attriuere, nec tamen prius bello quàm suorum scelere & insidiis extinctus. Copias eius propè tota Hispania persecuti, diu & ancipiti semper acie dimicauerunt. Prima per legatos certamina habita, cùm hinc Domitius & Thorius, inde Herculeij praluderent: mox his apud Segouiam, illis apud Anam flumen oppressis, ipsi duces cominus inuicem experti, apud Lauronem atque 3. Sucronem aquauêre clades. Tum illis ad populationem agrorum, his ad vrbium excidia conuersis, misera- dclxxiv. dclxxv. dclxxvi.

miſera inter Romanos duces Hiſpaniæ diſcordiæ pœnas dabat; donec oppreſſo 4. domeſtica fraude Sertorio, victo deditoque Perperna, ipſa quoque in Romanam fidem venêre vrbes, Oſca, Terme, Tutia, Valentia, Auxima,
*infame *& *infame nihil non experta 5. Calaguris. Sic recepta in pacem Hiſpania, victores duces externum id magis quàm ciuile bellum videri voluerunt, vt triumpharent.*

Bellum ciuile ſub Lepido.

Caput XXIII.

dclxxv *Marco Lepido, Quincto Catulo conſulibus, ciuile bellum pœnè citiùs oppreſſum eſt, quàm inciperet. Sed quantum lateque fax illius 1. motus ab ipſo Sulla rogo exarſit! Cupidus namque rerum nouarum per inſolentiam Lepidus, acta tanti viri reſcindere parabat, nec immeritò, ſi tamen poſſet ſine magna clade Reip. Nam cùm iure belli Sulla dictator proſcripſiſſet inimicos: qui ſupererant, reuocante Lepido, quid aliud quàm ad bellum vocabantur? cumque damnatorum ciuium bona addicente Sulla, quamuis malè capta, iure tamen, repetitio eorum, procul dubio labefactabat compoſitam ciuitatem. Expediebat ergo quaſi ægræ ſauciæque Reipublicæ requieſcere quomodocunque, ne vulnera curatione ipſa reſcinderentur. Ergo cùm turbidis concionibus velut claſſico ciuitatem terruiſſet, profectus in Etruriam, arma inde & exercitum vrbi 2. admouerat.*
dclxxvi. *Sed iam 3. Miluium pontem collemque Ianiculum Lutatius Catulus, Cn. Pompeius, Sullanæ dominationis duces atque ſigniferi, alio exercitu inſederant. A quibus primo ſtatim impetu retro pulſus, hoſtiſque à ſenatu iudicatus, incruenta fuga in Etruriam, inde Sardiniam receſſit: ibique morbo & pœnitentia interiit. Victores, quod 3. non temere alias in ciuilibus bellis, pace contenti fuerunt.*

L. FLO.

L. FLORI HISTORIARVM LIB. IV.

Bellum Catilinarium.

CAPVT. I.

CAtilinam luxuria primùm, tum hinc conflata egestas rei familiaris, simul occasio quòd in extremis finibus mundi arma Romana peregrinabantur, in nefaria consilia opprimendæ patriæ suæ compulere, senatum confodere, consules trucidare, distringere incendijs vrbem, diripere arariũ, totam denique rempublicam funditus tollere, & quidquid nec Annibal videretur optasse. * Quibus id nefas sociis aggressus est? Ipse patricius, sed hoc minus est. 1. Curij, 2. Porcij, 3. Sullæ, Cethegi, 4. Autronij, 5. Varguntei, atque Longini, quæ familiæ? quæ senatus insignia? 6. Lentulus quoque tunc maximè prætor, hos omnes immanissimi facinoris satellites habuit. Additum est pignus coniurationis, sanguis humanus, quem circumlatum pateris bibere; summum nefas, nisi amplius esset, propter quod biberunt. Actum erat de pulcherrimo imperio, nisi illa coniuratio in Ciceronem & Antonii consules incidisset, quorum alter industria rem patefecit, alter manu oppressit. Tanti sceleris indicium per Fuluiam emersit, vilissimum scortum, sed parricidij innocens: Tum consul habito senatu in præsentem parricidam, in præsentem 7. rerum 8. Cicero peroravit: sed non amplius profectum, quàm vt hostis euaderet, seque palam professio incendium suum restincturum ruina minaretur. Et ille quidem ad præparatum à Manlio in Etruria

DCXC.

*Quæ omnia, quibus (ô nefas) socijs.

Etruria exercitum proficiscitur, signa illaturus vrbi. Lentulus destinatum familiæ suæ Sibyllinis versibus regnum sibi vaticinans, ad præstitutum à Catilina die vrbe tota viros, faces, tela disponit: nec ciuili conspiratione contentus, legatis Allobrogum, qui tum fortè aderant, in arma solicitatis. Et isset vltra Alpes furor, nisi altera proditione Vulturcij, prætoris literæ tenerentur. Statim Ciceronis imperio iniecta est barbaris manus. Palam prætor in senatu conuincitur. De supplicio agentibus, Cæsar parcendum dignitati, Cato animaduertendum pro scelere censebat. Quam sententiam secutis omnibus in carcere parricida strangulantur. Quamuis parte coniurationis oppressa, tamen ab incepto Catilina non destitit, sed in festis ab Etruria signis patriam petens, obuio Antonij exercitu opprimitur. Quam atrociter dimicatum sit, exitus docuit.

DCXCI. *Nemo hostium bello superfuit: quem quisque in pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat. Catilina longè à suis inter hostium cadauera repertus est, pulcherrima morte, si pro patria sic concidisset.*

Bellum Cæsaris & Pompeij.

Caput II.

Iam pœnè toto orbe pacato, maius erat imperium

DCCIV. *Romanum, quàm vt vllis externis viribus extingui posset. Itaque inuidens fortuna principi gentium populo, ipsum illum in exitium suum armauit. Ac Mariana quidem Cinnanaque rabies intra vrbem se præcluserat, quasi experiretur. Sullana tempestas latiùs, intra Italiam tamen detonuerat; Cæsaris furor atque Pompeij, Vrbem, Italiam, gentes, nationes, totum denique quà patebat imperium, quodam quasi diluuio & inflammatione corripuit, adeò, vt non rectè tantùm ciuile dicatur, ac ne sociale quidem, sed nec externum, sed potius commune quoddam ex omnibus, & plus*

quam

quam bellum. Quippe si duces eius inspicias, totus senatus in partibus; si exercitus hinc XI. legiones, inde XVIII. flos omnis & robur Italici sanguinis; se auxilia sociorum, hinc Gallici Germanique delectus; inde Deiotarus, Ariobarzanes, Tarcondimotus Cothus, omne Thracia, Cappadociaque, Cilicia, Macedonia, Graecia, Italia, totusque robur Orientis: si moram belli, quatuor annis; & pro clade rerum breue tempus: si locum & spatium vbi commissum est, intra Italiam, inde se in Galliam Hispaniamque deflexit; reuersumque ab occasu, totis viribus in Epiro Thessaliaq; consedit; hinc in Aegyptum subitò transilijt, inde respexit Asiam, Africa incubuit; postremo in Hispaniam remigrauit; & ibi aliquando defecit. Sed non & odia partium finita cum bello. Non enim prius quieuere, quàm in vrbe ipsa, medio senatu, eorum, qui victi erant odia, victoris sese cade satiarent. Caussa tanta calamitatis eadem, qua omnium, nimia felicitas. Siquidem 1. Quincto Metello, & Lucio Afranio consulibus, cum Romana maiestas toto orbe polleret, recentesque victorias, Ponticos & Armenios triumphos in Pompeianis theatris Roma cantaret, nimia Pompeij potentia apud otiosos (vt solet) ciues mouit inuidiam. Metellus ob imminutum Cretae triumphum, Cato aduersus potentes semper obliquus, detrectare Pompeium, actisque eius obstrepere. Hic dolor transuersum egit, & ad praesidia dignitati paranda impulit. Fortè tunc Crassus genere, diuitijs, dignitate florebat, vellet tamen *anctiores opes. Caius Caesar eloquentia, & spiritu, & iam consulatu alleuabatur. Pompeius tamen super vtrumque eminebat. Sic igitur Caesare dignitatem comparare, Crasso augere, Pompeio retinere cupientibus, omnibusque pariter potentia cupidis, de inuadenda Rep. facilè conuenit. Ergo cùm mutuis viribus in suum quisque decus niteretur, Galliam Caesar inuadit, Crassus Asiam, Pompeius Hispaniam, tres maximos exercitus: & iam DCXCIII *altiores

sic

sic orbis imperium societate trium principum occupatur. Decem annos traxit ista dominatio. Exinde quoniam mutuo metu tenebantur, Crassi morte apud Parthos, & morte Iuliæ Cæsaris filiæ, quæ nupta Pompeio, generi socerique concordiam matrimonij fœdere tenebat, statim æmulatio erupit. Iam Pompeio suspectæ Cæsaris opes, & Cæsari Pompeiana dignitas grauis. Nec hic ferebat parem, nec ille superiorem. Nefas! sic de principatu laborabant, tanquam duos tanta imperij fortuna non caperet. Ergo Lentulo Marcelloque consulibus rupta prima coniurationis fide, de successione Cæsaris senatus idemque Pompeius agitabat: nec ille abnuebat, si ratio sui proximis comitijs haberetur consulatus; 3. absenti, quem decem tribuni fauente Pompeio nuper decreuerant, tum dissimulante, eodem negabatur. Veniret, & peteret 4. maiorum more. Ille contrà flagitare decreta, ac nisi in fide permanerent non se dimissurum exercitum. Ergo vt in hostem decernitur. His Cæsar agitatus, statuit præmia armorum armis defendere. Prima ciuilis belli arena. Italia fuit, cuius arces leuibus præsidiis Pompeius insederat: sed omnia subito Cæsaris impetu oppressa sunt. Prima Arimino signa cecinerunt. Tum pulsus Etruria Libo, Vmbria Thermus, Domitius 5. Corfinio. Et peractum erat bellum sine sanguine, si 6. Pompeium Brunduſij opprimere, vt cœperat, potuisset. Sed ille per obsessi claustra portus nocturna fuga euasit. Turpe dictu, modò princeps patrum, pacis bellique moderator per triumphatum à se mare lacerata & pœnè inermi naui fugiebat. Nec Pompeius ab Italia, quam senatus ab vrbe fugatur prior: quàm pene vacuam metu. Cæsar ingressus, 7. consulem se ipse facit. Ærarium quoque 8. sanctum, quia tardius aperiebant Tribuni, iussit effringi; censumque & patrimonium populi Romani antè rapuit quam imperium. Pulso fugatoque Pompeio, maluit prius ordinarè prouincias, quam ipsum sequi. 9 Siciliam & 10. Sardiniam annona pignora, per legatos habuit. Nihil hostile erat in Gallia: pacem ipse fecerat.

DCC. DCXIX. DCCIV.

fecerat. Sed ad Hispanienses Pompeij exercitus transeunti per eam duci, portas claudere ausa Massilia est. Misera, dum cupit pacem, belli metu in bellum incidit: sed quia tutis muris erat, vinci eam sibi iussit absenti. Graecula ciuitas, non pro mollitia nominis, & vallum cadere, & incendere machinas ausas & congredi nauibus: sed Brutus, cui mandatum erat bellum, victos terra mariqúe perdomuit: mox dedentibus sese ablata omnia praeter (quam potiorem omnibus habebant) libertatem. Anceps variumque & cruentum in Hispania bellum cum legatis Cn. Pompeij Petreio & Afranio; quos Illerda castra habentes, apud Sicorim amnem obsidere, & oppido intercludere aggreditur. Interim obundatione verni fluminis, commeatibus prohibet. Sic fame castra tentata sunt, obsessorque ipse quasi obsidebatur: sed vbi pax fluminis redijt, populationibus & pugna campos aperuit; iterum ferox instat; & cedentes ad Celtiberiam consecutus, aggere & vallo, & per hac siti ad deditionem compulit. Sic citerior Hispania recepta est, nec vlterior moram fecit. Quid enim II. vna post quinque legiones? Itaque vltro cedente Varrone, Gades, Fretum, Oceanus, omnia felicitatem Caesaris sequebantur. Aliquid tamen aduersus absentem ducem ausa fortuna est circa Illyricum & Africam quasi de industria prospera eius aduersis radiarentur. Quippe cùm fauces Adriatici maris iussi occupare II. Dolabella & Antonius, ille Illyrico, hic Corcyraeo littore castra posuissent, iam maria latè tenente Pompeio, repentè castra legatus eius Octauius, & Libo ingentibus copijs classicorum vtrimque circumuenit: deditionem fames extorsit Antonio. Missa quoque à Basillo in auxilium eius rates, quales inopia nauium fecerat. Noua Pompeianorum arte Cilicum actis sub mari funibus capta quasi per indaginem, duas tamen aestus explicuit: vna, quae Opiterginos ferebat, in vadis haesit, memorandumque posteris exitum dedit. Quippe vix mille

DCCV.

iuuenum manus, circumfusi vndique exercitus per totum diem tela sustinuit; & cùm exitum virtus non haberet, tamen ne in deditionem veniret, hortante tribuno Vulteio mutuis ictibus in se concurrit. In Africa quoque par & virtus & calamitas Curionis fuit, qui ad recipiendam prouinciam missus, pulso 13. fugatoque Varo iam superbus, subitum Iubæ regis aduentū, equitatumque Maurorum sustinere non potuit. Patebat victo fuga, sed pudor suasit, vt amissum sua temeritate exercitum, morte sequeretur. Sed tam debitum

DCCV. *par fortuna flagitante, sedem bello Pompeius Epiron elegerat, nec Cæsar moratus; quippe, ordinatis à tergo omnibus, quamuis hyems media 14. prohiberet tempestate, ad bellum nauigauit: positisque ad Oricum castris, cùm pars exercitus, ob inopiam nauium cum Antonio dimissa, Brundusij moram faceret; adeò impatiès erat, vt ad arcessendos eos, ardente ventis mari, nocte concubia, speculatorio nauigio, solus ire tentauerit. Exstat ad trepidum tanto discrimine gubernatorem vox*

DCCV. *ipsius: Quid times? Cæsarem vehis. 15. Contractis in vnum vndique omnibus copijs; positisque communis castris, diuersa erant ducum consilia. Cæsar pro natura ferox, & conficiendæ rei cupidus, ostentare aciem, prouocare, lacessere, nunc obsidione castrorum, qua erant sedecim millium vallo obducta (sed quid his obesset obsidio, qui patente mari omnibus copijs abundaret?) nunc expugnatione Dyrrachij irrita, (quippe quam vel situs inexpugnabilem faceret) ad hoc, assiduis in eruptionem hostium prælijs (quo tempore egregia virtus 16. Scæuæ centurionis emicuit, cuius in scuto centum atque viginti tela sedere) iam verò direptione vrbium sociarum, cùm Oricum, & Gomphos, & alia castella Thessal. vastaret. Pompeius aduersus hæc nectere moras, tergiuersari simul, vt hostem interclusum vndique inopia commeatuum terret, vique ardentissimi ducis consenesceret impetus. Nec diutius profuit duci salutare consilium. Milites otium, soij*

moram,

moram, principes ambitum ducis increpabant. Sic præcipitantibus fatis, prælio sumpta est Thessalia: & Philippicis campis, urbis, imperij, generis humani fata cōmissa sunt. Nunquam vllo loco tantum virium populus Romanus, tantum dignitatis fortuna vidit. Trecenta amplius millia hinc & illinc præter auxilia regum & senatus. Nunquam imminentis ruinæ manifestiora prodigia, fuga victimarum, examina, insignes interdiu tenebræ. Dux ipse & nocturna imagine theatri sui audiens plausum in modum planctus circumsonare, & manè cum pullo amiculo (nefas) apud principia conspectus est. Nunquam acrior neque alacrior exercitus Cæsaris fuit. Inde classica prius, inde tale Annotatum quoque committentis aciem. 7. Crastini pilum; qui mox adacto in os gladio, sic inter cadauera repertus; libidinem ac rabiem qua pugnauerat, ipsa nouitate vulneris præferebat. Sed nec minus admirabilior illius exitus belli. Quippe cùm Pompeius adeò equitum copia abundaret, vt facilè circumuenturus sibi Cæsarem videretur, circumuentus ipse est. Nam cùm diu & quo marte contenderent, iussuque 18. Pompeij fusus à cornu erupisset equitatus, repentè hinc signo dato, Germanorum cohortes tantum in effusos equites fecêre impetum, vt illi esse pedites, hi venire in equis viderentur. Hanc stragem fugientis equitatus, leuis armaturæ ruina comitata est: Tunc terrore latius dato, turbantibus inuicem copijs, reliqua strages quasi vna manu facta est. Nec vlla res magis exitio fuit, quàm ipsa exercitus magnitudo. Multus in eo prælio Cæsar fuit, mediasque inter imperatorem & militem. Voces quoque obequitantis excepta, altera cruenta, sed docta, & ad victorem efficax, Miles, faciem feri: altera ad iactationem composita, Parce ciuibus: cùm ipse sequeretur. Felicem vtcunque in malis Pompeium, si eadem ipsum qua exercitum eius, fortuna traxisset. Superstes dignitati suæ vixit, vt cum maiore dedecore per Thessalica DCCV.

Tempe equo fugeret, pulsus Larissa : in deserto Ciliciæ scopulo; fugam in Parthos, Africam, vel Ægyptum agitaret : vt denique in Pelusiaco littore, imperio vilissimi regis, consilijs spadonum, & ne quid malis desit, Septimij desertoris sui gladio trucidatus, sub oculis
DCCVI. vxoris suæ liberorumque 19 moreretur. Quis non peractum esse cum Pompeio crederet bellum ? Atqui acrius multo atque vehementius Thessalici incendij cineres recaluêre. Et in Ægypto quidem aduersus Cæsarem sine partibus bellum. Quippe cùm Ptolemæus, rex Alexandriæ, summum ciuilis belli scelus peregisset, fœdusque amicitiæ cum Cæsare medio Pompeij capite sanxisset, vltionem tanti viri manibus quærente fortuna, caussa non defuit. Cleopatræ regis soror assusa Cæsaris genibus, partem regni reposcebat. Aderat puella forma, & quæ duplicaretur ex illo, quòd talis passa videbatur iniuriam : odium ipsius regis, qui Pompeij eadem partium fato non Cæsari dederat, haud dubiè idem in ipsum ausurus si expedisset.
DCC VI. Quam vbi Cæsar restitui iussit in regnum, statim ab eisdem percussoribus Pompeij obsessus in regia, quamuis exigua manu, ingentis exercitus molem mira virtute sustinuit. Ac primùm ædificiorum proximorum atque naualium 20. incendio, infestorum hostium tela submouit : mox in peninsulam Pharon subitus euasit: inde depulsus in maria, mira felicitate ad proximam classem enatauit, relicto quidem in fluctibus paludamento, seu fato, seu consilio, vt illud ingruentibus hostium telis saxisque peteretur. Tandem receptus à classicis suis, vndique simul hostes adortus, de imbelli ac perfida gente, iusta generi manibus dedit. Quippe & 21. Theodotus magister, auctor totius belli, & ne viralia quidem portenta, Photinus atque Ganymedes, diuersi per mare & transfugio & morte consumpti. Regis ipsius corpus obrutum limo repertum est in aurea lorica honore. In Asia quoque nouus rerum motus à Ponto, planè quasi de industria captante

tante fortuna hunc Mithradatico regno exitum, vt à Pompeio pater, à Cæsare filius vinceretur. Rex 22. Pharnaces magis discordia nostra fiducia, quam virtutis suæ, infesto in Cappadociam agmine ruebat. Sed hunc Cæsar aggressus, vno & (vt sic dixerim) non toto prælio obtriuit, more fulminis, quod vno eodemque momento venit, percussit, abscessit. Nec vana de se prædicatio est Cæsaris, antè victum hostem esse quàm visum. Sic cum exteris. At in 23. Africa cum ciui- DCCVII.
bus multo atrocius quàm in Pharsalia. Huc reliquias partium naufragarum quidem furoris æstus expulerat: nec reliquias diceres sed integrum bellum. Sparsa magis, quam oppressa, vires erant. Auxerat sacramentum ipsa clades Imperatoris: nec degenerabat ducum successio. Quippe satis amplè sonabat in Pompeiani nominis locum, Cato & Scipio. Accessit copij Mauritanus rex Iuba, videlicet vt latius vinceret Cæsar. Nihil ergo inter Pharsaliam & Thapson, nisi quòd amplior eoque acrior Cæsarianorum impetus fuit, indignantium post Pompeium creuisse bellum. Denique quod alias nunquam, ante 24. imperium ducis sua sponte signa cecinerunt. Strages à Iuba cœpit: eius elephanti bellorum rudes, & nuper à silua, confernati subito clangore, statim & exercitus in fugam, & duces fortius quam vt effugerent, non in conspicua tamen morte omnium. Iam Scipio naue fugiebat, sed assecutis eum hostibus, gladium per viscera exegit, & vbi esset quodam requirente, respondit hoc ipsum, Benè se habet 25. Imperator. Iuba cùm se recepisset in regiam, magnifice epulatus, cum Petreio fuga comite, super mensas & pocula interficiendum se ei præbuit. Ille & regi suffecit & sibi: cùm interim semesi in medio cibi & parentalia fercula regio simul Romanoque sanguine madebant. Cato non interfuit bello, positisque ad Bagradam castris, Vticam velut altera Africæ claustra seruabat. Sed accepta partium clade, nihil cunctatus (vt sapiente dignum erat) mortem

etiam latus acciuit. Nam postquam filium comitesque amplexu dimisit, in nocte lecto ad lucernam Platonis libro, qui immortalitatem animæ docet, paululum quieuit: tum circa primam vigiliam stricto gladio reuelatum manu pectus semel iterumque percussit. Ausi post hoc virum medici violare fomentis. Ille passus dum abscederent, rescidit plagas: secutaque vis sanguinis moribundas manus in ipso vulnere reliquit. 26. Quasi non esset vsquam dimicatum, sic arma rursus, & partes: quantoque Africa supra Thessaliam fuit, tanto Africam superabat Hispania; plurimumque fauoris partibus * addebat fraternitas ducum, & pro vno duos stare Pompeios. Itaque nusquam atrocius nec tam ancipiti marte concursum est. Primum in ipso ostio Oceani Varus Didiusque legati conflixere. Sed acrius fuit cum ipso mari, quam inter se nauibus, bellum. Siquidem velut furorem ciuium castigaret Oceanus, vtramque classem naufragio cecidit. Quinam ille horror, cùm eodem tempore fluctus, procella armamenta confligerent? adde situs ipsius formidinem, vrgentia in vnum, hinc Hispania inde Mauritania littora, mare & intestinum & externum, imminentesque Herculis speculas; cùm omnia vndique simul prælio & tempestate sæuirent, mox circa obsidiones vrbium vtrimque discursum est, qua misera inter hos atque illos duces societatis Romanæ pœnas dabant. Omnium postrema certaminum 27. Munda. Hic non pro cætera felicitate, sed anceps & diu triste prælium, vt planè videretur nescio quid deliberare fortuna. Sanè & ipse ante aciem mœstior, non ex more Cæsar, siue respectu fragilitatis humanæ, siue nimiam prosperorum suspectam habens continuationem, vel 28. eadem timens, postquam idem esse cœperat quod Pompeius. Sed in ipso prælio, quod nemo vnquam meminerat, cùm diu pari marte acies nihil aliud quàm occiderent, in medio ardore pugnantium subitò ingens inter vtrosque silentium, quasi conuenissent. hic

dccviii. *dabat.

omnium

omnium sensus erat. Nouissimè illud inusitatum Cæsaris oculis, nefas, post XIV annos, probata veteranorum manus gradum retro dedit. Quod & si nondum fugerat, apparebat tamen pudore magis quam virtute resistere. Itaque ablegato equo, similis furenti primam in aciem procurrit. Ibi prensare fugientes, confirmare; per totum denique agmen oculis, manibus, clamore volitare. Dicitur in illa perturbatione & de extremis agitasse secum, & ita manifesto vultu fuisse, quasi occupare manu mortem vellet, nisi cohortes hostium quinque per transuersam aciem actæ, quas Labienus periclitantibus castris præsidio miserat, fugæ speciem præbuissent: hoc aut & ipse credidit, aut dux callidus arripuit in occasionem; & quasi in fugientem inuectus, simul & suorum erexit animos, & hostes perculit. Nam hi dum se putant vincere, fortius sequi; inde Pompeiani, dum fugere credunt suos, fugere cœperunt. Quanta fuerit hostium cædes, ira, rabiesque victoribus, sic æstimari potest, hoc à prælio profugi, cum se Mundæ recepissent, & Cæsar obsideri statim victos imperasset, congestis undique cadaueribus agger effectus est, quæ pilis iaculisque confixa inter se tenebantur, fœdum etiam inter barbaros. Sed videlicet victoriam desperantibus Pompeij liberis, Cn. prælio profugum, ciuue saucio deserta & auia petentem, Cesennius apud Lauronem oppidum consecutus pugnantem (adeò nondum desperauerat) interfecit. Sextum fortuna in Celtiberia interim abscondit, alij que post Cæsarem bellis reseruauit. Cæsar in patriam victor inuehitur. Primum de Gallia triumphum transmiserat Rhenus, Rhodanus, & ex auro captiuus Oceanus. Alterum Laurus Ægyptia. Tunc in ferculis Nilus, Arsinoë, & ad simulacrum ignium ardens Pharus. Tertius de Pharnace currus, & Ponto. Quartus, Iubam & Mauros, & bis 30. subactam ostendebat Hispaniam. Pharsalia, & Thapsus, & Munda nusquam, & quanto maiora DCCVII. DCCVIII.

* ista desunt in manu scriptis. * genetosum.

erant de quibus non triumphabat! * Hic aliquando finis armis fuit, reliqua pax incruenta, pensatumque clementia bellum. Nemo casus imperio, præter Asranium, satis ignouerat semel: & Faustum Sullam, didicerat * generum timere: filiamque 31. Pompeij cum patruelibus ex Sulla, hic posteris cauebatur. Itaque non ingratis ciuibus omnes honores vnum in principem congesti; circa templa imagines: in theatro distincta radijs corona: suggestus in curia: fastigium in 32. domo, 33. mensis in calo; ad hæc pater ipse patriæ, perpetuusque Dictator; nouissimè. dubium an ipso volente; oblata pro rostris ab Antonio 34. consule regni insignia: quæ omnia velut insula in destinatam morti victimam congerebantur. Quippe clementiam principis vicit inuidia, grauisque erat liberis ipsa beneficiorum potentia; nec diutius dilatio donata est: sed 35. Brutus & Cassius, aliique patricij consenserunt in eadem Principis. Quanta vis fatij manauerat latè coniuratio; libellus etiam Cæsari datus eodem die, nec perlitare centum victimis poterat; venit in curiam tamen, expeditionē Parthicam meditans; ibi in curuli sedentem, eum senatus inuasit, tribusque & viginti vulneribus ad terram datus est sic ille qui terrarum orbem ciuili sanguine impleuerat, tandem ipse in sanguine suo curiam impleuit.

Cæsar Octauianus.

Caput III.

Populus Romanus, Cæsare & Pompeio trucidatis, redijsse in statum pristinæ libertatis videbatur, & redierat, nisi aut Pompeius liberos, aut Cæsar hæredem reliquisset: vel quod vtroque pernicioſius fuit, si nō collega quondam, mox æmulus, Cæsarianæ potentiæ fax & turbo sequentis sæculi super fuisset Antonius. Quippe dum 1. Sextus paterna repetit, trepidatum toto mari; dum Octauius mortem patris vlciscitur,

iterum

iterum fuit mouenda Theſſalia ; dum Antonius varius ingenio aut ſucceſſorem Cæſaris indignatur Octauianum aut amore Cleopatræ deſciſcit in regem: nam aliter ſaluus eſſe non potuit, niſi confugiſſet ad ſeruitutem Gratulandum tamen in tanta perturbatione eſt, quod potiſſimum ad Octauianum Cæſarem Auguſtum ſumma 2. rerum rediit, qui ſapientia ſua atq; ſolertia perculſum undiq; & perturbatum ordinauit imperij corpus, quod ita haud dubiè nunquam coire & conſentire potuiſſet, niſi vnius præſidis nutu quaſi anima & mente regeretur. Marco Antonio, Publio 3. Dolabella conſulibus, imperium iam ad Cæſares transferente fortuna, varius & multiplex motus ciuitatis fuit; quodque in annua conuerſione fieri ſolet, vt mota ſidera tonent, ac ſuos flexus tempeſtate ſignificent: ſic in Romanæ dominationis, id eſt, humani generis conuerſione penitus intremuit, omniq; genere diſcriminum, ciuilibus, terreſtribus, ac naualibus bellis omne imperij corpus agitatum eſt. DCCIX.

Bellum Mutinenſe.

CAPVT IV.

Prima ciuilium motuum cauſſa 1. teſtamentum Cæſaris fuit ; cuius 2. heres Antonius prælatum ſibi Octauium furens, inexpiabile contra adoptionem acerrimi iuuenis ſuſceperat bellum. Quippe cum intra decē & octo annos tenerum, & obnoxium, & opportunum iniuriæ iuuenem videret ; ipſe planè & conuiciis Cæſaris dignitatem, & furtis 3. hæreditatem lacerare, ipſum inſectari probris, & cunctis artibus adoptationem Iuliæ gentis cùm inhibere non deſineret : denique ad deprimendum iuuenem, palam arma moliri, & parato exercitu in Ciſalpina Gallia reſiſtentem motibus ſuis Decimum Brutum obſideret : Octauius Cæſar ætate & iniuria fauorabilis, & nominis maieſtate, quod ſibi DCCX.

induerat, reuocatis ad arma veteranis, 4. priuatus, (quis crederet?) consulem 5. aggreditur; obsidione Mutina liberat 6. Brutum, Antonium exuit castris. Tum quidem etiam manu pulcher apparuit, nam cruentus & saucius aquilam, à moriente signifero traditam, suis humeris in castra referebat.

Triumuiratus.

Cap. V.

Cùm solus etiam grauis paci, grauis reipub. esset Antonius, quasi ignis incendio Lepidus accessit; quia contra duos exercitus necesse fuit venire in cruentissimi fœderis societatem. Diuersa omnium voto incendia. Lepidum, diuitiarum cupido, quarum spes ex turbatione Reipublicæ; Antonium, vltiones de his, qui se hostem iudicassent; Cæsarem, inultus pater, & manibus eius graues Cassius & Brutus agitabant. In hoc velut fœdus, pax inter tres duces componitur, apud Confluentes inter Perusiam & Bononiam iunguntt manus, & exercitus consalutant; nullo bono more Triumuiratus inuaditur. Oppressa armis Republ. redit Sullana proscriptio, cuius atrocitas nihil in se minus habet, quàm numerum CXL. Senatorum, exitius fœdi, truces, miserabiles, toto terrarum orbe fugientium. Pro quibus quis pro indignitate rei non ingemiscat? Cùm DCCX. *L. Antonius concedente 2. Cæsare auunculum suum, Lepidus 3. L. Paullum fratrem suum proscripserit. Roma capita caiorum proponere in rostris iam vsitatum erat. Verùm sic quoque ciuitas lacrymas tenere non potuit, cùm resciissum 4. Ciceronis caput in illis suis rostris videretur, nec aliter ad videndum quam solebat ad audiendum eam concurreretur. Hæc scelera in Antonij Lepidiq; tabulis. Cæsar percussoribus patris contentus fuit hæc quoque nisi multa fuissent, etiam iusta cædes haberetur.*

Bel-

Bellum Cassij & Bruti.

CAPVT VI.

Brutus & Cassius sic Cæsarem, quasi 1. *Tarquinium regem depulisse regno videbantur: sed libertatem, quàm maximè restitutam voluerunt, illo ipso* 2. *patriciatio perdiderunt Igitur cæde perfecta, cùm veteranos Cæsaris, nec immeritò timerent, statim è curia in Capitolium confugerant: nec illis ad vltionem deerat animus, sed ducem non habebant. Igitur cùm appareret quæ strages Reip. immineret, displicuit vltio, consensu consulis* 3. *abolitione decreta. Ne tamen publicè* 4. *doloris oculos ferrent, in prouincias ab illo ipso, quem occiderant, Cæsare datas, Syriam & Macedoniam concesserant, sic vindicta Cæsaris dilata potius quàm oppressa est. Igitur ordinata magis, vt poterat, quam vt decebat, in Triumuiros rep. relicto ad vrbis præsidium Lepido, Cæsar cum Antonio* DCCXI. *in Cassium Brutumq; succingitur. Illi comparatis ingentibus copiis eandem illam, qua fatalis Cn. Pompeio fuit,* 5. *arenam insederant, sed nec tum imminentia cladis destinata signa latuêre, nam & assueta cadaverum pabulo volucres, castra quasi iam sua circumuolabant. In aciem prodeuntibus Æthiops obuius nimis apertè ferale signis fuit. Ipsi q; Bruto per noctem, cum illato lumine ex more aliqua secum agitaret, aira quædam imago se obtulit, & quæ esset interrogata, tuus, inquit, malus* 6 *Genius: hoc dixit, & sub oculis mirantis euanuit Pari in meliora præsagio in Cæsaris castris omnia, aues, victimæq; promiserant: sed nihil illo præsentius, cùm Cæsaris* 7. *medicus somnio admonitus est; vt Cæsar castris excederet, quibus capi imminebat: vt factum est. Acie namque commissa cum pari ardore aliquamdiu dimicatum foret, & quamuis duces non essent tum præsentes, quorum alterum corporis ægritudo*

illum

illum metus & ignania subduxissent; stabat tamen pro partibus inuicta fortuna, & vltoris, & qui vindicabatur. Primum adeò anceps fuit, & par vtrimq; discrimen, vt exitus prælij docuit; capta sunt hinc Cæsaris castra inde Cassij. Sed quanto efficacior est fortuna quàm virtus? & quam verum est, quod moriens efflauit! non in re, sed in 8. verbo tantùm esse virtutem. Victoriam illi prælio error dedit Cassius inclinato cornu suorum, cum captis Cæsaris castris rapido impetu recipientes se equites videret, fugere arbitratus, euadit in tumulum; inde puluere & strepitu, etiam nocte vicina, eximentibus gesta rei sensum, cum 9. speculator quoque in id missus tardius renuntiaret transactum de partibus ratus, vni ex proximis auferendum præbuit caput. Brutus cum in Cassio etiam suum animum perdidisset, ne quid ex constituti fide 10. resignaret, (ita enim par superesse bello conuenerat) ipse quoq; vni comitum suorum confodiendum præbuit latus. Quis sapientissimos viros non miretur, ad vltimum non suis manibus vsos? nisi hoc quoque ex persuasione non defuit, ne violarent manus, sed in abolitione sanctissimarum * pientissimarumq; animarum iudicio suo, scelere alieno vterentur.

*pijssimarũq;.

Bellum Perusinum.

CAPVT VII.

DCCXII. Alterum bellum concitauit agrorum diuisio, quos Cæsar veteranis, in castris pretium militiæ persoluebat. Semper alias L. Antonij pessimum ingenium; Fuluia, gladio cincta virilis militiæ vxor agitabat. Ergo depulsos agris colonos incitando, iterum in arma ierat. Hic verò iam non priuatis, sed totius Senatus suffragijs iudicatum hostem Cæsar aggressus, intra Perusiæ muros redegit; compulitq; ad extrema deditionis, turpi & nihil non experta fame.

Bellum

Bellum cum Sexto Pompeio.

CAPVT VIII.

Sublatis percussoribus Cæsaris, supererat Pompeij domus. Alter iuuenum in Hispania occiderat, alter fuga euaserat; contractisq; infelicis belli reliquiis, cùm insuper ergastula armasset, Siciliam Sardiniamq; habebat. Iam & classe medium mare insederat; O quàm diuersus à patre! ille Cilicas extinxerat, hic secum piratas nauales agitabat. Tanta mole belli penitus in Siculo freto iuuenis oppressus est, magnisq; famam ducis ad inferos secum tulisset, si nihil tentasset vlterius; nisi quod magna indolis signum est, sperare semper. Perditis enim rebus profugit, Asiamq; velis petit, venturus ibi in manus hostium, & catenas, & quod miserrimum est fortibus viris, ad hostium arbitrium sub i. percussore moriturus. Non alia post Xerxen miserabilior fuga. Quippe modò trecentarum quinquaginta nauium dominus, cum sex septemue fugiebat, extincto prætoria nauis lumine, annulis in mare abiectis, pauens atque respectans, & tamen non metuens ne periret. Quamuis in Cassio & Bruto partes sustulisset, & in Pompeio totum partium nomen abolesset, nondum tamen ad pacis stabilitatem profecerat Cæsar, cùm sepulus, & nodus, & mora publica securitatis superesset Antonius, nec ille defuit vitiis quin periret: immo omnia expertus ambitu & luxuria; primùm hostes, deinde ciues, tandem etiam terrore sui sæculum liberauit. DCCVXII. DCCXVIII

Bellum Parthicum duce Ventidio.

CAPVT IX.

Parthi clade Crassiana altiùs animos erexerant, ciuilesq; populi Rom. motus lati acceperant: itaq; vt prima

prima effulsit occasio, non dubitauerunt erumpere, vltro quidem inuitante Labieno, qui missus à Cassio Brutoq; (qui furor scelerum!) sollicitauerat hostes in auxilium, & illi Pacoro duce, regio iuuene, dissipant Antoniana præsidia. Saxa legatus, ne veniret in potestatem, à gladio suo impetrauerat. Denique ablata Suria emanabat latius malum; hostibus sub auxilij
DCCXIII. *specie sibi vincentibus; nisi L. Ventidius, & hic legatus Antonij, incredibili felicitate, & Labieni copias, ipsumq; Pacorum & omnem Parthicum equitatum totò inter 2. Orontem & Euphratem sinu latè cecidisset. Viginti amplius millium fuit; nec sine consilio ducis, 3. quippe qui simulato metu adeò passus est hostem castris succedere, donec absumpto iacti spatio, adimeret vsum sagittarum. Rex fortissimè dimicans cecidit, mox circumlato eius per vrbes, quæ defecerant, capite, Suria sine bello recepta sit, sic Crassianam cladem Pacori cade pensauimus.*

Bellum Parthicum Antonij.

CAPVT X.

Expertis inuicem Parthis atque Romanis, cùm Crassus atque Pacorus vtrumque virium documenta fecissent, pari rursus reuerentia, integra amicitia, & quidem ab ipso fœdus Antonio cum rege pecussum. Sed immensa vanitas hominis, dum titulorum cupidine,
* labi. *Araxem & Euphratem sub imaginibus suis * lege concupisset, neque causa, neque consilio, ac ne imaginaria quidem belli conditione, quasi hoc quoque ex arte ducis esset obrepere, relicta repente Suria in Parthos impe-*
DCCXVII. *tum facit. Gens præter armorum fiduciam simulat trepidationem, & in campos fugam. Hic statim quasi victor sequebatur; cum subitò nec magna hostium manus ex improuiso, & iam in fessos via, sub vespera velut nimbus erupit, & missis vndiq; sagittis, 2. duas legio-*

legiones operuerunt. Nihil acciderat in comparationem cladis quæ in 3. posterum diem imminebat, nisi interuenisset deum miseratio. Vnus ex clade Crassiana 4. Parthico habitu castris adequitat, & salute latinè data, cum fidem ipso fecisset, quid immineret, edocuit, iam affuturum cum omnibus copijs regem: irent retro, peterent q; montes: sic quoque hostem fortasse non defore. Atque ita secuta est minor vis hostium, quàm imminebat. Adfuit tamen, deletæq; reliqua copiæ forent, nisi vrgentibus telis in modum grandinis, quadam fortè quasi docti, procubuissent in genua milites, & elatis s. super capita scutis, cæsorum speciem præbuissent. Tum Parthus arcus 6. inhibuit. Deinde Romani cùm se rursùs extulissent adeò res miraculo fuit, vt vnus ex barbaris miserit vocem, 7. Ite & bene valete Romani meritò vos victores fama gentium loquimur, qui Parthorum tela fertis. Non minor ex aqua postea quàm ab hostibus clades. Infesta primum siti regio; tum quibusdam 8. Salmacidis fluuius infestior: nouissimeq; cùm iam ab inualidis & aliunde hauriebatur noxiæ etiam dulces fuere. Mox & ardores per Armeniam, & niues per Cappadociam, & vtriusq; cœli subita mutatio pro pestilentia fuit. Sic vix tertia parte de XVI. legionibus reliqua, cùm 9 argentum eius passim dolabris concideretur, & subindè inter moras mortem à gladiatore suo flagitasset, egregius Imperator tandem profugit in Syriam: ibi incredibili quadam mentis vecordia ferocior aliquanto factus est, quasi vicisset qui euaserat. DCCXIX.

Bellum Actiacum cum Antonio & Cleopatra.

CAPVT XI.

Furor Antonij quatenus ambitu non interiret, & luxu & libidine extinctus est. Quippe post Parthos, cùm exosus arma in otio ageret, captus amore Cleopatræ, quasi DCCXXII.

quasi bene gestis rebus; in regio se sinu reficiebat. Hæc mulier Ægyptia ab ebrio Imperatore pretium libidinum Romanum imperium petit. Et promisit Antonius: quasi facilior esset Partho Romanus. Igitur dominationem parare, nec tacitè; sed patria, nominis, toga, fascium oblitus, totus in monstrum illud vt mente, ita animo quoq; cultuq; desciuerat. Aureum in manu baculum, ad latus acinacis, purpurea vestis, ingentibus obstricta gemmis; diadema aderat, vt regina rex ipse frueretur. Ad primam nouorum motuum famam Cæsar à Brunduſio traiecerat, vt venienti bello occurreret: positisq; in Epiro castris, 1. Leucadem insulam, montemq; Leucadem, & 2. Ambraci sinus cornua infesta classe succinxerat. Nobis CCCC. amplius naues, CC. non minus hostium: sed numerum magnitudo pensabat. Quippe à 3. senis in nouenos remorum ordinibus, ad hoc turribus atque tabulatis alleuata castellorum & vrbium specie, non sine gemitu maris & labore ventorum ferebantur: qua quidem ipsa moles exitio fuit. Cæsaris naues à triremibus in senos non amplius ordines creauerat: itaq; habiles in omnia quæ vsus pascebat, ad impetus & recursus flexusq; capiendos, illas graueis, & ad omnia prapeditas; singulas plures adorta, missilibus simul; tum rostris, ad hoc ignibus iactis, ad arbitrium dissipauêre. Nec vlla re magis hostilium copiarum apparuit magnitudo, quàm post victoriam. Quippe immensa classis, naufragio belli facto, toto mari ferebatur, Arabumq;, & Sabæorum, & mille aliarum gentium Asia spolia, purpuram aurumq; in ripam assiduè mota ventis maria reuomebant 4. Prima dux fuga regina cum aurea puppe, velo q; purpureo se in altum dedit: mox secutus Antonius: sed instare 5. vestigiis Cæsar. Itaque nec 6. præparata in Oceanum fuga, nec munita præsidijs vtraq; Ægypti cornua 7. Paretonium atque 8. Peluſium profuere: properè manu tenebantur. Prior ferrum occupauit Antonius. Regina ad pedes Cæsaris prouoluta tentauit oculos ducis, frustra; nam

decxxxiij

nam pulchritudo intra pudicitiam principis fuit. Nec illa de vita, quæ offerebatur, sed de parte regni laborabat: quod vbi desperauit à principe, seruariq; se triumpho vidit, incautiorem nacta custodiam, in Mausoleum se (sepulchra regum sic vocant) recepit: vbi maximo, vt solebat, indutæ cultu, in differto odoribus solio iuxta suum se collocauit Antonium, admotis ad venas serpentibus, sic 9. morte, quasi somno, soluta est.

Bella aduersus gentes exteras.

CAPVT XII.

*Hic finis armorum ciuilium: reliqua aduersus exteras gentes: quæ districto circa mala sua imperio, diuersis orbis oris emicabant. Noua quippe pax: necdum assuetæ frenis seruitutis tumidæ gentium inflatæq; ceruices, ab imposito nuper iugo resiliebant. Ad septemtrionem conuersa ferme plaga, ferociùs agebat Norici, Illyrij, Pannonij, Dalmatæ, Mysij, Thraces & Daci, Sarmatæ atque Germani. Noricis animos dabant Alpes atque niues, quò bellum non posset ascendere. Sed omnes illius cardinis populos, 1. Breunos, atque Vindelicos, per priuignum suum Claudium Drusum perpacauit. Quæ fuerit callidarum gentium feritas, facilè vel mulieres ostendere; quæ deficientibus telis, infantes ipsos afflictos humo, in ora militum aduersa miserunt 2. Illyrij quoque sub Alpibus agunt, imasq; valles earum, & quædam quasi claustra custodiunt, abruptis torrentibus implicati; in hos expeditionem ipse sumsit, fieriq; pontes imperauit. Hic se & aquis & hoste turbantibus, cunctanti ad ascensum militi scutum de manu rapuit, & in via primus tunc agmine secuto, cùm Illyricus multitudine pontem succidisset, saucius manibus ac cruribus, speciosior sanguine, & ipso periculo augustior, terga hostium * præcidit. 3. Pannonij*

DCCXIX

DCCXVIII

* percecidit.

nonij duobus saltibus, ac tribus fluuijs, Drauo, Sauo,
DCCXVIII Istroq; vallantur: populati proximos, intra se recipiebant. In hos domandos 4. Vibium misit, cæsi sunt in
vtrisq; fluminibus: arma victorum non ex more belli
cremata, sed capta sunt, & in profluentes data, vt cæteris, qui resistebant, victoria sic nuntiaretur. 5. Dalmatæ plerumq; sub siluis agunt, inde ad latrocinia
DCCXIV. promptissimi Hos iam quidem 6. Marcius incensa vrbe
DCCXV. Delminio quasi detruncauerat. Postea 7. Asinius Pollio gregibus, armis, agris multauerat. Sed Augustus
perdomandos Vibio mandat: qui efferum genus fodere
terras coegit, aurumq; venis repurgare, quod alioquin
gens omnium cupidissima studiosa diligentia anquirit,
vt illud in vsus suos seruare videatur. Mysij quam
feri, quàm truces fuerint, quàm ipsorum etiam barbari barbarorum, horribile dictu est. Vnus ducum ante aciem postulato silentio: Qui vos, inquit, estis? Responsum inuicem: Romani, gentium domini Et illi: Ita,
DCCXXV. inquiunt, si nos viceritis. Accepit omen 8, Marcus Crassus. Illi statim ante aciem immolato equo concepere votum, vt casorum exutis ducum & litarent, & vescerentur. Deos audisse crediderim: nec tubam sustinere potuerunt. Non minimum terroris incussit barbaris Domitius centurio, satis barbara efficacus tamen
apud pares homines soliditatis, qui foculum gerens
super cassidem, suscitatam motu corporis flammam
velut ardenti capite fundebat. Ante hos, Thracum,
9. maximus populus desciuerat. Ille barbarus & signis
DCCXLII. militaribus, & disciplina, armis etiam Romanis assueuerat: sed à Pisone perdomiti, in ipsa captiuitate
rabiem ostendere, quippe cùm catenas morsibus tentarent, feritatem suam ipsi puniebant. 10. Daci montibus inhærent. Catisonis regis imperio, quoties concretus gelu Danubius iunxerat ripas, discurrere solebant,
& vicina populari. Visum est Cæsari Augusto gentem aditu difficillimam submouere. Missogitur Lentulo, vltra vltiorem repulit ripam: citra præsidia con-

constituit. Si tunc Dacia non victa, summota atq; dilata est. Sarmata patentibus campis inequitant: & hos per eundem Lentulum prohibere Danubio satis fuit: nihil præter niues rarasq; siluas habent. Tanta barbaria est, vt pacem non intelligant. 11. Germaniam quoq; vtinam vincere tanti non putasset: magis turpiter amissa est, quàm gloriosè acquisita: sed quatenus sciebat patrem suum Cæsarem bis 12. traiecto ponte Rheni quæsisse bellum, in illius honorem concupijt facere prouinciam: & factum erat, si barbari tam vitia nostra quàm imperia ferre potuissent. Missus in eam prouinciam Drusus primos domuit Vsipetes inde Tencteros percurrit, & Cattos. Nam Marcomannorum spolijs insignibus quendam editum tumulum in tropkæi modum excoluit. Inde validissimas nationes, Cheruscos, Sueuos, & Sicambros pariter aggressus est: qui viginti centurionibus concrematis hoc velut sacramento sumserant bellum, adeò certa victoria spe, vt prædam in antecessum pactione diuiderent. Cheruscì equos, Sueui aurum & argentum, Sicambri captiuos elegerant. Sed omnia retrorsum. Victor namque Drusus equos, pecora, torques eorum, ipsos q;, præda diuisit & vendidit. Præterea in tutelam prouinciarum, præsidia atque custodias vbique disposuit. Per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim, per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius castella direxit, * Bonnam & Geldubam cum pontibus iunxit, classibusq; firmauit: * inuium atque inaccessum, in id tempus Hercynium saltum patefecit. Ea denique in Germania pax erat, vt mutati homines, alia terra, cœlum ipsum mitius * inuiomollius q; solito videretur. Denique non per adulationem, sed ex meritis, 13. defuncto ibi fortissimo iuuene, ipsi, quod nunquam alteri, senatus cognomen ex prouincia dedit. Sed difficilius est prouincias obtinere, quàm facere, viribus parantur, iure retinentur. Igitur breue id gaudium fuit, quippe Germani victi magis, quàm domiti erant, moresq; nostros magis quàm

DCCXLI.

* Bonnam & Geldubam.

* inuium.

DCCXLIV.

arma sub imperatore Druso susciebant: postquam ille defunctus est, Vari 14. Quinctilij libidinem ac superbiam haud secus quàm sauitiam odisse cœperunt.

DCCLXI. Ausus verò ille agere conuentum & in castris ius dicebat, quasi violentiam barbarorum & victoris virgis, & præconis voce posset inhibere: at illi qui iam pridem rubigine obsitos enses, inertes q; cernerent equos, vt primùm togas & sautora armis iura viderunt, duces 15. Arminio arma corripiunt, cùm interim tanta erat Varo pacis fiducia, vt ne præditta quidem & proditta per 16. Segestem vnum principem, ducum coniuratione, commoueretur. Itaque improuidum, & nihil tale metuentem improuiso adorti, cùm ille (ô securitas)

DCCLXI. ad tribunal citaret, vndiq; inuadunt, castra rapiunt tres legiones opprimuntur. Varus perditas res eodem quo Cannensem 18. diem Paulus, & fato est & animo secutus. Nihil illa cade per paludes perq; siluas cruentius, nihil insultatione barbarorum intolerabilius, præcipuè tamen in caussarum patronos: aliis oculos, alij manus amputabant: vnius os sutum, recisa priùs lingua, quam in manu tenens barbarus, Tandem, inquit vipera sibilare desiste. Ipsius quoque consulis corpus quod militum pietas humi abdiderat, effossum. Signa & aquilas duas adhuc barbari possident: tertiam signifer priùs quàm in manus hostium veniret, euulsit morsamq; intra baltei sui latebras gerens, in cruenta palude sic latuit. Hac clade factum, vt imperium quod in littore Oceani non steterat, in ripa Rheni fluminis staret. Hac ad Septentrionem: Sub meridiano tumultuatum magis quàm bellatum est, 19. Musulanico

DCCLVIII atq; 20. Getulos accolas Syrtium 21. Cosso duce compescuit, vnde illi Gatulici cognomẽ. Latiùs victoria patet.

22. Marmaridas atq; Garamantas Furnio subigendo

DCCLII. dedit. Potuit & ille redire Marmaricus, sed modestior in æstimanda victoria fuit. Ad Orientem plus negotij cum Armenijs: huc alterum Cæsar ex nepotibus suis misit. Ambo fato breues, sed alter inglorius. Ma-

filii

silia quippe 23. Lucius morbo soluitur: in Lycia *24. Caius ex vulnere, cùm Armeniam ad Parthos se subtrahentem recepit. Armenios victo rege Tygrane in hoc vnum seruitutis genus Pompeius assueſcerat, vt rectores à nobis acciperent. Intermiſſum ergo ius, per hunc recuperatum, non incruento, nec multo tamen certamine: quippe Domnes, quem rex Artaxatis prefecerat, simulata proditione adortus virum intentum libello, quem vt thesaurorum rationes continentem ipse porrexerat, ſtricto ferro cruentat vulnere in tempus: ceterùm barbarus vndiq; infeſto exercitu oppreſſus, gladio, & pyra, in quam ſe percuſſus immiſit, ſuperſtiti etiam non Cæſari ſatisfecit. Sub Occaſu pacata erat omnis Hiſpania, niſi quam Pyrenæi deſinentis ſcopulis inhærentem citerior alluebat Oceanus. Hic dua validiſſima gentes, 25. Cantabri & Aſtures, immunes imperij agitabant. Cantabrorum & prior, & altior, & magis pertinax in rebellando animus fuit, qui non contenti libertatem ſuam defendere, proximis etiam imperitare tentabant, 62. Vaccæoſq;, & Curgonios, & Autrigonas crebris incurſionibus fatigabant. In hos igitur, quia vehementiùs agere nuntiabantur; non mandata expeditio, ſed ſumpta eſt. ipſe venit Segiſamam: caſtra poſuit: inde partito exercitu totam inde iam complexus Cantabriam, efferam gentem ritu ferarum quaſi indagine debellabat. Nec ab Oceano quies, cùm infeſta claſſe ipſa quoque terga hoſtium cederentur. Primum aduerſus Cantabros ſub mœnibus Vellicæ prælium eſt. Hinc fuga in eminentiſſimum Vindium montem, quem maria priùs Oceani, quàm arma Romana aſcenſura eſſe crediderant. Tertiò Arracillum oppidum magna vi repugnat: captum tamen poſtremò fuit. In Edulij montis obſidione, quem perpetua XV. millium foſſa comprehenſum cinxit, vndiq; ſimul adeunte Romano. Poſtquam extrema barbari vident certatim igne, ferro inter epulas, venenoq;, quod ibi vulgo ex 27. arboribus taxatis exprimitur,*

DCCLI. * Suria. DCCLII.

DCCXXVII

*præripere. dccxxvij dccxxviij

*præcepere mortem seq; pars maior à captiuitate, qua videbatur, vindicauere. Hac per 28. Antistium, 29. Furnium, 30. Agrippam legatos, hibernans in Tarraconis maritimis Cæsar accepit. Ipse præsens hos deduxit montibus, hos obsidibus adstrinxit, hos sub 31. corona iure belli venundedit. Digna res lauro, digna curru senatui visa est: & iam Cæsar tantus erat, vt posset triumphos contemnere. Asturem per idem tempus ingenti agmine à montibus suis descenderant, nec tenuere suos, vt barbari impares: sed positis castris apud Astiuram flumen, trifariam diuiso agmine, tria simul Romanorum castra aggredi parabant. Fuisset & anceps, & eruentum, & vltimum mutua clade certamen, tunc tam fortibus, tam subitò, tam cum consilio venientibus, nisi Brigacini prodidissent; à quibus præmonitus 32. Carisius, cum exercitu adueniens oppressit dccxxviij consilia. Sic tamen quoq; non incruento certamine; reliquias fusi exercitus validissimi, ciuitas Lancia excepit: vbi adeò certatum est, vt cum in captam vrbem faces poscerentur, agre dux imperauerit veniam, vt victoria Romana stans potiùs esset, quam incensa monumentum. His finis Augusto bellicorum certaminum fuit: idem rebellandi finis Hispanis. Certa mox fides & æterna pax cum ipsorum ingenio in pacis partes promtiore, tum consilio Cæsaris, qui fiduciam montium timens, in quos se recipiebant, 33. castra sua (sed qua in plano erant) habitare & incolere iussit. Ingentis esse consilij illud obseruari cœpit. Natura regionis circa se omnis aurifera, minijq; & chryso colla & aliorum colarum ferax. Igitur exerceri solum iussit. Sic Astures, latentes in profundo opes suas atque diuitias dum aliis quærunt, nosse cœperunt. Omnibus ad Occasum & Meridiem pacatis gentibus, ad Septemtrionem quoque (dum taxat intra Rhenum atque Danubium) item ad Orientem intra Taurum & Euphratem, illi quoque reliqui qui immunes imperij erant, sentiebant tamen magnitudinem, & victoriam gentium populi Romani reue-

reuerebantur. Nam & Scytha misere legatos, & Sarmata, amicitiam petentes. Seres etiam, habitantes q̃ sub ipso sole Indi, cum gemmis & margaritis, elephantos quoque inter munera trahentes, nihil magis quam longinquitatem via imputabant, quam quadriennio impleuerant; & tamen ipse hominum color eos ab alio
34. venire sole fatebatur. Parthi quoque quasi victo- dccxxvii
ria pœniteret, rapta clade Crassiana, vltro signa retulere. Sic vbiq; cuncta atque continua toti generis hu- dccxxxi.
mani aut pax fuit, aut pactio. Aususq; tandem Cæsar Augustus septingentesimo ab vrbe condita anno Ianum 35. geminum claudere, bis ante se clausum, sub Numa rege, & victa primùm Carthagine. Hinc dccxxx.
conuersus ad pacem, pronum in omnia mala & in luxuriam fluens sæculum, grauibus seueriq; legibus multis coercuit. Ob hæc tot facta ingentia dictator 36.
perpetuus, & pater patria Dictus. Tractatum etiam in * dictus
senatu, an quia condidisset imperium, Romulus voca- fuerest.
retur; sed sanctius & reuerentius visum est nomen dccxxvi.
37. Augusti, vt scilicet iam tum dum colit ter-
ras, ipso nomine & titulo conse-
craretur.

FINIS.

INDEX NOMINVM, MAXIMAE, VERO RERVM SINGVLARIVM, FLORI EPITOMA DESCRIPTARVM, adnotato pagellarum numero.

A.

AB Artore obsides liberi dati 61
Achaia libertas à consule Romano data, quanti 98
causſa gaudij 37
Ad Aliam flumen Romanorum clades 13
Ægates insula 28
Æmilius 29
Æmilius Regillus 39
Æmulatio Cæsaris & Pompeij qui erupit 85
Æpulo Istrorum rex captus 40
Ærarium effractum & direptum 13
Æs Corinthium vnde conflatum 46
Africani magni nepos Carthaginis euersor 44
Africanus 66. Hispaniam gesta, 7. stipendiariam fecit ibidem Numantiam itidem conuertit 48
Ager, quem Hannibal castris insederat, Romæ venalis 35
Agger è cadaueribus conflatus 93
Agrorum diuisio, belli causa 98
Alba caput Latij 3. diruta. 5
Albani Romanis pares robore 3
Albini voluntaria fuga. 53
Alexia combusta 67
Allobroges victi 53
Alpes claustra Italiæ 55
Alpina corpora 28
Ambracia, Pyrrhi regia dedita 39
Ambiorix 65
Amulius rex Latij 2. victus 2
Anchurius, cur confossus. 79
Ancila, à quo inuenta 4
Aneus Marcius, eiusq; res gestæ, 7. ædificator 8
Andriscus, require Pseudophilippus 43
Anicius proprætor Illyriorum subactor 42
Anni descriptio 4
Annibal, & eius res gestæ. 30

inde vsque ad 28 *Aquitani* 65
Annibal, *pacis impatiens*, *hostẽ populum Romanum toto orbe quæsiuit* 38. *classi Syriacæ præfectus* 39
Annibalis calliditas 31. *moderate dictum* 16. *prima confessio* 35. *decessus à patria* 36
Annibalis pueri iuramentum 31
Anniuersarij & assidui Romanorum hostes 11
Annulorum duo modij 32
An Romana virtus imperiũ orbis meretur 12
Anseris clangor 24
Antiochi regis castra ad mõtem Sypilum 39
Antiochus, *Syriæ rex*, *mollis*, *victus*, *& supplex*, *pacem & regni retinuit* *ibid.*
Antonij consularis caput 79
Antonij fuga ex Panthis 101.
furor qui extinctus 107.
Antonius deditus fame 88
Antonius varius ingenio 95.
scopulus Reip. 99
Apollinis Cumani sudor ac timor 38
Apollo Pythius 12
Appius 57
Appius cæcus 59
Appius Claudius 22. *insolens* 23
Apuleius Saturninus 72. *fustibus saxisq; coopertus ib.*
Aquillius 76
Arabes obsequiosi 61
Archimedis ingenium 35
Arethusæ fons *ibid.*
Ariobarzanes rex Cappadocia 59
Ariouisti superbia 65
Aristobulus in vincula coniectus 61
Aristonicus in vinculis natus 51
Armius Germanorum dux.
Armenia recepta
Arracillum oppidum captũ.
Arnus superbi F. 10
Aruerni subacti 54
Asculum captum 21
Asculum euersum 74
Asdrubal, *Carthaginensium dux* 45
Asdrubalis caput ad Annibalis castra proiectum 35
Asdrubalis vxor, *idus Dimitatrix* 45
Alia quota pars à Pompeio domita 61
Astrionicus Gallorũ dux 29
Astures superbi F.
Asturum opes
Asylum 12
Athenæ belli Macedonij causa 36
Athenio pastor, *seruus*, *auctor noui belli seruus. lacer atus* *ibid.*
Attalus rex Pergamorum 37
Attius Nevius augur 6

Auaricum sublatum 66
Auctores Rom. libertatis 8
Ausidus cruentus 32
Auguratus quando Romanis sacer esse capit 6
Augurium Romuli & Remi 2
Augustus dictator perpetuus (an & Romulus) à senatu dictis Cæsar. Octauius 1
A. Nunus occisus 72
A. Manlij castra capta 40
Aureus sinus 62
Aurum fortius quam ferrum 52

B

BAia, vbi 16
Baleares homines fieri, & eorum studium ab infantia 64
Baleares insulæ peratica ib.
Balearicus, Metelli Macedonici filius ibid.
Balsami silua 61
Beleus, Cimbrorum rex 56
Bella aduersus exteras gentes 103. *indeque in finem epitomes.*
Bellaturiens Ligurum & Insubrum natura 28
Belgæ 85. *Morini* ibid.
Bellum Achaicum 45
Bellum Achaicum cum Antonio & Cleopatra
Bellum Ætolicum 39
Bellum Allobrogicum 54
Bellum Asiaticum 51
Bellum Balearicum 63
Bellum Cæsaris & Pompeij 84. *indeque vsque* 93
Bellum Cassij & Bruti 97
Bellum Catilinarium 83
Bellum Cimbricum Theutonicum, ac Tigurinum 54
Bellum ciuile sub Lepidũ 82
Bellum ciuile Marianum 78
Bellum Creticum 63
Bellum cum Etruscis, Faliscis; & Fidenalibus 11
Bellum Etruscum, Samniticum, & Gallicum 17
Bellum Gallicum 12. *sine Insubricum* 29. 64
Bellum Gallograecum 40
Bellum Illyricum 29. 42
Bellum Istricum 40
Bellum Iugurthinum 52
Bellum latinum pro libertate 10. *de finibus* 11. *quam cito peractum* 12. *secund. Bel.* 15
Bellum Liguſtinum 28
Bellum Macedonicum primum siue Philippicum 36. *sec. siue Persicum* 41. *tert.* 43
Bellum Mithradaticum 58
Bellum Mutinense 95
Bellum Numantinum 48
Bellum Parthicũ 67. 99. 100
Bellum Perusinum 98
Bellum Piraticum 61
Bellum Punicum 24. 39. 43
Bellum sabinum 15
Bellum sallentinum 21

Bellum Samnitticum 15
quinquagenarium ibid.
Bellum Sertorianum 81
Bellum Seruile 75
Bellum cum Sex. Pompeio 92
Bellum sociale 74
Bellum Spartacium 76
Bellum Tarentinum, & cum Pyrrho rege 17
Bellum Thracium 57
Bellum Vulcinienſe 21
Bituitus rex in Triumpho ductus 54
Bocchus Mauritani rex, Iugurthæ ſocer, tamen proditor 53
Brigacini proditores
Britania direpta 66
Britomarus Gallorũ dux 29
Brunduſinum, Sallentinorũ caput 21
Brutus, fauori ciuium veſificatus qui & in filios crudelis 88. eius fortitudo & mors 9
Bruti interfectoris Cæſ. mors 97
Byrſa, Carthaginis ara 44

C

CÆdes Romæ 71. vſque 73. item 78
Calia quid 49
Caninenſes 3
Cæſar depulſus enatat 91
Cæſaris fortuna & victoria 64. vſque 67
Cæſaris vox ad trepidum gubernatorem 88. natura ibid.
Cæſar medius inter Imp. & militem 89. eius ad milites voces ibid.
Cæſaris nec vana de ſe prædicatio 91
Cæſaris victoria, triumphi, fatum 93
Cæſar Octauianus 94. eius laus 95. eius res geſtæ ibid. vſque 99. Victoria de Antonio 102
C. Claudius Pulcher Iſtrorũ domitor 40
C. Gracchus oppreſſus 71
C. Memmius interfectus 72
Calpurnij Flammæ virtus 26
Calpurnius beſtia 52
Camillus & eius ſtratagema 22 reſtitutor vrbis ib. eur exſul ibid. pius ib.
Campania deſcriptio 15
Canenſis clades 32
Cantabri ad extrema redacti, ferro & taxi veneno ſe enecant.
Canuleius Trib. Pl. ſeditioſus 23. Marius eiuſque res geſtæ 10
C. Marcius, Coriolanus cur dictus 11. cur in exilium actus 22
Capita eæſorum in roſtris Romæ propoſita 96
Capitolium ſeptem menſibus obſeſſum 13

Capræ palus 4
Capsa Vrbs in media Africa 52
Capua caput vrbium 23. capta 34
Capuam Annibali Cannas fuisse 32
Caralis Vrbs vrbium 33
Carala excisa 26
Carbo 75
Carisius Astures fudit.
Carthaginensium classis incensa 45
Carthago, Africæ caput, deleta. ibid.
Carthago in mari deleta 28
Carthago non delenda, non seruanda, sed loco mouenda 44
Carthago Hispa mea 35
Castorem & Pollucem Regillēsis prælij spectatore 10
Catilinam qua compulerint, in nefaria consilia 83. eius socij ib. effugium 82. mors ibid.
Cato 57. 75
Cato aduersarius potentum 85
Cato Censorius 47
Cato se interficit. 91
Catonis seueritas 84
Catti 105
Catuli fortitudo 79
Cauelianus, in vincula datus 66. in Causarum patronos Germanorum sæuitia.
Celtiberi robur Hispaniæ 47
Census Romæ actus primū 6
GXL. Senatores occisi 96
Cheruſci 105
Ciceronis consulatus 83. caput in rostris 96
Cimbrorum speciosa pugna & mors 56
Cimbri cum socijs ter victores, segregati ac profligati ibid.
Classes Rom. aduersus Piratas instructa 61
Claudius vnimanus 48
Cleopatra 90. capta, admotis ad venas serpentibus extincta 103
Clodius Glaber 77
Calia Romana, obses elapsa 10
Clypia ciuitas cum triginta castellis vastata 26
Cn. Cornelius Asina qui opinor pressus ibid.
Cn. Fuluius Centumalus Illyriorum domator 29
Cn. & P. Scipionum in Africa interitus 34
Cn. Pompeius 82. pugnando interfectus 93
Cognomen ex prouincia cui soli datum 105
Colloquium inter Annibalem & Scipionem de pacis legibus 36
Comparatio Romæ & Athenarum 39

Con-

Conflictus Romanorum cum Cyzicum, ciuitas 59
Pœnis in Italia 30.31
Contentio virtutis & fortuna 11
Consecratio Romuli quibus iudicijs fundata 4
Consilium penes senes ibid.
Consules, cur appellati quandoque instituti 8
Consulum castra à seruis deleta 76
Contumacia Numinum 7
Corinthi situs descriptio, excidium 46
Cornelius Cinna 79
Corsica capta 26
Coruini vnde vocati 14
Cos nouacula sectâ 6
Cossus Getulicus
Cotison Dacorum rex 104
Crassi cupiditas multata. 67
Crassi in Parthis mors funesta Reip. 85
Cremera. Fabiorum clades 11
Crassus captus fortis tamen 51
Cretes, & eorum triumphus 63. necessitas ibid.
Crixus 77
Curio 57
Crastini pilum 89
Curionis virtus & calamitas par 88
Curius frugalis 20
Cydona mater vrbium 56
Cynoscephala tumuli 37
Cypria opes 64

D

Dacivbi 104. vltra danubium pulsi. ib.
Dalmatarum situs ibid. à Vibio domiti ibid.
Decemuiratus libido, causa seditionis 22. seuerè habita. 23
Decimus Brutus 47. obsessus ab Antonio, liberatusque ab Octauio 95
Decius Mus consul se deuouendo Romanis victoriã peperit 15
Decius Decij F. idem præstat 17
Decora & ornamenta sui saculi qui fuerint 78
Delminium, Dalmatarum 104
Vrbs incensa
Deos Annibali restitisse 35
Dilius 57
Dij, fœderum vltores 68
Dij propitij 14
Dolabella, eiusq; res gesta ib.
Domnes oppressus in pyram se immisit.
Domitij Centurionis stolidi-
tas 104
Duilius Imperator quotidie triumphans 25
Duo iuuenes apud Iuturnæ locum conspecti 42
Drusus 57
Drusi gesta & victoria 104. 105. mors 106

Edi-

E

Editum atrox Mithradatis 59
Edictum nouum 80
Egeria dea 4
Elephāti primo Romanis formidabiles 18. nunc victoriam dederant nunc abstulerant, 19
Equites Reip. peculatores 16
Euni simulatus furor 75
Euripus 38
Expeditio in Cyprum 64

F

Fabiorum trecenti sex occisi 9
Fabius Ambustus, & eius filia 23
Fabius Gurges, Vulsiniorum Victor 21
Fabius Maximus, eiusque res gestæ 17. Consulis in Hispania 48
Fabius Romanorum ad Carthaginenses legatus 30
Fabricius nec ambitiosus 20
Fabula dissensionis inter humanos artus 22
Falisci dediti 11
Familia qua & quot cū Catilina conurauere 83
Fata duorum populorum, tergeminis hinc atque inde fratribus commissa 5
Faustulus pastor 3
Felicitas nimia causa calamitatum 85
Fidenates cremati vltro 11
Flaminius 29
Flamininus dux Rom. 37
Flumen obliuionis 47
Fœderum religio Rom. summa 36
Fœdus Numantinum iuxta ignominiosum ac Caudinum 49
Fœdus cum Ponticis ictum 59. frenu equis exempti à Gesso 11
Fuga Pontificum, Flaminū Virginumq; Vestalium 13
Fuluia sortium, Catilinariæ conurationis index 83
Fuluia virilis militia vxor
Fuluius Nobilior Æstolice domitor 62
Furfidy admonitio 80
Furius Camillus, eius res gestæ 2. fides ibid.
Furnij modestia

G

Gabinius 75
Gallia primus motus 64. fortuna inde vsque 67
Galliarum cōiuratio maxima ibid.
Gallogranorum descriptio, profligatio, perpetua deditio 40
Garamantes
Gergouia fame domita 67
Germania magis turpiter amissa, quam glorioſe acquisita 105

Germanorum diritas 75. sacramentum 105
Glaucia 72
Gracchus Gracchorum pater 47
Gracia capta, legibus suis permissa 37

H

Heluetij 65
Herculius saltus patefactus 105
Hebdonius Sabinus 75
Herennij sapiens consiliū 16
Hiberna taxata 12
Hiero. syracusanus ante victus quam hostē videret 25
Hieroſolyma occupata 61
Hiercanus rex declaratus ib.
Hiſpania citerior recepta 87
Horatiorum & Curatiorum tergeminorum pugna 5
Horatius Cocles eius facinus 9
Horatiº ſuperſtes parricida 5
Hoſtes in nouam Vrbem recepti. 3

I

Janus geminus, fides belli & pacis 4
Ianus, poſt Numam primum clauſſus mox patuit 28
Ianus geminus ab Auguſto clauſus. ib.
Illyriorum deſcriptio & immanitas 29. clades 104
Imperij inſignia & decora, quo auctore cœpta 6
Imperium vniuerſum Rom. furore Cæſ. & Pompeij correptum 84. à tribus occupatum principibus 85
Imperium ſtetit in ripa Rheni 105
Inducionarus 65
Inſubrum & accolarum animi corporaque 28. eorum vota irrita 29
Inſula inter Ceraunios montes & iugum Maleum, capta 40
Iſaurus, arx Cilicia 62
Iſidorum, piratarus dux 61
Iſtri victores victi tamen 40
Italia vbi molliſſima 56
Italia dare caput difficile 33
Italia municipia vendita 81
Iuba Maurorum rex 88
Iudai Hieroſolyma defendere fruſtra cogitantes 61
Iudæorum arcanum ib.
Iugurtha regum fraudulentiſſimus, fraude captus, & in triumphum ductus 52
Iugurtha de Roma dictum 53
Iulia Cæſaris filia, generi ſocerique concordiam tenuit viuens 85
Iulij Proculi de nec conſpecto Romulo nuntius 4
Iupiter Ferex 3. Stator 4
Iuuenes laureati vſi pro æde Caſtoris & Pollucis 56
Iuuentus Dea 7. Iuuentus armata. 8

Lam-

L

Lamponius, Samnitium dux 80
Lancia quàm certatum 108
Lar Tolumnius, Veientium rex 12
Latini, Tarquiniorum asseratores 10
Laurus in pratoria puppe nata 73
Legati amissi 65
Legati Pompeij in Hispania dediti 87
Legati trucidati 74
Leges XII. tabularum 6
Leges Gracchanæ 70
Legiones duæ, sagittis operta 61 62 100
Lentuli ludus effractus 77
Lentuli insania 86
Lentulus in Dacos 104. in Sarmatas ib.
Lepidus 96
Licinius Crassus, Spartaciorum superator 78
Ligurum descriptij 28. clades & necessitas ibid.
Liuius Drusus 73. eius matura mors ibid. eius cupido
L. Albinij pietas 13
L. Cornelius Scipio Cõsul 26
L. Minutij castra obsessa, qui seruata 11
L. Quinctius, eius gesta ibid. dictator ab aratro triumphalis agricola ibid.
L. Sulla auctore, qui status Asiæ 58
Lucretia stuprum, caussa regibus abrogandi imperij 8
Lucullus 47. eius virtus 57
Ludimagister, Faliscorum proditor 11
Lupa, mater expositorum 3
Lutatius Catulus Consul 82

M

Macedones, affectatores Imperij 36
Macedonia seruitute multata 43
Malius, regia dominationis suspectus & damnatus 24
Magni Pompeij magnitudo
Mamilius Tusculanus, Latinorum dux 10
Manlius, Capitolij propugnator, 13. assertor vrbis ibid. in filium crudelis 14. à Capitolio precipitatus, cur 24
Mannij tribuni metus 26. audacia ib.
Marcelli victoria 29
Marcomannorum è spolijs tumulus exstructus 105
M. Acilius Glabrio Cõsul 38
M. Antonius in Cretenses 63
M. Aquillius Romanorum armorum violator. 51
M. Atilius dux 21
M. Crassus 104
M. Fabius Buteo consul 27
M. Lepidus, eius mors 81

M. Octa-

M. Octauius Rostris depulsus. 71
M. Valerius & eius gesta 14
Marij dolus 63
Marij inexplebilis honorum fames caussa belli 78.
mors 79
Marij septima purpura 80
Marius, eiusque aduersus Iugurtham gesta 52. aduersus Cimbere 56. in remp. 57
Martius populus 55
Massilia amica Rom. ciuitas 54
Massilia Gracula ciuitas, cur misera 87
Massinisa rex amicus Rom. 44
Mausoleum quid 103
Mazara Syrus & transfuga & proditor 68
Megaras, dux Numantinorum 48
Menenij Agrippæ facundia quid præstiterit 22
Messana ciuitas, ceu fatis data occasio Romanis ad inuadendam Africam 25
Metelli fuga, exsilium 47
Metelli, in Iugurtham res gestæ 53
Metellus Consul 45. 27
Metellus Creticus 63
Metellus, Macedonicus & Celtibericus ibid
Metellus Pseudophilippi victor 43
Metellus Tr. Pl. 68
Metij Fusetij, ob ruptum fœdus, mors 5
Militis Romani, aduersus Sannites furor 15
Minutij Tr. Pl. sacrosanctum caput 57
Mithradates, debellatus, tandem seipsum confodit 58. 59
Montes amicti vitibus in Campania 15
Montes insani 33
Mons inusitatus Romanis 55
Mucius Scauola pont. 80
Mucius Scauola, eiusque fortitudo 9
Mummius 46
Munda postrema certaminũ 92
Mysij Barbarorum barbari 104
Mysiorum Ducis interrogatio ac responsum ibid.
Mysiorum votum ibid.

N

Nauale bellum, quot nauibus gestum 11
Nefas proditione discussũ 74
Nicomedes, rex Bithiniæ 59
Numa Pompilius eiusque regnum religio, & iustitia 48
Numantia, Hispaniæ decus, euersa 48. 49 50
Numãtini vltro perierũt ib.

Nuntius, Italia latus 56

O

Obsidius, prafectus 18
Octauij consulis caput 79
Oenomaus 77
Opiterginorum fortitudo 87
Orgiagontis, Gallogracorum regis uxor 41
Oriens ac Septentrio, Mithradatis ruina inuoluti
Orodes officiosus 61. *eius munera* ibid.
Orodes, Parthorum rex 68
Osca direpta 82
Ostia, colonia, & cuius 5

P

Pacorus Panthorum rex occisus 84
Pales historia 21
Palladium 4
Pannoniorum descriptio & clades
Parthi cuiusdam vox 107. *A Parthis signa relata* 109
Papauerum capita cur à Superbo decussa 7
Patriciorum, in eadem Cæsaris consensus 94
Pauli ars industria, victoria 41
Pax Cæsare Augusto 109
Pax empta 52
Pax facta cum Tatio 3
Pax in Germania 105
Pax inter tres duces, ac fœdus 96
Pax Italia 21
Perperna, victus ac deditus 82
Perses, Philippi F. fugiens victus 42. *in triumphum ductus.* ibid.
Petreius, se confodit, & lubam 11
Pharnaces ponti rex 91
Pharnacis scelus 60. 61
Philippi campi, fatales 89
Philippus Macedonia rex victus, patrem regnumque tenuit 36
Picentes domiti 21
Pirata, qui domiti & oppressi 61. 62
Piso 57. *Thracum domitor* 104
Plebis secessio cur 22
Pompeiani Italia pulsi 86
Pompeij nimia potentia odiosa 75. *fuga* ibid.
Pompeij filij in Cæsarem 92
Pompeij filia, & alij, cur à Cæsare occisi 93
Pompeius irrisus 63
Pompeius, post fugam à Septimio desertore suo trucidatus 89
Pōs de cadaueribus factus 32
Pontica gentes quæ, & earum reges 58
Pontius Samnitium dux 15
Popedius, dux & auctor belli socialis 74
Pom. Rom. fortuna 75

Populi Romani laus 23
Populi Romani latissimum imperium 1. *infantia, adolescentia, iuuenta, senecta, & senectus reddita iuuentute* 89. *pro libertate bella de finibus ibid.*
Populus Romanus, qui sub Romulo congregatus ac factus 36. *qui diuisus ib.*
Populus Romanus, quousque pius ac sanctus, ac contra exstiterit 50
Pop Romanus quando verè robustus fuerit 2. *. pastorius, & eius virtus*
Pop. Romanus cur victor 19
Porcius Cato 64
Porsena rex Etruscorum libertatem Romanis, quibus adductus, promiserit 9.10
Portus Campania 15
Posthumius Imp. cur lapidatus 21
Postumius Dictator, eiusque nouum & insigne commentum 10
Praeda magnitudo, Veijs 12
Praesidia Pœnorum è Silicia detracta 25
Praetorum castra à seruis capta 76
Prodigia ruinæ Bruti 97.98
Prodigia ruinæ Pompeianæ 88
Pseudophilippus primo victor, post victus ad vrbem in catenis reductus 43
Ptolimæi Cyprij mors 64
Ptolomæus rex Alexandriæ 90
P. Claudius Consul. 25
P. Clodius Tr. Pl. 64
P. Rupilius Imp. 76
P. & Cn. Scipiones 46
P. Sempronius dux, qui Tellurem deam placarit 21
P. Seruilius, Isauricus dictus 61
Punica perfidia 26
Pyrrhus, rex Graciæ clarissimus, eius res gestæ 17.18 *doli dictum ibid. legatorum responsum* 19. *victoria* 5. *fuga ibidem.*

Q

Qua cote ferrum suæ virtutis Romani acuebant 28
Quatuor ciuium millia interfecta 80
Q. Catulus consul 82
Q. Marcius Philippus Consul 41
Quirinus, in cœlo vocatus Romulus 4
Quotidiani Romanorum hostes 11

R

Rebellantum furor Carthaginj 44
Reges, qui bello Cæs. & Pompeij interuenerint 84

Regilli lacus 10
Regulus, fortissimus Imperator 27
Religio publica, priuatis praeposita affectibus 13
Remus, 2. victima Romæ 2
Res mira 3
Res in Hispania gesta 46. cetera in nominibus
in Rheno bis pons factus. 66
Rhenus, nec immunis ibid.
Rhodij populus nauticus 39
Rhodus fida Romanis 58
Romæ ingens trepidatio 91
Roma Athenis prælata 36
Romana pericula & miracula 9
Romana virtus vndiq; probata 20
Romani, quando fretum primum ingressi 25. quando mari congressi ibid.
Romanorum, Annibale in Italia belli gerante, necessitas 33
Rom. clades in Parthis necessitas 101
Romulus, & vrbis & imperij conditor 2. eius res gesta 3. concio vltima dubia mors apotheosis, nomen in cœlo 3. 4. ardens 6
Rufinus consularis, luxus damnatus 20

S

Sabini 3
Sacramẽtum impij belli 74
Sacriportus 80
Saguntinorum excidium calamitosum 30. dira vltima 31
Sagontus deleta, noui belli causſa 30
Salyi subacti 54
Samnites populi, eorum opulentia, fallacia, rabies, pertinacia 16. 17. de eis vicies quater triumphatum ib.
Sanguis humanus bibitus pignor coniurationis 83
Sardinia tentata 24
Sarmatæ vbi 105. Danubio prohibiti ib.
Scæuæ Centurionis virtus 88
Scipio, patris protector 31. Africanus ibid. eius sanctitas 35. Africæ victor ibid. eius de Annibale confessio ibid.
Scipio fugiens se gladio confodit 91
Scipio Nasica 71
Scodra deleta 42
Scordisci, Thracum seuissimi 57
Scytharum, Serum, & Indorum legati Romam cum muneribus missi 108
Seditio Apuleiana 72
Seditio C. Gracchi 71
Seditio Drusiana 73
Seditio Tib. Gracchi 71
Seditiones Romanorum, domi forique 21. 22. 23

Seditionum omnium Roma qua cauſſa 69.70
Segeſtes, princeps Germanorum 106
Senatus funera 80
Senatus mateſtas amiſſa 73
Senones Galli, Romanis magno terrori cum fuiſſent, vrbe capta, & capitolio ſeptem menſes obſeſſo, qui & à quo caſi, trucidati, deletiq; fuerint 12.13.14
Serpens mira magnitudinis 24.
Sertorius 82. domeſtica fraude oppreſſus ibid.
Seruili manu quando à Romanis pugnatum 32
Seruilius Ahala Mag. equit. 24
Seruilius Capio, victoria violator 48
Seruius Tullius, eius q; licet obſcuri regnum, & ſolertia Mors ibid. actus ab eo cenſus 8
Sextus Pompeius abſconditus oppreſſus & interfectus 99
Sicambri 105
Sicilia, vt à Romano ita à Pœno affectata 25
Sicilia tota in vna vrbe ſuperata 33
Solondicus à vigile confoſſus 48.
Spartacus, auctor belli ſpartacij 67. in pugna occiſus 77.78.
Spartaciorum exitus ibid.
Sp. Caſſius cur morte multatus 23
Stolo, Senatui inimicus ibid.
Strabo Pompeius 75
Sub pellibus quando primum hiematum 12
Sueui 105
Sulla 53. impatiès iniuria 78
eius crudelitas 79
Sullana proſcriptio reuocata.
Sulmo, oppidum deletum 80
Sulpicius 78
Supplicium de ſeruis ſumtum 76.
Suria recepta 100
Sylla Vide Sulla.
Syracuſæ caput 33

T

Tanaquil, Tarquinij vxor 7
Tanti exercitus, quanti Imperator 49
Tarentus Lacedæmoniorum opus 17. 8. vbi poſita 23
Tarentus recepta 34
Tarquiniorum fortitudo 10
Tarquinius Priſcus, nec pace quam bello promtior, eiuſque 6. geſtæ ornamenta 10
Tarquinius Superbus, eius ſæuitia domi ac foru 6. 7. in ſuos ibid. ſuperbum reſponſum ibid. impor-

dominatio 10
ex Taxis arboribus venenum 107
Teleſinus, Samnitium dux, oppreſſus 80
Tentoria Antiochi 54
Tenchteri 105
Terminus deus 7
Teſtamètum Attali regis, 22
Teſtamentum Cæſaris 95
Teuta Illyriorum regina, 29
Teutobocchus, Teutonum rex captus 55
Theutoni oppreſſi à Mario, ibid.
Thraces, ſuis moribus domiti 57
Thraces à Piſone perdomiti 104.
Thracum captiuorum rabies ibid.
Thracum crudelitas aduerſus captiuos 57
Tiberis à quo ponte commiſſus 49
Tiberius Gracchus ſeditioſus oppreſſus 71
Tigranes ſupplex 60
Tigranes rex Armeniorum, 106.
Tigurinorum manus 56
T. Labienus 65
Thoas, Ætolia princeps 38
Torquati vnde dicti 14
Traſimemus lacus 31
Triumphus de nomine 49
Triumphus primus maritimus 28
Triumphus tempeſtate interceptus 27
Triumphus tridui de Macedonia 42
Triumuiratus 96
Tropeum aureum 29
Tullia, Superbi vxor, in patrem crudelis 6
Tullus Hoſtilius, eiuſq; regnum virtute quæſitum, militaris diſciplina, 4. 5. 6. 7.

V.

AD Vadimonis lacum in Etruria, reliquia Senonum deleta 14
Valerius Poplicola, libertatis ſtudioſus 9
Varij Quinctilij libido odioſa Germanis, 106. *mors, ib.*
Varus, pulſus & fugatus, 88
Vaſtatio à Spartacij facta, 76.
Veientes 3. *obſeſſi decennium, deleti* 11. 12
Velini fontes vbi 15
Ventidij Ducis ſtratagema, 100.
Vercingentorix ſupplex, 67
Veſuuius mons vbi 15
Vibius, Pannoniorum ſuperator 104
Victoria ex pralij errore. 97
Victoria Mithradatis, 59
Victoria naualis Rom. apud Ægates inſulas 17

Victoria noua Fabij 29
Victoria Rom. maximè incruenta 62
Victoria Romanorum apud Panorum 27
Victoria Tarentina quid ostenderit ibid.
Victoria vnius manus parta 5
Virdumarus Gallorum rex, 29.
Virginij in filiam diritus, 23.
Virginis audax facinus 3
Virginum raptus, cauſſa bellorum ibid.
Viriathus ex venatore latro, dux, & Imperator. 47.
Vſipetes 105
Vulſinij, Etruſcorum opulentiſſimi 21
Vulteius Trib. mil. 97
Vulturcij litera proditionis plena 84

X

X. *Centuriones concremati* 104
Xantippus, Rom. in Africa victor. 27

FINIS.

I. STADII.

IN L. IVLII FLORI

HISTORIARVM LIBRI IV.

COMMENTARII.

EDITIO TERTIA.

AVCTA ET RECOGNITA
ab ipso Auctore.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM KINCKIVM sub
Monocerote.
ANNO M. DC. XXXV.

IOANNIS STADII IN COMMENTARIVM L. IVLII FLORI PRÆFATIO.

ETSI omnibus rerum gestarum scriptoribus multum debeamus, quippe qui suo studio effecerunt, vt facilius quid nobis, præteritarum rerum cognitione adiutis, in vita expetendum, quid declinandum esset expediremus: tamen sapientissimorum hominum iudicio, potissimum ijs obstricti sumus, quorum opera & industria, res à Romanis domi forisque gestæ, ad nostram notitiam peuenerunt: quod rectè illi quidem ita censuerunt & prudenter. Nam si vtilitatem ex historiarum lectione quærimus, nulla est respublica, quæ exempla fortitudinis ad mortem oppetendam, aut prudentiæ ad perniciem præcauendam: aut industriæ ad propulsandam, vberiora suggerat. Populus enim Romanus, vt ceteros armorum gloria & imperij amplitudine, quibus vniuersum ferè terrarum orbem complexus est, deuici: sic ijsdem, omni genere exemplorum quæ quisque secutus, egregiè cum sibi tum reipublicæ consulat, antecelluit. Cuius si primæ tempora cum post exactos reges sibi libertatem vindicasset consules eâ non ab hominib. sed ab heroibus quibusdam administratâ existimes: tantũ iustitiæ ac moderationis amorem, tantũ paupertatis ac parsimoniæ cultũ: tantũ luxuriæ & auaritiæ odiũ possis animaduerte. Sed quid: tũ tantam rem à tam paruis initijs profectã tot reipu-

blica conuersionibus, tot bellis, tot cladibus parem fuisse; toties afflictam domi forisque rempublicam, vnam terrarum omnium dominam, toties recreatam, cogitatione atque animo comprehendimus; ecqua voluptate vtiliore frui? ecqua vtilitate suauiore capi possimus? Sin cognitionis etiam dignitatem spectabimus, quod imperium, quam libertatem, quam aliam vel populi vel regis amplitudinem cum populi R. imperio, libertate, maiestate conferemus? Profer Assyriorum, profer Persarum, profer Græcorum imperium; ficta equidem illa, & commentitia esse eorum, qui illa memoriæ commendarunt, quàm re ipsa illustriora videbuntur. Quis itaque non indolescat? si nostra qualesque nostros tanta scriptorum eius populi inopia vrgeri intelligat, qua in tenebris atque hominum ignoratione tantæ res sepultæ iacent? Si Titum etiam Liuium, qui eas, CXLII. libris, in lucem atque omnium conspectum protulerat: vel temporum iniuria, vel hominum incuria periisse ita sentiat, vt in mutilato ad quartam ferè partem, contaminationem quoque & horridum squalorem abominaretur; nisi opera industriaque Caroli Sigonij, optimè de omni Antiquitate meriti, hanc ipsi labem detersisset. Nec enim vlla re alia, in tam angustam rerum laudatissimarum cognitionem tota posteritas redacta est quàm quod ad eas cognoscendas, propè innumerabilibus præsidijs quibus superiora abundabant sæcula, destituta fuerit. Et quem non commoueat? Si pro Liuio Romanarum rerum conditore altero: si pro locupletissimo dignitatis Romanæ historico, sibi Florum successorem vt inopem datum ita scriptorem tumultuarium videat? qui rerum gestarum seriem, qui temporum distributionem, qui imperatorum nomina & munia aut perturbet frequenter aut permisceat? Si pro puro & illustri scriptore Liuio, eum, qui dum poetarum pigmentis, rei gestæ lenocinium quærit, qui dum declamatorum artificii & elationibus eloquentiam ostentat, historiæ legem neglig

negligat? Sed enim cùm Liuianæ industriæ monumenta, quibus à condita Vrbe ad AVGVSTI vsque imperium, historiam per DCCXLIV. annos composuerat, deplorandam citius, quam aliquando exspectandam metuerem: viderem & nullum huc vsque auctorem esse superstitem, qui ductum historiarum Liuij à primordio Vrbis, vsque in Augustum, tali ordine, atque Florus suscepisset, prosequeretur: operæ pretium me facturum putabam, si studiosorum hac in parte desiderium qua possem diligentia & industria, lenirem: idque futurum, si Florum commentario vel emendaremus: vel eo ex incorruptæ fidei monumentis collecto ita exploremus, vt ne vel ordinem, vel tempus gestarum rerum, lectori, vel properanti, aut etiam meditanti abrumperemus. Deinde vt studioso quoque vestigia aliquot indicarem per quæ obseruaret, quibus quasi seminibus magnæ respublicæ procreentur; quibus moribus atque institutis adolescant; quibus legibus & rationibus conseruentur; quibus contra vitijs ad conuersionem inclinentur, semel & labefactatæ præcipites eant: non inconsultè me facturum existimaui, si paucis hic, antequam Florum exponerem, de reipublicæ statu, qui in vrbe fuerit, præfarer. Siquidem Florus noster tantùm complectitur gestarum à populo Romano rerum historiam hoc est, in quantam, rei militaris virtute & disciplina, potestatem & principatus amplitudinem sese res Romana diffuderit, enumerat: aut etiam quàm infeliciter seditionum & secessionum morbo domi, ob patriciorum dominationem, ob factiones optimatium & plebeiorum seditiones agitata fuerit, reprehendit. At cùm respublica omnis (vt à Politicis distribuitur) vel vnius, vel paucorum, vel populi imperio gubernetur; ita si ex tribus istis iustè temperatus aliquis reipublicæ status fuisset, cum Cicero rectissimum optimumque censuisset. Sed eo Ciceronis temperamento Respublica Romana nunquam fuit administrata: verùm suis pro-

greſſibus, per ordinum & honorum communicationem, cum ætate ad moderatum reipublicæ ſtatum nonnihil profecerat. Regio enim imperio (quam μοναρχίαν Græci vocant) Roma ſtatim condita per annos CCXLIV. ſeruiuit: quo temporis interuallo, etſi iuſti aliquot publicæque vtilitatis ſtudioſi reges fuerint, qui populum Romanum ita legibus, & inſtitutis firmarunt, vt bellica virtute, domeſtico patrum cõſilio, orbis imperio potitus ſit, tamen iniuſta nonnullorum impotentia, libidine, & audacia vexati ciues, exegerunt reges, & rempublicam ab vnius dominatione liberarunt. Succeſſit deinde annuus, pro perpetuo magiſtratus, hoc eſt, conſulatus, pro regno; vt duo æquali poteſtate annum vnum regerent; fuitque is honor in patriciorum potentia, ita vt temperamento non ſatis moderato reſpublica teneretur, cũ patricijs, patriciorum auctoritate, honores darentur; cùm plebeis neque curationes publicæ, neque magiſtratus, vt qui auſpicia plebi nulla eſſe aſſeuerarent: neque connubia, veluti contaminatione, generis inæqualitate, auerſarentur, communicabantur: atque ita fiebat, vt plebs ipſa ſub patriciorum dominatu non aliter, atque antea ſub regibus ſeruiret: quare diſcordia & ſeceſſione laboratum eſt quouſque plebs per ſacroſanctum Tribunatum, contra optimatium dominationem & libidinem, libertatem & pudicitiam ſuam tueretur, atque Tribunorum plebis auxilio deinceps connubiorum & honorum communicationem, & legem Hortenſiam, qua Quirites omnes, plebis ſcita adſtringerent, à Senatu & optimatibus extorſit. Nunquam itaque populi Romani ſtatus ex tribus illis æquiſſimi formis temperatus fuit: nec regius ſiue μοναρχικὸς in conſulum imperio erat, plus enim in republica poterant Tribuni plebis, quàm conſules. Nec optimatium ſiue ὀλιγαρχικὸς poteſtas, in Senatus auctoritate vigebat: plus enim ſemper imperij fuit in populo quàm in Senatu populus enim leges iubebat vel abrogabat, magiſtratus dabat vel adimebat: bellum indicebat, quod plebs ſiniebat: vita ac

CCLXI. CCCIIX. CCCXXCVII DCLXVI

necis potestatem habebat: & ad eius iudicium à magistratibus prouocatio fiebat. Quare populi Rom. rempubl. in populari siue δημαγχίας imperio fuisse manifestum est. Atque eo in statu populari floruerunt lumina illa virtutum, modestiæ, fortitudinis, iustitiæ, quæ victi orbis principatum, imperijque confessionem exteris gentibus extorserunt. Tranquillum autem vsque adeò reipubl. statum duo Gracchi, Saturninus, Drusus furiosi & seditiosi Tribuni plebis, infeliciter perturbarunt, dū plebi contra optimates dominium, hoc est, ὀχλοκρατίαν affectant, vel agrarijs vel frumentarijs legibus, vel iudiciorum à Senatu ad equites translatione, vel Romanæ ciuitatis cum socijs communicatione. Iniuria tandem Sulpicij Tribuni plebis Sulla commotus, ipsorum potentiam & plebis dominatum infregit, & iterum optimatium dignitatem asseruit. Contra Pompeius Magnus, dum salutare illud popularisque status temperamentum sperat posse restitui, si tribunorum pleb. magistratum pleno iure plebi reddat, non assequitur quod optauerat, immo hoc consilium Pompeio infelicissimè cessit, hoc est in suam & reipublicæ perniciem; nam in ciuitate moribus corruptissima, ambitione iam & auaritia grassantibus viam audaciæ ciuium patefecit, ad rapiendam tribunorum pleb. auxilio rempublicam, plebis suffragijs largitione corruptis: nec otium erat aut quies à motu publico, ita semel euulsit reipublicæ partibus, sed crudelitate Marij & Cinnæ, Sullæ dictatur à contumelioſè & tyrannicè laniata: conspiratione etiam Cn Pisonis & Catilinæ sollicitata, simulque iam ipsa ad conuersionem suam inclinante republica, ad vnius iterum imperium respicere videbatur: ita vt ab vnius dominatione ad popularem, à populari ad plebeium, à plebeio ad vnius imperij statum conuersa esse videatur. Atque cùm tres in vrbe ciues potentissimi essent, Pompeius, Crassus, Cæsar, ipsi coitione amicitiæ fœdera inter se compararunt, vt semper honores absentium, illi quia ad vrbē essent, propugnarent, & si singuli tum quidem

DCXX. DCXXIII DCLIII. DCL XII. DCLXV. DCLXX. DCCXXI DCLIXC DCXC. DCXCII.

dem ad dominatum adſpirarent, tamen mutuò metu
DCCI. quieuerunt, donec Craſſo à Parthis cæſo, Pompeiique
DCCIV. neceſſitudine cum ſocero Cæſare ex Iulia morte abrupta, ciuile bellum erumperet, quo Pompeius extinctus eſt, & reſpublica Cæſari, tanquam ciuilis belli præmiũ cesſerit. Nec Cæſaris Dictatoris diuturna fuit Dictatura: conſpiratione namque optimatium, vt liberarent rempublicam, quincto dominationis ſuæ anno in curia Pompeij cæſus eſt. Dumque Cicero ἀμνησίαν ſe Atheniẽ-
DCCIX. ſium exemplo, hoc eſt, præteritorum obliuionem ad otij & pacis tranquillitatem optimatibus perſuaſiſſe opinatur, M. Antonij calliditate & artibus omnes decepti ſunt, vtpote qui rebus ſuis confirmatis, & metu amoto ad ingenium, quod reipublicæ oppreſſionem moliebatur, rediit: atque rebus iam in præceps euntibus, paceque conuulſa, Triumuiros ſe reipublicæ conſtituendæ tres
DCCX. Imperatores, Lepidus, Antonius, Octauius renuntia-
DCCXI. uerunt & lege Pedia, Cæſaris percuſſores, Brutus Caſ-
dccxvii. ſiuſque abſentes condemnati ſunt: quibus cæſis, Sexto-
dccxiii. que Pompeio apud Siciliam fracto, Lepido in Sicilia dignitate triumuirali exſuto. Antonio in AEgypto interfecto: ad vnius iterum Auguſti poteſtatem ius, imperium, reſpublica conuerſa eſt, eaque omnia quæ ſtatim ab Vrbe condita regni, poſt magiſtratuum Senatus ac populi fuerant, Imperatoris prænomine AVGVSTVS, anno V.C. DCCXXVI. occupauit. Atque iſta conuerſionis & circuitus reipubl. Romanæ hucuſque ſumma eſto: nunc conſilij noſtri rationem & Commentarij noſtri diſpoſitionem, paucis exponamus. Vt autem per eum negotioſis & otioſis pariter à nobis conſultum eſſet, nihil commodius putabam, quàm occupatis ita ſatisfacere, vt rerum geſtarum ſeriem argumentis tantùm breuibus ad ſingula Flori capita præſcriptis complecteremur. Otioſis autem, hoc eſt, quibus magnarum rerum cauſſæ, conſilia, euentus ideo curæ ſunt, vt ſibi prudentiam ab aliorum experientia confirment: equidem ijs ita conſultum fore putabam, ſi com-

si commentario nostro fideliter ex optimis & fide dignis veterum monumentis collecto, altiusque repetitis caussis, rem gestam prosequeremur adhæc, vbi ordine aut negligentia, quod vitium huic auctori nimis familiare est, peccaret, admoneremus: sicubi officio suo probè functus esset, eundem locum, vt opera nostra non indigentem, præteriremus: sin loca in contextu Flori obuia essent, quæ vel obscuritatis aliquid lectori imperito, vel ob antiquitatis tenebras, vel Geographiæ imperitiam effunderent ea vt numerorum notis determinata, vel fidelissimè explicaremus, vel de ijs nostram sententiam sed priscorum testimonijs confirmatã, adduceremus quo labore nostro, lectorem quemlibet facilem (si Commentarium nostrum vbi notæ numerorum inter legendum occurrent, cum Flori scripto communget) consecuturum speramus, antiquitatis Romanæ non sine magna voluptate cognitionem & viam sibi patefactam fore, ad Ciceronis, Liuij, Cæsaris, Suetonij, &, qui mihi præcipuus est, Taciti, cum fructu & iudicio lectionem & intellectum commodiorem. Et eadem nũc etiam opera nostra in Suetonium & Tacitum vt purgatior vterque, & cum lectoris cognitione familiariore primo quoque tempore prodeat, elaboramus. Atque vt præcipuam lucem, ad Antiquitatis notitiam memoriæ concipiendam, adfert rerum gestarum series etiam tempore distincta, ita nos ad marginem Flori nostri semper, vbi opus esse censuimus numerorum Rom. notis, annos ab vrbe condita prætexuimus, in quibus determinandis certissima scriptorum & Annalium monumenta, & recentem Huberti Goltzij absolutissimam & fidelissimam Fastorum editionem secuti sumus: nec parum debemus exquisitissimus Caroli Sigonij lucubrationibus. Et cum vrbis conditæ initium CHRISTI DEI natalem DCCL. annis & diebus CXXCV. præcedat, quantum ferè spatij nos historiæ ista prosequimur, facilè fuerit cuilibet vrbis conditæ annos ad tempora CRI. natalem præcedentia aut sequentia accõmodare Restituimus

tuimus quoque multa in hoc scriptore loca, caussam & castigationis & coniecturæ nostræ reddidimus. Vixit autem Florus sub Traiano Cæsare, patrem habuit, vt scribit Volaterranus, L. Iulium Florum. Secundum, quem Quinctilianus lib. X. Florem eloquentiæ Gallicæ vocat cùm eam ibi exercuerit, principemq́, alioquin inter paucos disertissimum: quod nos secuti, hunc librum ex gente additâ ita inscripsimus. L. Iulij Flori, de Gestis Romanorum, Historiarum lib. quatuor. *Et si sint, qui Annæi nomen Floro ponant: de quo meam sententiam suo loco dicturus sum. An sint eiusdem Flori Epitomæ in Liuium conscripta vt asseuerare non ausim ita hoc in medium, vt mihi ambiguum relinquam.*

ARGVMEMTVM PROLOGI IN LVCIVM IVLIVM FLORVM.

QVOD virtute duce, comite fortuna populus Rom. per bellicam virtutem multum, per disciplinam rei militaris vt plurimum, ita ad orbis imperiū excreuerit: vt animo concipere eius vicissitudinis & progressus memoriam nemo queat commodius, quàm qui, imagine ab hominis ætate desumpta, eā distribuat per infantiam, adolescentiam, virilitatem, senium, vtpote qui ordine tali & distributione rerum gestarum magnitudinem conceptam facilius, imperij molem subtilius, temporum interualla sit distinctius comprehensurus.

COMMENTARIVS.

1. Laborioſos populi Rom. progreſſus & incrementa illa, quibus militari virtute & diſciplina orbis imperiū acquiſiuerit, quatuor libris proſequuturus, prudenter ſane & ordine & imagine ab hominis ætate deſumptis, confuſionem euitare ſtudet, quæ alioquin lectoris memoriam, tanta rerum geſtarum amplitudine, ætatum ſerie, variantiſque fortunæ viciſſitudine turbatura fuerat. Vt enim ætas ad quartum vſque gradum ſuccedit: ita populi R. ab exiguis initijs progreſſum, per quem vrbis vnius Reſpublica, orbis imperium, rei militaris diſciplina, ſeptingentesimum per annum aſſequuta fuerit, recenſet. Egiſſe ſcilicet populum R. infantiam ſub Regibus ccxlvi. annis, adoleuiſſe principem populum ſub Conſ. Dictatorumque magiſtratu ccxiv. annis ad primum vſque bellum Punicum: maturuiſſe deinceps virilitate ſua ccxxi. annis, hoc eſt, vſque ad Cæſaris Auguſti primum conſulatum, quem vi ſibi, poſtquā in prælio Coss. Hirtius & Panſa cæſi erant, ſumpſerat, poſt ſeptingentos & nouem annos ab vrbe condita, vti ex Annalibus Coss. & faſtis colligitur. Atque tantam imperij molem magnitu-

gnitudine sua, Imperatorum inertia, populi Romani luxu auaritiaq; consensisse, confectamq; videmus.

2. Septingentos per annos, concisè dixit: cùm ab V.C. ad Augusti primum consulatum percenseantur anni DCCIX. idque in fastis & Capitolinis tabulis, quare hic nouem anni desiderantur, quia tamen compendio comprehensurus est populi R. fatum, rotundo numero vti, vt compendiosiore, maluit. Nam quod ferè scriptores diuersi abeunt ab ætate illa conditæ Vrbis dirigenda, quæ in Capitolinis tabulis habetur, ideo factum esse manifestum est, quod aliquando annos aliquod ipsi prætermittunt, in quibus Dictatores sine Coss. magistratum gesserunt, & quod solennes dies ineundo consolatui inconstanter & variè ab initio obseruati, vnius anni differentiam attulerint.

3. Vt Latini ætatem vocant humanæ vitæ spatium suis progressibus distinctum, ita septingentos annos, quibus infantiam, adolescentiam, iuuentutem P. Romani complectitur, ætatem vocat: eo sensu, vt septingentos alteros annos lector putaret adiiciendos, ad moliendam tantam principis populi maiestatem & amplitudinem. Putare enim, probis scriptoribus significat summam collectam nuncupare, hoc est, per rationes collectam summam pronuntiare.

4. Existat de fortuna Romanorum liber Plutarchi elegantissimus Budæo Interprete.

5. Regnatum est Romæ ab Vrbe condita ad liberatam annis CCXLIV. ita enim summa annorum colligitur ex Annalibus Consulum, & numeris triumphorum, hoc est, ex monumentis calculandi priscorum tempora, eaque dirigendi ratione, fidissimis. Nam quod annum vnum subducunt. Eutropius, Rufus, Solinus, Eusebius, Orosius; eo referendum est, quod nonnulli reges supra integros annos (quod suo loco demonstrabimus) menses & dies aliquot regnarūt, illasq; anni partes, quæ collectæ annum explerent, vt contemnendas, ipsi præterierunt. Cur ergo Florus (*propè*) adijciat, manifestum est, vt scilicet sexennium 230. annorum summæ deesse admoneret. Sub Regibus vero, hoc est, sub infantia Pop. Rom. ipsorum ager ab vrbe ad v. milliaria, vt Eutropius; ad XVII. vt Sextus, & D. Augustinus mensurant, productus est. Regum tamen institutis & legibus ita Reipublicæ fundamenta sunt iacta, vt ab ijs primordijs ad gentium omnium principatum, bello pace que P.R. adoleuerit.

6. Bini

6. Bini Consules creati primum sunt, Regibus ob tyrannidem exactis, duo Lucij; Iunius Brutus, & Tarquinius Collatinus, anno Vrbis conditæ ccxl.v. sed Italia Romanorum armis edomita est. sub primum bellum Punicum anno Vrbis conditæ CDIXC. sunt ergo intermedij anni ccxlv. differtq; ratio Flori à Fastorum & scriptorum omnium calculo per annos xl. idque non satis toleranda numerorum securitate; quare nos scribendum putamus ccl. ne noster tanto interuallo à cæterorum consensu diuersus abijsse videatur.

7. Consules eduntur in festis Capitolinis ad annum Vrbis conditæ CDXXCIX. APP. CLAVDIVS CAVDEX & M. Fluuius Flaccus, prænomen Quincti vitiosum sit pro Marci.

8. Circuitione significet gentem Valeriam, Postumiam, Papiriam, Quinctiam, Furiam, Corneliam, Fabiam, Curiam, Fabriciam, quæ à Regibus exactis vsque ad Italiam edomitam, magna & illustria abstinentiæ, modestiæ, fortitudinis & virtutis Romanæ documenta præbuerit.

9. Orbe Coss. Republica, Octauius, qui deinde in imperio Augustus est dictus, occasione inuadendi magistratus, promouit ad vrbem exercitum, & per vim à Senatu Consulatum extorsit: anno ab V. C. DCCX. ex A. D. x K. L. OCTOB. cum, Idibus Martijs superiore anno præteritis, Cæsar Dictator coniuratorum violentia XXIII. vulneribus in Senatu confossus esset, quare si numerum volumus eadem ratione cum mox sequenti rotundum, qua binæ ætates præcedentes inter sese consentiunt, scribendum & hic erit cc. atque ita ducenti, cum bis CCL. hoc est, quingentis coniuncti, septingentos ab vrbe condita vsque ad Augustum Cæsarem annos sunt collecturi, vt ratiocinium L. Flori statim ab ipso in præfatione nuncupatum expleatur.

10. Perplexe satis istud cc. annorum spatium vsque in suum sæculum L. Florus circumscripsit, cum namq; ad Augusti consulatum à condita Vrbe computauerit DCC. annos, altera, & ista quam recenset ducentorum annorum ætate adiecta, colligimus nongentos annos, producimusque populi Romani senium ad Hadriani vsq; Cæsaris excessum: cum tamen Traiani XIII. Romanorū Imperatoris virtute, imperium Meridiem, & Septemtrionem, Ortumq, versus latissime productum sit, quod vt Florus subiudicat, ita cæteri scriptores conttantissimè testan-

testantur. Sed sub Hadriano, qui parta tuebatur solum; vel etiam negligebat, adseuerent imperium non esse amplificatum. Quare si Flori rationem produxerimus à consulatu Augusti vsque in Traiani mortem, colligemus annos cxxc. atque ita Florus xx. annorum spatium in his verbis (*non multo minus*) includisse videtur.

11. In verbo *Decoxit*, egregia translatione vsus est, vt enim si vitio nostro illa dilapsa sunt, quæ nostro labore parta non sunt, sed à maioribus relicta. decoxisse notamus; ita quæ virtute & rei militaris gloria sibi P. R. acquisiuerat, illa Imperatorum ignauia, hostium insultu diuulsa sunt ab Imperio; vt etiam in tanta P. Romani principis olim terrarum maiestate, conuersionem obseruare liceat, quem Plato scripsit, & Cicero laudat, intra septingentos annos statam esse magnis Respublicis definitam.

ARGVMENTVM IN CAP. I. LIB. I.

Romuli & Remi ortum educationem, & fortunam exponit: quo modo postquam Numitoris aui & Siluiæ matris iniurias vltus esset Romulus Rex Romam in Palatio condiderit, quam deinceps legibus, institutis, armis, consilio ita confirmarit, vt fundamenta tanto olim imperio iecerit: ipse Romulus incerta morte ereptus, Quirini nomine consecratur.

COMMENTARIVS.

Reipublicæ orbis totius potentissimæ incremēta percensurus consulte ab Vrbis conditore Regibusque, qui septem eo quem prosequetur ordine regnarunt, initium ducit.

1. Romulum & Remum spurios fuisse Plutarchus in Theseo auctor est: vetus tamen opinio fuit, vt tanti populi originem ad Deos referret, esset natus ex Marte & Rhea Siluia, siue Ilia (ijs namque nominibus Scriptores vtuntur) Vestali virgine, Numitoris Albani regis filia, Amulius frater minor Numitorem primogenitum & successorem legitimum per vim regno depulerat, eiusque filium, ne qua spes hæredis aut vltoris futuri superesset, in venatione percussit; filiam ad Vestale sacerdotium

dotium ceperat. Sed postquam furtiuo concubitu grauidam deprehendit, eam custodia sepsit vt partus enecaretur: ipsa quidem peperit gemellos, qui Amulij imperio in profluentem proiecti, beneficio Faustuli pastoris Regij collecti seruati sunt & educati: ipsa Siluia à partu liberata & stupri rea patrui iussu, vt habet Eusebius, viua defoditur. Alij in carcerem, deprecante Antho, Amulij Regis filia, coniectam referunt, inde filij Romuli beneficio, cum Amulium interfeciſſet, ereptam & restitutam.

2. Romulum à Ruma, id est, vbere, Romum inuenisse numen, probati scriptores testantur: inde Romulum blandiendi causſa dictum, eo quod paruulus & inhians ad vbera lupæ sub ficu repertus esset.

3. Arbor illa dicta fuit Ficus Ruminalis, vel quia pecora ibidem ruminantia æstum sub vmbra vitabant, vel à Romulo ibidem à Faustulo collecto. Ruminalem ficum erat autem in Comitio, sub Nerone Cæsare 840. annis postquam Romuli infantiam protexerat aruisse contabuisseque refert libro XIII. Tacitus, non sine omine in deterius progressuri imperij.

4. Albam longam condidit Ascanius Iulus, Æneæ ex Creusa filius; anno post captam Troiam XXXII. à condito per Æneam ipsius patrem Lauinio: (quod ita ab vxore Lauinia Latini Regis filia appellatum est) anno tricesimo.

5. Quatuordecim ab Ænea & Ascanio primis Latinorum regibus continua successione Reges gubernarũt. Regnarum esse à Latinis ad conditam Romam annis 428. sed ad conditam vrbem vsque à Troia capta anni recensentur. CDXXXII. quatuor enim annis Æneas cum suis errauerat antequam in Italiam appelleret. Sed quia variant auctores omnes in nomenclatura regum Albanorum, etiamsi quatuordecim enumerent à Siluio, Æneæ ex Lauiniana posthumo (abeo, inquam, Siluio, qui nomen ideo quod in siluis natus & educatus esset, inuenit, dum post Æneæ mortem Lauinia grauida priuigni Ascanij odia vitaret) consultò illorum nomina omisimus, cuilibet enim illa ex Dionysio, Liuio, Ouidio in Fastis; & Eusebio in promptu sunt.

6. Restituto Numitore auo, vt albam longam pastorum aduenarumque turba, quæ cum Romulo ad vindicandam Amulij tyrannidem confluxerat, exonerarent, capiunt ex aui authoritate & subsidio nouæ vrbis condendæ

dendæ consilium: sed distrahebantur æmulatione fratres, vtrius auspicio & quo loco vrbs conderetur. Romulus Palatinum montem, quia collecti ibidem à Faustulo educatique essent, cæteris præferendum contendebat: Remus Auentinum delegit propter Remuriam iam vtcunque ibidem à se extructam. Crescente vero æmulatione & factione quoque partium, auum Numitorem consulunt: ille rem augurio, hoc est, deorum iudicio, quod de cœlo ex auium volatu & numero obseruarent, committendum definiendumque respondet.

7. Sacris itaque legitimè peractis rem auspicijs permittunt: (quæ quare Piacula vocet Florus, non satis assequor, etiam si piacularis sacrificij Festus, sed longè alia significatione, meminerit) Putarem equidem, si pateretur exemplarium consensus, auspicia, pro piacula, apertius & significantius substituendum, aut vt legit Iornandus Gothus, scribendum esse, *adhibere placuit Deos.*

8. Auentinus vnus ex septem collibus Romanis, ita ab Auentino duodecimo Albanorum rege, qui ibidem & habitauit & sepultus est, dicitur: (& si Varro etiam alias huius nominis rationem adferat) tamen quia illa Dionysio probatur, nobis non omnino reijcienda videtur. Auentinus pomœrio non fuit inclusus ante Claudium Imperatorem ad octo sæcula posteriorem, addit causam apud Gellium Messalla, quod in eo Remus auspicatus, auibus irritis habitis à fratre in auspicio superatus fuerit, quare vt inauspicatum pomœrio excluſum.

9. Pallantium ab Arcadibus, qui eam coloniam à Fauno Aboriginum rege susceperant, in monte conditum, à veteri patria Pallantium appellarunt, quare ipse mons Palatinus dictus est atque Palatium. Eustatius ὅθεν καὶ νῦν οἱ ῥωμαῖοι τοὺς βασιλεῖς πρέποντας τόπους οὕτω καλοῦσιν παλάτια, καθ' ὑφαίρεσιν ἀμεταβόλων τέτλι. καὶ τοῦν.

10. Vultures ideo potissimum in augurijs obseruatos testatur Plutarchus, quod rarissime & nisi fortuito conspiciantur; quod innoxij sint, nec ex rapto viuant, & sui generis cadauera non deuorent.

11. Condi cœpta est vrbs à Romulo. Ex A. D. XII KAL. Maij. die ipsis Palilibus siue pastorum Deæ Pali sacro, hora intra tertiam & quartam, vt refert Plutarchus: atque hic dies vocatus est deinceps vrbis natalis. Fuit is annus

annus post captam Troiam CDXXXII. Ante Christum natum DCCL. & diebus CXXCV. quare à condita Vrbe vsque ad hunc annum ; quo ista conscribimus, 1565. numerantur anni, MM. cccxiv. Multi tradidere Romam ante Romulum longo interuallo conditam , & variarum opinionum auctores laudat & recenset Dionysius lib. 1.

12. Hoc ideo dicit quod vultures tardo ferè volatu comitari solent exercitus, triduoq; ante aut biduo volare, vbi cadauera futura sint. Plinius lib. 10. cap. 6.

13. Vtriusque partis studio dum factiosè altera Remum altera Romulum colit ; extollitque audaciore æmulatione , à verbis ad verbera deuentum esse scribit Dionysius, Remum in ea pugna cæsum , & in Remuria sepultum. Alij scriptores eadem cum Floro recensent; & Celerem fabricæ præfectum , rutro in illudentis Remi caput inflicto ipsum exanimasse & Lucanus:

Fraterno primum maduerunt sanguine muri:

14. Asylum siue templum aperuit perfugis ad securitatem Romulus , vocauitque illud Asylæ Dei , quasi è cuius templo abripere quemquam nefas esset: ita vt neque dominis seruos, neque nexum æris alieni caussa creditori, neque homicidas magistratui dedere liceret. Eadem Asylia siue libertas adhuc hodie in diuorum nostrorum templis obseruatur , aperuerat Asylum Romulus eo consilio vt vrbs habitatoribus frequentaretur ex aduenarum confluxu , quippe statim à primordio vrbs ipsa vix mille domus habebat; vt testatur Plutarchus.

15. Æneas in Italiam venit antequam vrbs conderetur annis CDXXXII. venerunt in Italiam Arcades, Euandro duce, Aboriginum rege Fauno regnante, ante vrbem conditam CDXC. annis , si veri sunt Chronologi. Fuit itaque Arcadum aduentus prior annis lviij. quam Troianorum. Vide Dionysium libro primo.

16. Contaminari sanguinem suum putabant vicini si matrimonia cum ea gentium plebisque colluuione miscuissent; contemptæ sunt itaque legationes Romanorum coniugij causa cum vicinis susceptæ Consilium ergo ex necessitate sumpserunt & additur dolus , rapiendas scilicet ad Consualia (hoc est, ad ludos Neptuno equestri sollennes) inuitatas virgines, quando oculos & mentem ad spectacula conuertissent. Successit fraus anno V.C. quarto , die XV. KL. Septemb. raptæ sunt virgines maxima ex parte Sabinæ 683. vt Dionys. scribit, & si alij apud Plutarchum diuersi sint ab hoc numero.

Cæninenſes, Cruſtomini, Antemnates, Veientes, Sabini hoſpitaliter vocati erant, & hac nunc raptarum virginum iniuria proritati bellum mouent. Cæninenſes dum impetu quodam temere potius quàm fortiter prælium ineunt, victi ſunt, & Acrone ipſorum rege à Romulo interfecto, captaq; vrbe, iubentur, vt Romam relicta patria habitatum abirent.

17. Opima ſpolia vocantur Feſto, quæ dux P. R. hoſtiũ duci ſua manu interempto detraxerit, eaq; trina tantum contigerunt nomini Romano, intra ann. fere Dxxx. magna raritate: vna quæ dux Romulus de Acrone: altera quæ Coſſus Cornelius de Tolumnio Veientium rege: tertia quæ M. Marcellus de Virdumaro Gallo fixerunt. Opima ergo, hoc eſt, magnifica, ampla. Feretrium Iouem vocauit à feretro ad ferenda opima ſpolia Ioui apte fabricato quod Græcis etiam φερέτριον vocatur.

18. Tarpeiam Tarpeij Capitolio præfecti filiam ſignificat, de cuius pacta prodendi Capitolij cum Sabinis mercede, variæ opiniones vel fabulæ potius referuntur. Capitolio tamen ipſius opera capto, creditur Sabinorum ſcutis obruta eſſe: quia dicitur pacta ab hoſtibus quod illi ſiniſtra gererent, nempe ſcuta, ea ſpe vt illos exarmaret, nudatosq; ſcutis iam Romanis ferieudos traderet, qua fraude deprehenſa Sabinorum indignantium ſcutis obruta putatur & interempta.

19. Voto ſuo templum Statorij Ioui, vt fœdam ſuorum fugam ſiſteret, nuncupabat teſte Liuio & Plutarcho, ἤυξατο τῷ Διὶ σῶσαι τὸ στρατευμα καὶ τὰ ἑωμαίων πραγματα θεούντα μὴ πεῖ ἰδίαν ἀλλ' ὀρθῶσαι, &c. Sunt qui Statoris vocabulum inde putent deflexum, quod erecta ad ſuccurrendi promptitudinem ſemper ipſius Statoris ſtatua conſiſteret, quum cæterę ſederent: alij à ſtabilitate conſtantiaque nomen illud deriuatum contendunt, inter quos eſt Seneca.

20. Percuſſum fœdus cum Sabinis poſt triennale bellum iſtis conditionibus ex fide dignis auctoribus colligo: vt Romulus T. Tatium in ſocietatem regni recipéret: vt Vrbs à Romulo Roma, Populus à Curibus T. Tatij patria, Quirites vocarentur. Ratio etiam matronarum, quia publicam pacem ſua deprecatione conciliauerant, habita eſt; vt mulieres quæ vellent cum ſuis maritis viuere, liberæ ab omni opere & miniſterio, præter lanificium haberentur. Habuit deinceps commune regnum Sabinorum Rex Tatius cum Romulo ad quin-

quen-

quennium, quousque ad Lauinienſibus, qui à Tatij propinquis latrocinio & iniuria vexati erant, interemptus eſt, pœnasq; dederit contemti iuris gentium in ſuorum gratiam, ipſeq; moriens Romulo gaudium, &, ſublato imperio æmulo, ſecuritatem attulerit.

21. Cicero in Balbi defenſione: *Illud vero ſine dubitatione maximè noſtrum fundauit imperium, & populi Romani nomen auxit, quod princeps ille creator Vrbis Romulus fœdere Sabino docuit, etiam hoſtibus recipiendis augeri hanc ciuitatem oportere, cuius authoritate & exemplo nunquam eſt intermiſſa à maioribus noſtris largitio, & communicatio ciuitatis, &c.*

22. Vocabulum TRIBVS apud Romanos tria ſignificat.

1. Locum, hoc eſt, partem quandam vrbis & agri Romani.

2. Homines, hoc eſt, partem Romanæ ciuitatis.

3. Ius, quo ſcilicet donati ſunt illi, qui in talem aliquam ciuitatis partem poſtea fuerunt à cenſoribus diſtributi. TRIBVS nomenclaturam nonnulli trahunt à Tributo, quia P. Romanus in Tribus diuiſus tributa conferebat, vel à numero Tribuum, quia P.R. primum à Romulo in Tribus tres deſcriptus fuerit.

1. In Ramnenſes, ab ipſo Romulo dictas, quam conſcripſit ex Albanis ijs qui ſecum eo ab Alba conuenerant, & Palatium tenebant.

2. Tatienſes, à Tatio vocatas, quæ cum Sabinorum rege Tatio Romam emigrauerant, & Capitolium habitabant.

3. Luceres, vel à Lucumone Etruſco, Romuli fidiſſimo ſocio, vt Varroni placet: vel, vt Pædianus refert, à luco, quem Aſylum Romulus fecerat: omnes namque in eam Tribum conſcribebantur, qui Romam vel ob ciuitatis communionem, vel Aſyli libertatem ex locis vicinis habitarum confluxerant. Ex ſingulis tribubus ſingulæ Equitum Centuriæ conſcriptæ ſunt; atq; hinc factum eſt, vt eadem illa nomina fuerint primis tribubus cum centurijs tribus equitum communia. Armauit itaq; ex iuuentutis delectu Rempubl. Romulus, dum exercitum in legiones & turmas deſcribit; legionem Romani vocant certâ peditum manum, in delectu fortiſſimorum militum dictam) Conſcripſit itaq; Romulus legionem trium millium, ita vt ex ſingulis tribubus ſingula millia, &

singulorum etiam millium duces, Tribunos vocarit. Scripsit itidem tres equitum turmas, quas à centenario equitum numero Centurias appellauit: addebanturque hac ratione, singulis legionibus singulæ Equitum Centuriæ. Sed auxit Romulus post Sabinuum bellum numerum legionibus, ita vt militum quatuor millia legio scriberetur, (vnde Quadrata dicta est teste Festo) Sabinis in vrbem recentis. Atque ita deinceps legiones numero militum variatæ sunt pro vsu Reipublicæ & Senatus arbitrio, vt modo quatuor, aliquando quinque, nonnunquam sex millium esset, quemadmodum facile lector quilibet ex Liuio obseruabit. Sed redibimus ad Florum, si paucis de Curijs etiam à Romulo institutis dixerimus. Tribuum partes Curiæ vocantur; singulas enim Tribus in Curias decem diuisit, vnde triginta Curiæ colliguntur. Estq; Curiarum etiam significatio triplex, nam & locum significat vbi curarent sacerdotes res diuinas, & vbi Senatus humanas. Significat cœtum quendam hominum, qui inde Curiales dicti sunt, & significat Curia etiam ius quo Curiales ipsi donati sunt, nos hodie parochias vulgo dictas Romana similitudine Curias vocaremus.

23. Considerabat Romulus infirmam esse foris militarem disciplinam, nisi togata etiam prudentia domi corroboraretur, delegit itaque ex senibus Senatum; quos namq; in scribendis legionibus ob senium præterierat, eos ob ætatis illius consilium prudentiamque in publicum consilium delegit; vt ad ipsum de summa Reip. referret, ex quorum authoritate omnia ageret, quæ publicè sibi suscipienda existimaret. Quos ad centum ita lectos Patres vocabat; vel à curarum similitudine, vel ob ætatis reuerentiam, vel denique quia soli centum erant qui patres ciere possent, hoc est, vt Plutarchus & Dionysius, ὅτι πατέρας τίκτον ἀποδέξαι μόνοι: horumque progenies Patricij, deinceps vocata est. atque ista fuit prima Senatorum lectio, maiorumque gentium: qui verò cum progressu temporis vel à Regibus vel Coss. vel Centoribus sublecti sunt; Patres conscripti vel minorum gentium vocati sunt apud scriptores. Numerum Senatorum cum progressu Reipublicæ etiam variasse ex historijs colligitur: sub Prisco Rege trecenti fuerunt vsque ad Sullana tempora, qui ad quadringentos legit: inde etiam creuit numerus Senatorum vsque ad millenarium. Sed ista alio loco etiam commodius prosequemur.

24. Cùm

24. Cùm populi consensu Romulus regnasset annis triginta septem, diebus lxxvij. Rempublicam legibus ac institutis fundasset, togata ac militari disciplina confirmata. Nonis Quintilibus subitò è viuis & hominum oculis ereptus dicitur. Atque is dies Nonæ Caprotinæ dictus est, (hodie censeretur septimus Iulij) eò quod Romulus exercitum eo die ad Capræ paludem recensens amplius non comparuit. Dictus est & Populi fuga, ob consternatum subita regis morte populum, Plutarcho, Dionysio, cæterisque testibus.

25. Adijciunt alij disceptum ita in Senatu fuisse Romulum, vt Senatores singuli, singula frustra sinu occultata efferrent, ne facinoris eius vestigia exstarent Auctores huius narrationis Plutarchum habeo & Dionysium.

26 Mirum sanè atque obseruatione dignum, ter Solis defectum in vnius Romuli historia notatum esse: primum, quo die conceptus dicitur: alterum Natali vrbis die, quum prima fundamenta iacerentur: tertium quum in viuis Romulus esse desijt, vt ex Plutarcho, Dionysio, & alijs obseruauimus: sed vt Mythologorum quoque iudicia exerceamus, velim mihi expediant cur Sol viq; adeo in Siluiæ stupro Martis sceleri fauerit, vt obscurata facie in deliquio, ipsius facinus protexerit? Contrà, in Martis & Veneris adulterio prodendo Sol fuerit oculatissimus?

DE INTERREGNO.

Admonet hic locus vt paucis de interregno, quod annum vnum Patres tenuerunt, dicamus. Post Romulum ita repentè sublatum è medio, vt ne cadauer quidem eius exstaret, nec successor qui Romulo par esset haberetur. Interreges Reipub. præfuerunt, hoc est, regnarunt Patres, per vicissitudinem decuriarum, eo quo Liuius prodit ordine annum vnum. Interregnum verò interuallum illud temporis ab re vocatum est, quo regnum vacauit à demortuo rege ad successoris proximi creationem. Interrex ille dicebatur qui interea regno præerat donec successor designaretur, sed Interregis potestas quinq; dierum tantum erat, quibus exactis alter iterum prodebatur Interrex, & ille successorem, quousq; magistratus legitimus in demortui locum crearetur. Valuit deinceps etiam ad posteros Interregni magistratus, resq; ad Interregnum redijsse dicebatur, quum vel Consules rei gerendæ causa absentes, interesse comitijs non potuerant, vel Coss. vitio creati obdicassent, aut vterq; Coss. in

magistratu interijsset: quod si tunc Dictatorem comitiorum habendorum causa dici non placuit, tum Interrex comitiorum caussa, sed è patricijs solum, prodebatur: nec moris tamen erat ab eo, qui primus Interrex proditus erat, teste Pædiano, comitia haberi, sed ad alterum aliquando ad plures Interreges comitia prorogabantur.

ARGVMENTVM IN CAP. II. LIB. I.

NVma Popilius à Curibus Sabinorum, eo quod æquitate prudentiaq; excelleret populi iussu, Patrum auctoritate euocatus alter Pop. Rom. Rex creatur, qui etsi nulla belli laude nobilitatus sit, tamen pacis & religionis virtute floruit, idem Pontifices, Augures, Flamines, Salios, Vestales, alios q; sacerdotes primus creauit.

COMMENTARIVS.

Vt populus Romanus bello efferatus, pacis etiam artibus religioneq; mitesceret, opus fuit placiditate modestiaq; Pompilij qui sacra, cæremonias, sacerdotes vt populum religione astringeret, superstitione caperet, instituit. Ad regnum inauguratus est an. ætatis XXXVIII. Natum namq; Plutarchus prodit ipso Vrbis Natali Regiam potestatem XLIII. annis pace & legibus administrauit, cum finitimis societatem vel fœdera iunxit, vel gentem alioquin Vrbi pacatæ infestam futuram, pietatis reuerentia coercuit, ipse naturali senio confectus, morboque consumptus, anno Vrbis conditæ LXXXI. legitur.

1. Pontifices omnia sacra promiscuè, vel publica, vel priuata curabant. Legit autè Numa Pontifices quatuor, è quorum collegio Pontificem Maximum creauit, qui cæteris præesset. Primum Numam Marcium Sabinum secum ex Sabinis Romam profectum, & in Patricios à se allectam: atq; hic post Numæ regis obitū cum Tullo Hostilio de regno contendit, ab eoq; victus sibi mortem consciuit. Vide Dionys. Liuium, Plutarch. in vita Numæ.

2. Augures, hoc est, tres sacerdotes, qui auspiciorum disciplinam curarent, à Romulo, auguralis disciplinæ peritissimo lectos fuisse, apud priscos auctores constanter scriptum est. Itidem octo Haruspices, qui extorum. Fratres quoq; XXII. Aruales, qui pro aruorum frugibus, Curiones XXX. qui pro singulis Curijs significarent, conscriptos

scriptos esse ab eodem Romulo testantur, historici & scriptores cæteri: quare mirum est cur Augurum sacerdotium Numæ, & promiscuè cætera sacerdotia confundens asscribat.

3. Salios Palatinos XII. Gradino Marti sacra operaturos Numa legit; dictos à saliendo, quia solenni saltatu tripudijsq; Vrbem lustrabant Ancilia portantes. Cætera apud Liuium, Dionys. & alios lege.

4. Sacerdotes vocant Latini omnes qui quæue res sacras diuinasq; tractabant, è quibus aliquot singulis dijs operabantur, aut promiscuè omnium deorum rationem habebant, de quibus iam diximus, Pontifices. Ex ijs qui singulis operabantur à Numa institutos inuenio, Salios XII. qui Marti: Flamines tres, quorum qui Ioui operabatur Dialis, qui Marti Martialis, qui Quirino Quirinalis dictus est, quæ Vestæ sacra peragebant, ignemq; cœlestem custodiebant, & populo sacrificabant, quatuor Vestales Virgines cum Vestali Maxima creatas: Ferialesq; viginti cum patre Patrato, qui belli pacisq; disciplinam tenerent, delectos à Numa obseruaui.

5. Numa rex annum ex Græcorum vsu ita ad Lunæ cursum digessit, vt trecentos quinquaginta quatuor dies contineret, cumq; Luna Solem quotannis vndecim diebus cum quadrante anteuertere deprehenderetur, Lunaremq; annum vicesimo quoq; anno Solarem CCXXV. diebus excedere, eam inæqualitatem intercalatione ita dispensandam exæquandamq; constituit, vt secundo quoq; anno vicissim, modo dies viginti duo, modo tres & viginti post Terminalia Pontifices intercalarent: ea namque ratione futurum erat, vt vicesimo quoque anno, intercalatione CCXXV. dierum ita dispensata, Lunæ cursus cum Solis conuersionibus exæquaretur: vndecim namq; dies cum quadrante vicies ducti, ducentos viginti quinque dies colligunt. Petita admodum certaque tam rudi sæculo institutione, Lunæ Solisque cursus in suam rationem intercalatione tam iusta reuertebantur, nisi posteriorum Pontificum negligentia, vt Cicero de legibus; auaritia autem ipsorum, & cum publicanis fœneratoribusq; collusione, vt Censorinus & Macrobius accusant, dissoluta fuisset.

6. Pignora Imperij ideo vocat, quòd voce cœlitus missa exauditum est, ciuitatem omnium fore potentissimam, quamdiu Ancile de cœlo lapsum in ea mansisset. Oraculum etiam de Palladio (Palladis simulachro quod à

Troia in Italiam delatum ferunt, & in ædæ Vestæ seruabatur) redditum erat. Vrbem fore sempiternam, si id simulachrum extra mœnia non portaretur. Ancile, teste Festo & Ouidio in Fastis, scutum breue erat, ita ex vtroque latere recisum, vt nullus angulus videri posset, & summum infimumque eius latus à medio sinuato in orbem colligeretur, ita enim extant in numismatibus Romanorum aureis & argenteis.

7. Iani templum ad infimum Argilletum, indicem pacis bellique fecit, quod apertum, in armis esse ciuitatem; clausum vero circa omnes populos pacatos significaret. Clausum autem intra DCLXX. annos bis tantum post Numam, testantur Liuius, Plutarchus, Eutropius, Orosius, Velleius lib. 2. Primum nempe anno Vrbis conditæ Dxviij. T. Manlio Torquato Consule, pace toto imperio parta. Iterum post Actiacam Augusti victoriam.

8. Vique adeo ominosum & piaculare habebatur Vestalis ignis vel negligentia humana extinctus: quod Vestalis Virgo, cuius id incuria acciderat, flagris à Pontifice Maximo expiaretur, à P.R. hostijs maioribus velut prodigium procuraretur, & supplicatio ad Vestæ haberetur, teste Liuio lib. 28.

9. Sunt aliquot qui Egeriam vnam septem Musarum faciunt, inter quos est Plutarchus: alij Nympham ita abegerendo, teste Festo, dictam, quia ipsi sacrificabant prægnantes, quod eam putabant facile fœtum vtero egerere. Ittam Egeriam consulere Numa sese super cultu religionum & cæremoniarum institutis simulabat; vt populum superstitione tali captum, ad ea quæ commentabatur, faciliorem haberet. Vide Ouidium in Fastis.

ARGVMENTVM CAP. III. LIB. I.

TVllus Hostilius tertius Romanorum Rex, populi iussu, Patrum auctoritate creatus, militari iterum disciplina armisq; senescentem populi Romani virtutem acuit. Albanos trigeminorum Horatiorum pugna in potestatem redactos, obsidem ab ipsis iterum Fidenato bello violatam, Alba diruta Romam traduxit.

COMMENTARIVS.

Tullus Hostilius ne P. R. otio senesceret (totis enim quadraginta tribus annis, quibus Numa præfuerat regno, nec

nec bellum gesserat, nec triumphauerat) belli causſas cum Albanis ex agrestium mutua depraedatione ortas, auidissime susceptit. Bellum alterum gessit cum Fidenatibus Romanorum colonis, & Veientibus ipsorum socijs, qui agrum quem Romulus ipsis ademerat repetendum armis decreuerant. Praelio cum hostibus commisso in anceps iudicium, Tullo cum Albanorum etiam defectione dimicandum fuisset, nisi ille in hostium cladem stratagemate & imperij simulatione vsus, à se imperatum vt hostem à tergo adorirentur Albani, simulasset. Fidenatibus victis, Metium Dictatorem Albanorum foederis ruptorem quadrigis in diuersum actis dilacerari imperat: Albanum populum, Alba euersa, Romam transmigrare. Inde tertio bello arma Sabinis illata, quia negotiatoribus Romanis manus iniecerant, neque res repetitas reddiderant, praelio ad siluam Malitiosam conserto, victi sunt Sabini, & i spetentibus pax data. Regnauit Hostilius annos xxxii. Fulmine ictum cum regia, vxore, filijs, omnique familia conflagrasse, ex Pisonis annalibus partim a Plinio relatum, partim à Dionysio & ceteris accepimus. Sunt qui Anci Marcij successoris sui insidijs interemptum memorent. Mortuus est anno Vrbis conditae cxiii.

1. Albam longam fuisse ab Ascanio Aeneae filio extructam ante Vrbem conditam cccc. annis ex annalibus colligitur: dirutam anno Vrbis conditae xxcvii. Stetit itaque res Albana CCCCXXVII. annis Principem populum, hoc est, originis auctorem ideo vocat, quod & Romani Albanorum coloni essent, & genus & gentem Romani etiam patricij magna ex parte ad Albanos referrent.

2. Horatios Trigeminos pro Romanis, Curiatios pro Albanis pugnasse Liuius vt verisimilius testatur, itidem Dionysius, & ceteri omnes.

3. Duumuiros Capitales, qui de Horatij paricidio capitis anquirerent, hoc primum anno creatos, eo consilio vt iudicij inuidiam ipse Tullus declinaret, & tamen paricidium puniret, inuenio; eosque cum prouocatione ad populum. Capitis namque damnato filio à Duumuiris, pater Horatius ad populum prouocat. Populus filij vitam lacrymis patris condonat.

4. Fidenates & Veientes vsuri occasione ex euentu belli, quod inter se Romanus & Albanus gerebat, arma ex insidijs putabant: quos vt foedere iunctos intelli-

gunt bellum quoque & ipsi sopiebant. Fraude tamen & perfidia Fufetij, societatisque promissione ad arma contra Romanos sollicitantur. Flagrabat namque Dictator Fufetius domestica inuidia apud suos, eo quòd publicã fortunam Trigeminorum fato experiundam commisisset; eam se Fufetius tali in Romanos insidiarum occasione exstincturum sperabat.

ARGVMENTVM IN CAP. IV. LIB. I.

ANcus Marcius populi iussu, Patrum auctoritate quartus Rex declaratus, mœnia muro cingit, Sublicium montem struit, Ostiam condit.

COMMENTARIVS.

Ancus Marcius superiori cuilibet pacis belliquè artibus par fuit; septem bella gessit, primum cum Latinis, alterum cum Fidenatibus, tertium & septimum cum Sabinis, quartum & quintum cum Veientibus, sextum cum Volscis. Horum omnium bellorum communis causa fuit, vt res Romanis ereptas, prædasque abactas, quas iure nõ reddebant, armis repeteret, Regnauit annis XXIV. incertum quo genere mortis perierit: violento suspicantur multi, causam tamen illi neque auctorem referunt. Reliquit duos filios, qui postea, cum L. Tarquiniũ Priscum interfeciissent, à Ser. Tullio in exsilium acti sunt. Mortuus est an. Vrbis conditæ CXXXVIJ. ANCVS dictus est ab adunco brachio, quodque illud porrigere non posset, auctore Sexto.

1. Pari ingenio cum auo suo Numa rege Ancum fuisse testantur omnes, quantum ad iustitiam, religionem, pacisque artes attinet: sed belli gloria cuilibet Regum parem etiam fuisse iam docuimus.

2. Ancum muro cinxisse Ianiculum Auentinumque montes, vt eos contra hostium repentinos insultus ita munitos, Latinorum multitudini quam deuicerat, habitandam concederet. Pomœrio autem inclusisse montes istos non inuenio, neque vrbem totam ipsius solum opera muro circundatam verisimile est: vrbis enim pomœrium pro Reipublicæ incrementis paulatim prolatum esse vel ex historijs constat, vel ex iure proferendi pome-

pomœrij conuinceretur. Tacitus enim lib. xiij. Gel. xij. ius proferendi pomœrij nemini datum esse testantur, nisi qui agro de hostibus capto, rem Romanam auxisset. Verior lectio itaque Iornandis hoc loco videtur, *ex muro mœnia amplexus.*

3. Pontem ligneum Subliciumque intelligit ita dictum à Sublicis, hoc est, palis ligneis ad pontis sustentationem in aqua defixis, quo ponte in Tiberim facto vrbem & Ianiculum commisit. Transtiberinamque regionem Vrbi coniunxit; quam ab re ξυλίνην γέφυραν Græci, hoc est, ligneum pontem vocant.

4. Ostia condita xvi. ab Vrbe militari, in ora Tiberis, eademque colonia deducta anno Vrbis conditæ cxxxiij. dicta quasi θύρα, id est, ostium, teste Dionysio.

ARGVMENTVM CAP. V.

LIB. I.

TArquinium patre Corinthio oriundum populus Romanus regnare iubet: qui nouos Senatores legit. Augurum disciplina, quia experientia artis euentu probatur, sacra habetur. Hinc Tuscos domat, & Imperij dignitatem triumphalibus ornamentis illustriorem facit.

COMMENTARIVS.

Damaratus potens mercator, Tarquinij pater, Corintho patria per seditionē pulsus in Italiam nauigat. Tarquinios Etruriæ vrbem omnium fortunarum suarum sedem deligit; ibi filios Aruntem & Lucumonem procreat. Lucumo, patre & fratre defunctis, iam lucem aliquā sibi prudentia per diuitias quæsturus Romā venit: legitur ab Anco Marcio in Senatum, fit Lucius pro Lucumone, & Tarquinius à Tarquiniis patria sua appellatur, dignusque habitus est, qui successor Anco mortuo cum omnium consensu regnaret. Idem pluribus prælijs Latinos, Etruscos, ac Sabinos rebellantes, ac populationibus latrociniisque infestum agrum Romanum reddentes fregit, ac triumphauit. Regnauit annis xxxvij occisus est percussoribus per Anci Marcij filios, habitu pastorali

storali submissis, anno V. C. CLXXIV. ætatis suæ Lxxxj. Reliquit autem filios duos Aruntem & Lucium, ex quibus Lucius inuento postea Superbi cognomine regnauit, vt pars maxima auctorum confirmat, quam opinionem Dionysius infirmat, docetque ex filio ob ætatem ipsi Tarquinio nepotes fuisse. Duas quoque filias habuit, quarum altero Seruio Tullio, qui post ipsum regnauit, nupsit: altera M. Iunio, patri Bruti illius qui reges eiecit.

1. Priscus cognomine dici cœpit (teste Dionysio) quando L. Tarquinius Superbus regnaret: quia pater iam ætate aliqua filium præcesserat, vel potius auus nepotem.

2. Centum Patres, ducentis à Romulo lectis, Priscus adlegit: qui deinde minorum gentium appellati sunt: factionem haud dubie regis, cuius beneficio regnabat, teste Liuio.

3. Centurias equitum Romulus scripserat, ijsque nomina imposuerat (vti iam diximus capite primo) quibus alteras tres suo nomine insignes Tarquinius addere decreuerat: sed obnuntiante augure, Tarquinij institutum ita diremptum est, vt nominibus Centuriarum relictis, ipsorum numerum duplicaret, hoc est, vt mille Dccc. equites in tribus Centurijs essent.

4. Fasces magistratuum maiorum insignia fuerunt, quæ ipsis à lictoribus præferebantur. Primum Regibus, inde Coss. duodeni. Procoss. & Prætorib. seni Fiebant ex Betulla arbore Gallica, tali quidem figura: Virgis ex Betulla detractis ita circumuinciebatur securis, vt acies eius tantum promineret, reliqua pars circumuincto virgis loro regeretur: cuius rei causam Plutarchus Problem. 8. explicat. hinc submittere populo fasces ille magistratus dicitur, qui se veluti priuatum populi Romani iudicio submittit: demissis à se lictoribus. De Trabeis, Paludamento, Prætexta, cæterisque ornamentis, vide Lazar. Bayfium, itidem de togis pictis & tunicis palmatis.

5. Curulis à Curru deflexum est, diciturque pro sella eburnea, & pro magistratu maiore: honoris enim gratia Senatores, qui magistratum maiorem ceperant, curru in Curiam vehi solebant, in quo sella eburnea esset cui insiderent.

6. Triumphus honor est omnium ampliissimus, qui vel Senatus auctoritate, vel populi iussu deferri poterat illi,

illi, qui imperium acceptum cum virtute feliciter gesserat. Huius vero apparatus pompaque variata fuit pro Reipublicæ incremento & rerum gestarum magnitudine. Quis primum apud Romanos triumphum egerit, inter scriptores non conuenit. Plutarchus contendit à Romulo institutum pedestrem, sed à Prisco curulem, hoc est, vt aureo curru quatuorque equis triumpharetur; eumque triumphum alij à Poplicola consule primum esse actum opinantur. De iure, ordine, pompa triumphi per opportunitatem latius dicturi sumus: cui nunc ista non satisfaciunt, is consulat Valerium Max. Ciceronem in Pisonem, Zonaram lib. 2. Annalium, Liuium, Dionys. Plutarchum, Gellium, Dionem, & huius sæculi scriptorem elegantissimum diligentissimumque Carolum Sigonium de iure ciuium Romanorum.

ARGVMENTVM CAP. VI.

LIB. I.

SEr. Tullius matre serua, h. e. bello capta natus, ob virtutem gener Tarquinio adscitus, socrus auxilio regnum Romæ suscipit. Ipse censum instituit, per quem P. R. non viritim vt antea factum erat, descripsit sed pro fortunarum vniuscuiusque facultate in classes distribuit.

COMMENTARIVS.

SEr. Tullius Romanorum regum sextus, matre Ocrisia bello Corniculano capta & prægnante, apud Tanaquilem Tarquinij vxorem natus est, & Seruius à matris fortuna vocatus. Hic progressu temporis Tarquinio gener factus, socerosque insidijs filiorum Anci interempto, socrus suæ auxilio regnum occupat. Ipse bellum cū Etruscis xx. annos gessit. Belli causa à Veientibus, Cæretibus, Tarquinienſibus, qui Etruriæ reliquam partem ad rebellandum sollicitabant, orta est; vt qui factæ pacis cum Prisco rege conditionibus stare nollent, eos Seruius virtute & armis ita fregit, vt ter de ijs triumphum egerit. Inde quemadmodum per Tribus & Curias Romulus populum Rom. hoc est, secundum regiones & sacrorum communionem distribuerat; ita Seruius fortuna-

regnum scribit tanquam ab auo Prisco ad Superbum hæreditate successurum.

2. Ardea vrbs Latij quinque milliaribus Germanicis ab Vrbe distabat versus ortum, Rutulorum quondam regia: belli caussam prætextuit quod Romanos exsules excepissent, eosque reducere in patriam conarentur: sed reuera inhiabat opulentissimæ vrbis diuitijs: ea vrbe potus non est, quia antequam expugnaretur, ob tyrannidem in exsilium pulsus est. Ardeatibus in quindecim annos datæ induciæ, teste Dionysio libro 4.

3. Ocriculum Latinis, Ὀκρίκλοι Strabonj, Ptolemæo Ὀκρίκολον, vrbs est Vmbrorum ad Tiberim via Flaminia: Stephano Ὀκρίκολα vrbs est Tuscorum, atque ille Dionysium auctorem laudat. Distat oppidum ab Vrbe versus Septemtrionem 22000. passuum.

4. Gabij Volscorum vrbs opulentissima distabat ab Vrbe versus orientem via prænestina centum stadijs, teste Strabone libros.

5. Suessa pometia vrbs erat Volscorum vltra Liuium fluuium in Vulturum sita, ab Vrbe distabat 85000. passuum. hodie Sessa dicitur. Hanc diripuit Superbus, atque ex eius manubijs pecuniam fecit XL. talentorum teste Liuio, hoc est, vt nũc computamus, 22060. coronatorum. Summa quam Dionysius nuncupat, omnem fidem excedit. Aurunci direptam & spoliatam à Superbo iterum munierunt, deductis in eam colonis: vnde Suessa Auruncana deinceps nomen habuit. Denuo tamen à Romanis capta, & crudeliter habita est Coss. Sp. Cassio, & Virginio, anno Vrbis conditæ CCLII.

6. A capite hominis dum moliuntur fundamenta reperto, cui nomen Tolo fuerat, conflata est vox Capitolium, teste Arnobio pro templo Iouis in arce Tarpeia.

ARGVMENTVM CAP. VIII.
Lib. I.

E Numeratione artificiosa, quam ἀνακεφαλαίωσιν Græci vocant totam simul populi Romani infantiam educationemque sub regibus actam summatim colligit, vt memoriam repetitione prædictorum reuocaret, & qua iam fusius per capita dixisset, ratione collecta confirmaret.

ARGV-

ARGVMENTVM CAP. IX.

LIB. I.

Reipublicæ Romanæ conuersio facta est, à regia dignitate ad Consulare imperium, quod duobus viris annuum sub Consulum nomine pari potestate à populo Romano mandatur, iisque primis Coss. L. Iunio Bruto L. Tarquinio Collatino, libertatis & pudicitiæ assertoribus, quorum Collatinus quia regiæ gentis & nominis Tarquinij esset coactus à Bruto collega abdicauit, cui suffectus est P. Valerius Volusus qui in hoc honore Poplicola, quia populum colebat, appellatus est Brutus filios consilia de recipiendis regibus concipientes, virgis cæsos securi percussit, tanquam eos victimas pro libertate populi Romani mactaret.

COMMENTARIVS.

Consules (vt Cicero inquit) quod consulerent Reipublicæ, nominati sunt. Varro mauult dictos, quod consulere populum & Senatum deberent. Creati sunt autem primi ab Interrege Sp. Lucretio Lucretiæ patre Gomitijs centuriatis, ambo è patricijs, Omnia iura, omnia insignia quæ regum fuerant, primi Coss. habuerunt: id modo cautum est, ne si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur, vt xij. tantum haberent, atque alternis diebus alter Consulum; prior tamen fasces haberet qui vel ætate maior, vel prior designatus esset. Postea illud imperium & ius Consulare valuit solum ad ea quæ foris gerebantur: quia in Vrbe Reipublicæ curam Senatus habebat.

1. L. Iunius Brutus Marci Iunij filius erat ex Tarquinia regis Superbi sorore natus Cognomen Brutum admisit ex industria, dum sese ad imitationem stultitiæ effingeret, vt contemptu tutus esset, cum patrem eius & fratrem Tarquinius propter opulentiam ipsorum interemisset. Nepos Brutum ob stultitiam dictum vt Liuius ait: Dionysius ἀλίθιον interpretatur. Eam simulationem Brutus deposuit, quando patriæ libertas & matronarum pudicitia erat à regum tyrannide vindicanda. quare Consulem primum populus eum esse iussit, patres autores fuere,

2. L. Tarquinius Collatinus Lucretiæ maritus fuerat regiæ gentis & nominis: Collatinus à Collatia dictus, cui Egerius auus Collarini præfectus fuerat à Prisco Tarquinio, teste Dionysio.

3. Campus Martius antea etiam Marti sacer erat, teste Dionysio libro quinto; situs inter Vrbem & Tiberim, antea semper pratum fuerat equis & iuuentuti exercendæ accommodatum: id Tarquinius contempta religione coluerat. Coss. quidquid frumenti iam maturi erat, iussérunt collectum in Tiberim effundi: hinc insula frumenti stipularumque putredine, & ex cæterarum rerum alluuione nata est Æsculapio sacra.

4. Pari potestate creati sunt ambo Coss. eo consilio vt alter collegam suum, si quid præter ius aut fas moliretur, æquali imperio coercet. Annuus fuit magistratus, ne diuturnitate insolescerent, iustosque se in consulatu ciuiumque studiosos præberent, memores anno exacto capti magistratus, vt priuatis iudicium esse subeundum.

5. Fascibus pro consulatu, hoc est, insignibus pro magistratu per synecdochen vsus est. Fascibus ergo abrogatis, hoc est, abdicato consulatu, Dionysius cum L. Pisone causam abdicati consulatus, quam noster laudat, itidem Cicero, Liuius, cæterique deridents, & rationibus infirmant. Ortam, inquit, Dionysius, dissentionem inter Brutum & Collatinum, cum Brutus supplicio de filijs sumpto, eodem iure in fororum Collatini filios, Aquilios, Vitelliosque, eius coniurationis socios animaduersum vellet, eos cum pro pari potestate, qua præditus erat, eximere Collatinus vellet, Brutum misso in suffragia populo, collegæ magistratum abrogasse.

6. Poplicola scribendum esse Capitol. Tab. testantur: idem conuincit nominis ratio, eo quod à populo colendo illud cognomen in consulatu, antea Volusus dictus, inuenerit; tum quod δημοκηδὴς, hoc est, populum colens Poplicola, à Plutarcho & Dionysio interpretatur.

7. Cum fasces submitteret in concione Consul, tunc profitebatur sese populi maiestatem agnoscere, honoresque suos in populi iussu esse. Secures etiam, vt omnem metum populo terroremque eximeret, à fascibus sustulisse Poplicolam testatur Plutarchus.

8. Lex Valeria de prouocatione lata, vindex proculdubio erat patronaque publicæ libertatis; vt si quis magistra-

giſtratus ciuem Romanum necare, verberare, multare vellet, eum ad populi iudicium vocare cuius priuatus poſſet; interea verò a magiſtratu damni nihil accipere niſi quando populus iudicaſſet, atque hac lege fiebat, quod faſces plus dignitatis domi quàm poteſtatis haberent: foris enim magiſtratui, qui cum imperio erat, verberandi necandique poteſtas erat; domi autem niſi populi iudicio in eum qui prouocaſſet, animaduerti non poterat.

9. Conſul Poplicola ædificabat in ſummitate Veliæ, hoc eſt, in ædiſſima parte Palatini montis, vnde cum deſpicere populum velut omnium ceruicibus immineret videretur, & vim quoque tamquam ab arce propellere poſſe, venit apud populum (omnia tuta tunc ex recenti Tarquiniorum metu timentem) in ſuſpicionem affectati regni: quare vt eum metu liberaret, ædes nocte demoliri iuſſit, & ſub ipſum collem ſubſtrui, cui quid viciſſim pro tanto obſequio populus decreuerit, Plinius proſequitur lib. trigeſimo ſexto cap. 15.

10. *Velificatus fauori* dixit per translationem, tamquam qui velis remiſque contenderet, vt verum vindicem ſeſe libertatis publicæ, ſeuero etiam in filios ſupplicio, idque abrupto omni neceſſitudinis paternæ vinculo teſtaretur. Cicero eodem verbo vſus eſt in malam partem ita, de leg Agr. *Quod ſi quis veſtrum ſpe ducitur, ſe poſſe in turbulenta ratione honori velificari ſuo, primum me conſule id ſperare deſiſtat*, &c. & hoc Bruti factum ita parricidij inuidioſo vocabulo Oroſius ſuo more exagitat, vt verbi Velificatus ſignificatio proximè ad Ciceronianam accederet.

11. Pomœrium dicebatur ſpatium illud augurato cõſecratum, quod intra murum & extra neque habitari neque arari fas erat teſte Liuio.

12. Latium ab ortu, ab occaſu Tiberis, & vltra Etruria erat, meridiem Veientes habebant, ſeptemtrionem Sabini: hoſtes omnes, & qui Romanam virtutem continua bellorum occaſione acuebant.

ARGVMENTVM CAP. X. LIB. I.

Tarquinios eiectos Porſena Etruſcorum rex armis ſummaq; vi conatur reducere ipſe Horatij virtute

Mucij fortitudine, Clelia virginis audacia victus populum Romanum iubet esse liberum. Sed Tarquiniensium ciuium non prius expugnata pertinacia est, quàm Aruns Tarquinius & Consul Brutus infesto vtrimque concursu perierint.

COMMENTARIVS.

Florus verò temporum seriem in rerum gestarum recensione perturbat aut confundit: verùm quia lucis plurimum lectoris iudicio memoriæque, ordo gestarum rerum temporis etiam distinctione digestus adferat, nos eam ex fidissimis monumẽtis repetitam vbique religiosè prosequemur. Cuius hic præmonitum lectorem ideo volumus, ne huius consilij ratio singulis commentarijs esset nobis reddẽda. Ordo autem temporis in hoc capite ita se habet: Primis Coss. L. Iunio Bruto & Valerio Volusio, postea Poplica dicto, dum exsules Tarquinij res suas per vim repetunt, prima hæc armâ sumpta sunt à populo Romano pro libertate contra Veientes & Tarquinienses, qui dum reducere ciues suos Tarquinios in regnum conabantur, à Romanis ad Vrsum siluam victi sunt. Aruntę regis Superbi filio, Brutoque mutua vi & ita pridie Kalen. Martias in prælio occisis. Poplicola Bruti collega de Etruscis postridie primus quadrigis in Vrbem vectus triumphauit. Superbus rex eo prælio & filij morte fractus, ad Porcenam regem fugit, qui ad misericordiam afflictis Tarquinij opibus allectus (vt regale nomen regibus & magnum & sanctum est) ita Porsena anno proximo pro Tarquinij restitutione armâ sumpsit. qui etiam si populum Romanum armis fameque fatigauerat: tamen nouæ fortitudinis Romani exẽplis, Horatij, Mucij, & Cloeliæ virginis perculsus, pacem eodem anno, deserta Tarquinij causa, cum populo Romano fecit.

1. Bellum Etruscum vocat propter Veientes & Tarquinienses, qui Superbum regem armis restitutum volebant. Veij Etruscorum vrbs trans Tiberim opulentissima erat, sita c. stadijs ab vrbe, quibus odij causa in Romanos erat, quod Romulus agrum ipsis Septem pagos dictum, iure belli ademerat. Tarquinienses Tarquinios & ciues & gentiles fouebant. Porsena Clusij rex erat, oppidi Etruscorum.

2. Pontem Sublicium intelligit, atque Romanis, hoc

Coclitis

Coclitis periculo monitis, religiosum fuit posthac eundem pontem ex alia materia quam ex ligno construere.

3. Pace cum Porsena ijs conditionibus facta, quod Septempagos agrum Etruscum à Romulo iure belli de Veientibus captum. Porseno restituerent, captiuos redderent, ipsi perfugas reciperent: darent quoque Romani pacis obsides prætextatos patricios decem, & totidem virgines. Cloelia obsidum vna cum ad Tiberim cum cæteris lauaret, oblata occasione equo conscenso tranauit, reliquas secum natantes adiuuit: cum redditæ essent, à Porsena honorificè sunt remissæ, Cloelia equestri statua donata est.

4. Ista verborum circuitione Florus subindicare videtur Aruntem Tarquinium Lucretiæ vim attulisse, quem tamen omnes, quos equidem legerim (præter vnum Seruium) Sextum vocant; etsi Dionysius eum natu maximum filiorum Superbi, regis nominet Liuius, Ouidius in Fastis minimum. Brutum hoc anno in magistratu cæsum esse ideo Dio. lib. 46. annotauit, quod omnes qui collegæ imperium abrogassent, eodem in magistratu perijsse obseruatum sit; quod & ipse exemplis confirmare nititur.

ARGVMENTVM CAP. XI.
Lib. I.

Triginta Latinorum populi post annuas inducias, duce Mamilia Tusculano, quem Tarquinij exciuerant, arma sumunt. Romani ad Regillum lacum. Dictatore Posthumio pro libertate pugnantes strenuè vincunt. Inde à vicinis lacessiti, fines etiam dum propulsant, iniuriam producunt. Quinctius Cincinnatus ex agro ad Dictaturam extractus, Æquos qui L. Minucium Consulem in Algido monte circumsepserant, sub iugum misit.

COMMENTARIVS.

Rebus adhuc florentibus, generum sibi, vt subsidia suæ dominationi Tarquinius Superbus confirmaret, Mamilium Tusculanũ asciuerat: quare spe reditus, Porsena cum Romanis fœderato, ipsi accisa, exulatum ad

Mamiliũ abierat. Huius auxilio fretus, Latinos ad arma excitat duce Mamilio Senatus Dictatorem dici iubet A. Postumium: qui laborioso & ancipiti prælio hostes fudit ad Regillum lacum, Mamilio & Sexto Tarquinio ducibus in prœlio occisis. Postumius Dictator de Latinis triumphauit & in hoc honore Regillensis dictus est. Mortuus est paulo post etiam Cumis Superbus rex, quo se post fractas Latinorum opes contulerat, atque ita tyrannis vbique sublatis parta est Romanis libertas, idque foris: qui domi adhuc sub patriciorũ dominatione seruiebant, quod capite xxiij. explicabimus. Inde à vicinis lacessiti, dum fines suos ab iniuria armis tuentur, agrum etiam de hoste vrbeque capiunt. Florus deinde Romanæ rei angustias, & cum vicinis adhuc populis, hoc est, Etruscis & Latinis circa matrem luctantis, cum orbis acquisiti terminis amplissimis confert, & paucis bellorum progressus complectitur.

1. Dictatorem dicendum esse in rebus trepidis ex Senatusconsulto ab altero Coss. vel rei gerendæ causa, vel seditionis se dandæ pro temporis necessitate, cautũ erat. Consuli itaque nocte ex cõsularibus virum vnum dicebat, qui cum summa potestate & sine prouocatione Reipublicæ præesset, sex mensium spatio; cæteri magistratus abdicarent, Dictatori parerent: ipse vero legiones ducebat, & equitare nisi legibus soluto non licebat. Dictator sibi Magistrum equitum dicebat, cuius summa in equites & accensos potestas erat, perinde atque summum fuit Dictatoris imperium in Magistrum equitum & populum. Primum autem inuenio Dictatorem T. Larciũ, Magistrum vero equitum Sp. Cassium anno nono post reges exactos, dictosque seditionis sedandæ caussa, dum plebs ære alieno demersa tumultuatur, & ad bellum Latinum nomina dare recusabat. Rei, hoc est, belli gerendi caussa, atque imperij potestas dabatur ad sex menses si res gerenda erat; cæteris in causis, quæ primo tempore seditionis sedandæ potissimum fuerat, rebus peractis magistratu sese addicabat. Alterum Dictatorem lego fuisse A. Postumium Album eiusque Magistrum equitum T. Æbutium Eluam, anno Vrbis conditæ cclvij rei gerendæ causa creatum ob Latinum bellum, de quo Florus noster agit. Stratagema quod Florus hic Collo tribuit, eidẽ à Liuio lib. 4. tribuitur cum Magister equitum esset, sub Mam. Aimilio Dictatore, anno cccxxvij. atque Fidenates ad internecionem concidebantur.

2. Avi-

2. Ἀνισοφηΐα est in nomine Cossus, pro T. Æbutio Elua Magistro equitum Cossus enim Magister equitum fuit Aimilio Mamercino Dictatore, anno Vrbis conditæ cccxxvij. cum res gesta est cum Fidenatibus & Veientibus.

3. Soram Volscorum oppidum in Campania fuisse inuenio, defeciſſe ad Samnites bello Samnitico, interfectis Romanorum colonis anno V.C. CDXXXVIII. eamque obsitum expugnatu difficilem, Sorani transfugæ indicio captam. Colonorum cædis ac deditionis auctores ccxxv. Romæ virgis cæsos ac securi percussos.

4. Algidum oppidum est Æquorum non procul à Tusculo in alto monte situm, est & mons Algidus, qui distat ab Vrbe c. stadiis, & silua Algida, in cuius ingressu est Regillus lacus, Circa hunc locum Gracchus Æquorũ dux, L. Minucium Coss. cum exercitu obsederat, quo nũtio cum Romæ trepidatum esset, Dictatorem dic placuit: dictus est ille Quinctius Cincinnatus, cuius historiam mox prosequetur.

5. Satricum Vrbs Antiatum in Latio, incensa est à Latinis indignitate irritatis, quod Antiades Vrbem agrosque dediderant anno V.C. cccIxxvij.

6. Corniculum Latini nominis oppidũ à Tarquinio Prisco expugnatum, direptum, & incensum inuenio: Latinos, istam cladem agri Romani populatione vlturos, à Prisco rege coercitos, & excursione in ipsorum agrum facta æquali clade vltum esse.

7. De Veientibus triumphatum octies obseruaui, bis à Regibus, quater à Coss. bis à Dictatoribus; postremum egit Dictator Camillus Veijs vrbe expugnata direptaque anno vrbis conditæ cccIviij. De Bouillis triumphatum esse non legi, vrbem fuisse populi Romani sociam & florentem, antequam à Marcio Coriolano patriæ suæ hoste caperetur, testes sunt Plutarch. & Dionys. Sunt qui pro Veijs, Verulis legunt, quod oppidum Hernicorum erat.

8. Tibur Latinorum vrbs decimosexto distabat ab Vrbe lapide in ortum æstiuum. Tiburtes vero societatem belli cum Gallis fecerant anno Vrbis conditæ cccxcij. portæetiam Vrbis Collinæ imminere ausi & insultare: quinto demum anno ad deditionem coacti sunt, & bis de Tributibus triumphatum lego.

9. Prænestæ distat ab Vrbe in ortum stadijs ducentis: eius situs à Strabone lib. 5. describitur. Prænestini anno

Vrbis conditæ ccclxxiv. ad portam Collinam signa intulerant, cum ingenti Vrbis, quæ tunc seditione laborabat, trepidatione Dictator itaque dictus T. Quinctius Cincinnatus, fugat ad Aliam flumen Prænestinos, & Prænestæ capto triumphauit. Huic Vrbi frequenter exitiosa fuisse sua munimenta, idem Strabo testatur, propter Romanorum seditiones, ob loci enim firmitudinem eo seditiosi ab Vrbe pulsi confugere solebant, & munitiones vrbis sese tueri: quos dum alij repetunt, & expugnant, Prænestini nulla sua culpa miserè affligebantur.

10. Fæsulæ Etruriæ ciuitas olim potens non procul à Florentia, nunc vicus modicus, distans ab Vrbe ccxxc. stadijs versus occidentem.

11. Taphræ Vrbs est in Tauricæ peninsulæ isthmo occidentali sita, & quia *(nuper)* adijcit, putatur à Traiano imperatore subacta. Sunt tamen qui Carræ scribant Mesopotamiæ Vrbem Crassi clade nobilitatam.

12. Aricinum nemus à vicina Aricia Latinorum vrbe dicitur. distabat ab Vrbe ad duodecimum lapidem in via Appia, teste Strabone.

13. Hercynius saltus in Germania celebris est.

14. Fregellæ oppidum Latinorum non procul à Liri amne, à Samnitibus captum bello Samnitico, & à Romanis receptum anno V. C. ccclij.

15. Gesforiacum, portus Morinorum in Gallia Belgica, quod nunc Caletum, vt est opinio, dicitur: alij malunt Soiacum esse, iuxta Audomati fanum.

16. Tigris & Euphrates nobilissima Orientis flumina, quæ Mesopotamiam suis alueis complectuntur, olim limites imperij versus ortum dum res Romana floreret. Sed hoc loco aliquot exemplaria ita habent: Tiberis, quod Euphrates eo sensu, vt limes nunc Orientis Euphrates, ita Tiberis olim occidentis.

17. Corioli Volscorum oppidorum à C. Marcio captū, ipsi cognomen Coriolano fecit. Florus verò ex personarum, temporis, & locorum comparatione cognomen istud cum Africano & Numantino collatum obscurat. Marcius enim miles tantum, P. Scipio Imperator: ille sub consulis sui Postumij auspicijs, oblata occasione Coriolos oppidulum inuasit, & cepit: iste suis auspicijs & populi Romani Imperator, Carthaginem imperij æmulam, Africæ dominam, & Celtiberorū Numantiam xiv. annis inuictam deleuit, ab illa & in triumpho Africanus, ab ista Numantinus dictus. Illene ergo scilicet ob

vnius

vnius diei laborem, vnius oppiduli & nunc obscuri expugnationem Coriolanus?

18. Antium Volscorum metropolis erat maritima, quam in suo consulatu C. Mænius expugnauit, & ex nauium rostris, suggestum antea in foro extructum exornauit: & id templum Rostra deinceps appellatum anno Vrbis conditæ CDXVI. ex Rostris ad populum concio deinceps haberi solebat: situm erat ante Curiam Hostiliam in foro. Rostrum erat in prora nauis pars prominens & acuminata ex ære vel ferro, ad rostri effigiem alicuius animalis formata; hinc naues rostris instructæ, rostratæ dicuntur. De Antiatibus Volscijs quater triumphatum esse obseruaui, postremum egisse triumphum, quantum in Annalibus exstat, C. Mœnium anno v. c. cdxvi.

19. *Peruicaciſſimi*, adiecto admodum proprio dixit. Quid enim AEquis pertinacius? cum ijs namque annis septuaginta duobus vario Marte pugnatum est quousq; magna clade à Camillo Dictatore victi sunt anno Vrbis conditæ cccLxiv. Inde vt respirarent, sub specie pacis, sed infidæ xxciv. annos quieuerunt. Sed quia tunc Samnitibus auxilia ipsos submisisse deprehensum est, mouerunt in eos exercitum Consules, oppidaque xli. intra dies ix. expugnarunt, quo bello fracti iterum rebellarunt, & à Dictatore Iunio Bibulco ad imperium coacti sunt anno Vrbis conditæ cdli. atque de AEquis eum fuisse decimumtertium, & vltimum triumphum obseruauimus.

20. Volscorum populus semel à Tarquinio Superbo motus, arma ad ducentos annos sumpsit, teste Liuio, nec quies fuit nisi per interualla, & infida: æmulatione enim inuidiaque in populum Romanum vsq; adeo pertinaciter flagrabant, quod septem Consules, tres Dictatores, & Rex Superbus de ipsis triumphum egerint, duo etiam Coss. orationem.

21. AEquos intelligit, qui rupto fœdere quod priore anno inierant, mouerunt duce Clælio Graccho: contra eos missus est L. Minucius Consul, qui cum in monte Algido circumfessus esset vnà cum exercitu, trepida ciuitas Dictatorem popoſcit, dictus est L. Quinctius Cincinnatus, qui Consulem & legiones obsidione liberauit.

22. Tribus hastis iugum fit, humi fixis duabus, superq; eas transuersa vna deligata, sub tali iugo Dictator Aequos nudos misit. Liuius.

ARGVMENTVM IN CAP. XII. LIB. I.

REbus Romanorum acciſis, bellum Reipublicæ nomine contra Veientes, ſuo periculo CCCVI. Fabij mouerunt, qui ad Cremeram flumen caſi ſunt: dies prælij inter nefaſtos relatus: porta qua ad bellum exierant, Scelerata pro Carmentali dicta eſt. Veiorum vrbs decennio obſeſſa tandem cuniculis & duce Camillo expugnanda fuit. Fidenates Latini dum facibus armati in prælium ruunt, vt Romanam aciem percellerent, ipſis faces à Romano erepta ſunt, profligantur, cæduntur, vrbs eorum capta eſt. Faliſcos Etruſcorum populos Camilli iuſtitia vicit & probitas, remiſſo ad Falerios puerorum magiſtro proditore.

COMMENTARIVS.

Fidenæ Albanorum colonia, Latinorum oppidum diſtabat ab Vrbe ſeptemtrionem eis Tiberim ad quintum lapidem via Flaminia huius ciues Fidenates iniuria Romanos ſub Romulo Rege læſiſſe ex hiſtorijs obſeruauimus, quia frumentum quod ex Cruſtomino agro Tiberi deuehebatur ad Vrbem fame laborantem, diripuerant. Mouit itaque contra Fidenates Romulus, ipſos profligat, cædit, oppido expugnato dat nouos colonos. Sed iſtorum pax ſemper inſidiarum plenißima fuit. Tullo enim Hoſtilio rem cum Albanis gerente, cum Veientibus denuo conſpirant, nullo tamen ſucceſſu: vrbe enim ipſorum capta in violatores pacis animaduertitur. Marcius iterum rex rebellantes & Fidenates agrum Romanum populantes obſidione capit, ſecuri percutit defectionis auctores. Capiuntur etiam ab Etruſcis per proditionem, quia fœdus cum Tarquinio Priſco percuſſerant. Priſcus dum illos aſſerit, oppidum expugnat, & ſupplicio proditores plectit, fontes etiam aliquot in exſilium exigit, qui auxilio Sex. Tarquinij, poſt ejectum Superbum regem, arcem denuo occupant & oppidum, quod Romani Coſſ. obſidione & fame fractum, & à ſocijs Latinis deſertum, deditione occupant: inde aliquot annorum requies, donec iterum ſocietate Veientium ſollicitati, victi ſunt à Coſſ. Sergio, cui Fidenati cognomentum fecerunt anno V. C. CCCXV. Sed iterum deficiunt

ad

ad Lartem Tolumnium Veientium regem, legatos Romanorum occidunt, vt societatem belli scelere obstringerent. Vincuntur à Dictatore Q. Sernilio, & capiuntur, qui in hoc honore ideo Fidenas appellatus est anno V. C. cccxvIII. Inde post octennium iterum Fidenas noui coloni sunt deducti, quos ipsi Fidenates post biennium iugulant, & quia Veientes ad Fidenas bellum transtulerant dum Mam. Æmilius prælium conserit, Fidenates ex oppido in aciem Romanam cum facibus prorumpunt; sed profligati dum fuga repetunt vrbem, Romanos quoque immixtos portis admittunt, vrbs capta diripitur, diruitur, ciues iam sexies iuris gentium violatores sub corona venduntur, Anno Vrbis conditæ cccxxvIII.

Veij Etruscorum vrbs, Athenis non minor, & opulentissima teste Dionysio, intra vicesimum ab Vrbe lapidem distabat. Veientes huius ciues Fidenatium causa, qui cum Romulo rege bellum sumserant, in Romanos arma mouerunt: deinceps septies rebellarunt, in pace nunquam fidi, agros Vrbis semper depopulabantur. Fidenates cogebant ad defectionem, ipsis auctores fuerant contra ius gentium opprimendi legatos, persuaserant occidendos esse colonos. Legatos P. R. læserant iniuria, Etruriam ad arma contra P. R. mouenda non semel sollicitauerant: quare toties læsa tot iniurijs Romani populi patientia, decernitur vrbem infidam esse expugnandam, eaq; decennio pertinaciter obsessa à Camillo Dictatore tandem non vi nec operibus, sed cuniculo capitur, anno vrbis conditæ cccLvII.

Diem huius cladis apud auctores admodum inconstanter definitum esse obseruo. Gellius lib. 17. Macrobius 16. lib. 1. diem Cremerensem & Aliensem faciunt xvII. Kal. Sextileis, Plutarchus in Camillo, & in Probl. Romanorum μετὰ τροπὴν θερινὴν πρὸς τὴν φθινόπωρον, & Quinctili mense medio vtramque cladem accidisse ait. Liuius lib. 6. Tacitus libr. 15. A. D. XV. KL. Sextiles, quod cum Plutarcho conuenit. Ouidius tamen 2. Fastorum de Idibus Februarij ita canit:

Hæc fuit illa dies, in qua Veientibus aruis
Tercentum Fabij, ter cecidere duo.

2. Stipendium primum de publico peditibus datum est anno vrbis conditæ cccxLvII. cum odium Veientium in obsidione hibernandum sub pellibus esse decretum erat. Equitibus triennio posterius, anno vrbis conditæ cccL. quando male ad Veios pugnatum esset. Quantum vero

verò illud apud priscos fuerit, nemo facile putauerit. An Polybius etiam vocabulo ὀβόλιον, pro diurno stipendio vtatur, an pro parte eiusdem, non satis liquet, dum peditis quæstum diurnum obolos duos, Centurioni duplex. Equiti drachmam procedere ait. Quod Polybius lib. 11. ὀβόλιον hoc Liuius lib. 38. (dum de seditione agit, qua in exercitu Scipionis ad Sucronem laboratum est) semper stipendium latine vertit, Augusto quidem imperante denos asses (quorum singuli tunc semunciales erant) peditis stipendium diurnum fuisse, ex Percennij seditiosa apud Tacitum lib. 1. concione manifestum est: quod ad nostri pretij & huius prouinciæ numisma collatum duorum sestertiorum esset cum sembella, hoc est, trium (vt vocant) blancarum. Tempore panici belli denarius XVI. assibus permutabatur, teste Plinio, hoc stipendium diurnum fere procederet ad Regalem Hispanicum argenteum.

3. Quo in honore opima spolia de Tolumnio Veientium rege Cornelius Cossus fixerit, & quo anno vt æque ambiguum, Liuius in controuersiam trahit. Tribunum militum fuisse auctorum suffragijs colligit, sed eam opinionem argumento à legibus sumto infirmat, eo quod spolia opima referantur solùm illa, quæ dux duci detraxerit; duxq; ille sit, cuius auspicio res geritur: infirmat idem & à titulo, quem ipsius spolijs inscriptum Augustus legerit; Consulem Cossum opima spolia retulisse, qui hinc conficit, hoc annos nouem serius esse gestum quam ab alijs prodatur. Liuij argumentis auctoritatem Varronis nostri sæculi scriptores opponunt, quem opima spolia descripsisse etiam dicunt illa, quæ manipularis miles detraxerit, dummodo hostium duci detraxerit: & tanto probabilius fieri potuisse, quod opima spolia Magister equitum cossus sub Dictatore Æmilio retulerit, præsertim cum triumphum egisse non legatur. Alij iterum in consulatu opima spolia ipsum fixisse contendunt: sed hoc ideo infirmant, quia nulla fit eiusdem, qui cum imperio fuerit & suis auspicijs rem gesserit, triumphi in tab. Capitolinis mentio: qui honos imperium gerenti debebatur. Plutarchum quoque ἀνισοχρονίας arguunt, qui in Romuli vita Cossum quadrigis in vrbem vectum retulerit. Sed non est nostrum tantas componere lites. Titulum tamen quem de Consule Cossio Augustum legisse testatur Liuius, cæterorum opinionibus præferendum putarem. Hic ad *Feretrium*; concilie dictum

ctum est, pro ad Feretrium Iouem: Ioui enim Feretrio à feretro nomen fecerat Romulus.

ARGVMENTVM CAP. XIII. LIB. I.

Galli Senones à legatis Romanorum irritati, dum sponte Clusij obsidione soluunt, ad Aliam flumen occurrentes Romanos profligant: dissipatos insecuti, Vrbem diripiunt, diruunt, incendunt, inde ad Capitolium sedent menses septem, sed Galli à Camillo dictatore ceduntur Roma liberatur. Galli iterum ad Anienis ripam post tricesimum annum cæsi sunt. Intra duodecimum annum deinceps in agro Pontino afflicti, tandem à Dolabella ad lacum Vadimonis ad vnum omnes Senones conciſi sunt.

COMMENTARIVS.

Galli Senones dum per iniuriam agros producere conantur, Clusium Etruriæ oppidum obsidebant. Populus Ro. pro socia ciuitate legatos deprecatum misit, qui contemptim à Brenno Gallorum rege excepti, obsessis erumpendi auctores fiunt; ibi Fabius legatus à Brenno deprensus contra ius gentium pugnare, bellum aliorum in suos conuertit. Soluit enim rex irritatus obsidionem, Romam contendit, sibi Fabium dedi postulat, contemnitur. Romani ab Vrbe vndecimum lapidem progressi ad flumen Aliam Gallis occurrunt; funduntur, fugantur: hostes insecuti Vrbem inuadunt, incendunt, euertunt. Pars ciuitatis robustior Capitolinam arcem occupat, septem menses sustinet obsidionem. Interea M. Camillus, qui Ardeæ exsulabat, lege curiata reuocatus, absens Dictator dictus est: is contracto exercitu dum Gallis appenditur ex fœdere aurum ad redemtionem, ipsos adortus Roma eijcit, & ad octauum lapidem via Gabinia assequutos profligat Idibus Februarij, anno Vrbis conditæ ccclxxv. Iterum Galli Senones ad pontem Anienis castramerati, tertio ab Vrbe lapide via Salaria, à Quinct. Dictatore victi sunt: ac T. Manl. à Gallo singulari prœlio prouocatus occidit, & extorque ipsi detracto Torquatus dictus est. Galli proxima nocte in Tiburtinum agrum transierunt, societate belli cum Tiburtibus facta.

Anno

Anno iterum Vrbis conditæ cdiv. campos & maritima loco populabantur, quia L. Furio Camillo Coss. in agro Pontino acie fusi, in Apuliam compulsi sunt M. Valerius Tribunus militum, ex singulari pugna cum Gallo commissa, coruique auxilio victo hoste, Corui cognomine donatus est: vnde & eius posteri Coruini sunt appellati.

Anno tandem Vrbis conditæ cdlxx. Senones Galli cum Boijs societatem, illi cum Etruscis & Samnitibus arma contra Romanos sociant. Senones magno prælio à Romanis vincuntur. Boij cum Senones cæsos intelligerent, suis rebus metuentes, Etruscos euocant: sed Boij ad lacum Vadimonis cum Dolabella consule congressi profligantur, & maxima pars Etruscorum occiditur, teste Polybio lib. 2.

1. Legati à Romanis missi fuere tres Fabij, quorum Q. Fabius Ambustus, quia contra ius gentium arma in Gallos mouerat, reposcebatur à Brenno rege: qui cum legationem suam à populo Romano contemtam intellexisset, exercitum à Clusio mouet ad vrbem, armis iniuriam vindicaturus. Fabio Ambusto ob hanc causam à Tribuno plebis diem esse dictam lego, idq; post liberatam Romam: sed illum tempestiua morte iudicio ereptum fuisse.

2. 3. Cremera Tusciæ fluuius ad quem à Veientibus Fabij cæsi sunt. Alia fluuius ex Crustominis montibus ortus, in Tiberim defluit. Distabat ab vrbem ad xc. stadia, vt Plutarchus supputat, sed Liuio ad vndecimum lapidem. Ibi profligatus est Romanorum à Gallis exercitus: qua de re cum vtraq; clades ad eundem diem euenisset, relatus est ille inter nefastos: dictusq; Alliensis & Cremerēsis dies, de quo præcedēte capite latius diximus.

4. Liuius irritatos esse ad Senatorum cædem Gallos à Papirio tradit, qui Gallum barbam sibi demulcentem eburneo Scipione percusserit.

5. *Septem menses* pro sex mensibus ideo scribendum esse iudicaui, quia constanter cæteri scriptores ita numerant, & refert Plutarchus circa Quinctiles Idus Senones vrbem cepisse: sed a Camillo circa Idus Februarias exinde sequentes ab vrbe exactos, quod spacium colligit numerum septem mensium. Itidem Polybius libr. 2. testatur.

6. Væ victis hinc in prouerbium venisse creditur teste Festo, quod cum Roma capta Senonibus Gallis aurum,

ex

ex conuentionis pacto pensum vt recederent, de iniquis ponderibus vno ex Tribunis querente, Brennus dux Gallorum ad pondera adiecerit gladium, & dixerit, Væ victis: quem postea Furius Camillus cum insidijs circumuentum concideret, & quereretur contra fœdus fieri, eadem voce remuneratse dicitur.

7. Camillus quia dies ipsi dicta erat ab L. Appuleio Tribuno plebis ad prædam Veientanam inique diuisam, Ardeam in exsiliū abijt: absens ab ingratis ciuibus quindecim millibus grauis æris damnatur Zonaras 1500. δραχμὰς interpretatur, hoc est, vt nunc pretiū est, centum Regalibus aureis, sed Nemesis (mox capta à Gallis) vrbe visa, est tantæ ingratitudinis pœnas de populo Romano repetere, vel ratam habuisse Camilli abeuntis imprecationem: ἠξατο γὰρ τὴν ἀχίλλειον ἐυχὴν ἐπὶ ποθῆσαι ῥωμαίοις κάμιλλον ἐν καιρῷ ἅπάν]ησαι δὲ αὐτῶν πολὺ ὕστερον, teste Suida. Galli vero cum ad Capitolium iederent, trumentatum in agros profici cebantur, casuq; Ardeam vsque prouecti, vbi Camillus exsulabat, Camilli ductu & Ardeatium auxilio cæsi sunt: atq; confluebant vndiq; ex agris qui Alienſi cladi superfuerant, vel Ardeam, vel Veijos ex quibus exercitum conscripsit Dictator Camillus, patriamq; à Gallis liberauit.

8. 9. Noua Gallici belli fama anno v.c. cccl xxxvi. perpulit ciuitatem, vt Camillum fere octogenarium diceret quinctum Dictatorem; qui cæsos, castrisq; exsultos ingenti victoria profligauit: sed de loco prælij diuersiæ sunt opiniones. Plutarchus cū Polyæno pugnatum esse à Camillo hoc tempore ad Anienē narrant. Liuius & Polybius ad Albam dimicatū esse produnt, sed ad Anienē T. Quinctio Dictatore, quorum sententiæ & Florus noster accedit, quia T. Manlium aureum torquem Gallo ad Anienem pugna detraxisse omnes cum ipso consentiunt.

10. De satyria alite, quam alij constanter coruum vocant, vide Rodig. lib. 19. quem tamen truſtra se torquere video in eius vocis significatione ex hoc loco delumta, cum veteres libri, & Iornandes *sacra alite* pro *Coruo* scribant. Coruus cognomine non Coruinus ab hoc euentu scribitur M. Valerius in saxis Capitolinis & priscorum monumentis. Manlius tamen poeta Coruinum non Coruum in carmine scripsit.

Et cum militia volucris Coruinus adeptus
Et spolia & nomen.

11. Va-

11. Vadimonis lacus, in quo insulæ fluctuant, distat ab Vrbe circiter xlvi. passuum millibus, iuxta Ameriam Vmbriæ ciuitatem, quæ ab Vrbe proficiscentibus via Flaminia ad sinistram erat. Cætera de lacu graphicæ & eleganter Gallo suo Plinius Secundus libr. Epistolar. VIII. depingit.

12. Conspirarant vno tempore Samnites, Bruttij, Lucani, Serones Galli, cum iis ad Arretium Etruriæ vrbem congressi Romani superantur, L. Cæcilio prætore occiso, & cum ipso in eo prælio XIII. mil. militum, & VII. Tribunus M. Curius in Cæcilij locum sufficitur, qui legatos in Galliam misit pro redimendis captiuis, quos illi violato iure gentium interemerunt. Itaque nouo delectu habito Romani in Galliam penetrant, tandemq; Senones & Senonum socij ad lacum Vadimonis in Cornelio Dolabella Coss. ingenti prælio conciti sunt. Atque de tanta victoria Dolabellam, etsi nullus exstet triumphus, triumphasse tamen verisimile est.

ARGVMENTVM CAP. XIV.
LIB. I.

Latini responso feroci, quo alterum Consulem è Latio fieri petebant, populi Romani arma in se conuerterunt. Manlius Torquatus Consul filium securi percussit, quia contra edictum Consulis pugnauerat. P. Decius se se pro legionum salute deuouet.

COMMENTARIVS.

Latini post pugnam ad Regillum lacum in fœdere non satis fido, tamen cum populo Romano annis centum quinquaginta & sex manserant. Sed dum ipsi Samnites Romanorum socios bello lacessunt, arma ponere iubentur: qui responso etiam ferociore Consulem alterum ex Latinis creari postulant, & ciuitatem: qua indignitate commoti Romani, arma mouent contra Latinos. Torquatus & Decius consules dum castra ad Capuam habent, incertam vocem nocte excipiunt: ex altera acie Imperatorem, ex altera exercitum Dijs manibus Terræque matri deberi: addici autem victoriam illi parti populoque, cuius exercitus Imperator legiones hostium, superque eas se quoque deuouisset. Conuenit itaq; inter Consules, vt vtrius cornu in acie primum laboraret, is se se Dijs manibus deuoueret. Prælio commisso Decij cornu

cornu fluctuabat, qui sese hostesque Latinos deuoult, M. Valerio Pontifice verba solennia præeunte. Hinc Decius cum impetu in hostes irrumpens, morte sua suis victoriam vindicauit.

1. *Ius ciuitas*, hoc est, libertatem ciuis Romani petebant, qua Tribum cum honorum petitione consequerentur.

2. Edixerant Coss. ne quis extra ordinem in hostem pugnaret. T. Manlius consulis filius dum à Geminio hostium duce, cum verborum etiam ferocia insultante prouocatur, præ iracundia aut dolore consularis edicti oblitus, hostem aggressus, singulari certamine occidit. Pater, quia contra edictum pugnauerat, iuber filium securi percuti; atque hinc Imperiosi cognomen Manlio datum (quod ἐπιτάκτην Plutarchus interpretatur) multi contendunt, cum tamen imperiosi cognomen huius consulis pater ex acerbo & imperioso delectu, filiique relegatione inuenerit, quod deinde in filium iure hæreditario transiuit: potius namque à seuera in filium animaduersione Duci & Asperi cognomen ipsi, quam Imperiosi tribuendum erat.

ARGVMENTVM CAP. XV.
LIB. I.

Manius Curius dentatus consul Sabinos in potestatem populi Romani redigit.

COMMENTARIVS.

Hoc bellum cæteri scriptores fere cum Samnitico & Lucanico confundunt Sabini quia rebellauerant, à Curio deuicti sunt, atque ipsum Curium, quod Florus de Sabinæ victoriæ relatione scribit, alij de Samnitium victoria ad Senatum retulisse recensent: tantum agri ipsum cepisse, vt solitudo futura fuerit, nisi tantum hominum cepisset: tantum porro hominum cepisse, vt fame periturj fuerint, nisi tantum agri cepisset. Triumphasse de Sabinis Curium anno vrbis conditæ CDLXIII. ex Capitolinis constat.

1. Dentatus cognomen inuenit Curius, vel quia cum dentibus natus erat, vel quia solidum vnum os pro dentibus habuerit.

2. Sabini quasi Seuini dicti sunt à religione & deorum cultu, augustum incolebant agrum, teste Strabone

à Nomento vsq; ad Tiberim, secundum longitudinem vsque ad Vestinos 1000. stadijs velinos accolunt lacus, roscidis collibus. Nar amnis exhaurit illos sulphureis aquis. Tiberimq; ex his petens replet; qui è monte Fiscello labens, iuxta Vacunæ ne mora & Rheate in eosdem conditur. ita ferè Plinius lib. 3. cap. XII. videturque hoc Flori desumtum ex septimo Æneid.

Sulphurea Nar albus aqua fontes q; Velini.

ARGVMENTVM CAP. XVI. LIB. I.

PRo Capuanis deditieijs populus Romanus armis contra Samnites mouet: inde Campania laudes à situ & fertilitate prosequitur: adhæc quinquaginta annorum cum Samnitibus bellum, & Caudinarum furcarum ignominiam à Romanum acceptam, Samnitibus eadem ignominia repositam.

COMMENTARIVS.

Anno Vrbis conditæ cccc. Capuani Samnitium armis oppressi, vt populo Romano defendendi Capuanos necessitatem exprimerent, sese suaque populo Romano per legatos dedunt. Mouent itaque ad dediticiorum propugnationem consules contra Samnites; Corvus in Campaniam, Cossus in Samnium, atque victor vterq; triumphauit: hinc pacem Samnites à Senatu impetrant, à qua, ipsi frequenter interea infidi, aperte deficiunt anno post datam pacem vicesimo secundo, victique à Papirio Dictatore, anni vnius indutias petunt & impetrant, sed eas Brutulus Papius ipsorum dux abrupit. Samnitesque à Dictatore Cossio fusi fugatique sunt, & ita fracti vt vltro fœderis ruptorem Brutulum dederent, resq; ablatas restituerent: etsi pacem à Senatu non impetrauerint. Quare anno Vrbis conditæ cdxxxii. C. Pontio duce, T. Veturium & Postumium consules & insidias cum exercitu ad caudinas furcas pertractos & inclusos sub iugum mittunt, eosq; turpi sponsione obstringunt. Consules à populo Romano Samnitibus deduntur, nec ab ipsis recipiuntur, ita solutis religione animis, bellum rursus Samnitibus indicitur; fusi victique Samnites à L. Papirio tertium consule, qui ignominiam ante receptam, ipsorum ignominia acerrime vltus est anno v.c. cdxxxiv.

Deia-

Deinceps proximo anno indutiæ sunt petentibus dátæ, & rebellant tertio anno ob Saticulam ab Æmilio Dictatore circumsessam, sed ipsi fugati Pliſtiam ſocios populi Romani circumſident Romani Saticula, Samnites Pliſtia potiuntur, atque ab hinc quatuordecim annis cum Samnitibus continuò bellatum eſt: fœdus namque ipſis redditum eſt anno Vrbis conditæ cdxlix. idque quia Romanum exercitum per ipſorum agros profectum commeatu adiuuarant. Atque deinde ſexennio quieuerunt, quouſque Lucanos populi Romani ſocios armis inuaderent, & bellum decennale mouerent: ſed à Curio Dentato ita fracti ſunt, vt octennio ſeſe non mouerint, nec prius quàm ſociorum periculo territi, dum Tarentinis à populo Romano bellum indictum erat, ipſi quoque arma reſumſerint: ſed poſt ſeptennium ita à L. Papirio conſule debellati ſunt, vt nunquam deinceps poteſtatem Romanam præterquam bello Sociali excuſſerint, idque factum anno ab v. c. cdlxxi.

1. Campani opem tulerant vicinis à Septemtrione Sidicinis per iniuriam à Samnitibus vt potentioribus oppreſſis, ſed prœlio victi Sidicinorum bellum in ſe conuerterunt. Samnites namque campanam gentem luxu & mollitia fluentem adorti pugna ad capuam fractos, in vrbem compellunt. Campani, magna clade debellati, Romam legatos auxilij petendi cauſſa mittunt, atque ipſis ob ſocietatem, quam populus Romanus cum Samnitibus habebat, auxilium non eſt decretum, quare legatus vt populum Romanum ad ſua, non aliena defendenda impelleret, dedit omnia campanorum in Reipublicæ Romanæ poteſtatem.

2. Campania Liri flumine & Latio nouo ab occaſu terminatur, ab ortu Sarnum habet limitem. Samnites Septemtrioni prætenduntur; clauditur Etruſco ſiue Infero mari à meridie. Celebratur campaniæ tractus ob ſitus amœnitatem, & agrorum montiumq; fertilitatẽ. Dicta Liberi cæteriſq; certamen, illud ob vini generoſiſſimi copiam, iſtud ob frugum optimarum fœcunditatem. Miror equidem Plinium, ex quo Florus noſter ſua deſcripſit, non adieciſſe & Palladis cum Libero & cerere certamen, cum nihil Venafrano oleo celebrius ſit & melius. Vide Plin. lib. 3. cap. 5.

3. Caietam Latio nouo, quia citra Litim ſita eſt, multi adſcribunt: vrbs eſt & portus in ora Formiani ſinus

occidentali, nomen habet à caieta Æneæ nutrice, siue à littoris curuitate, teste Strabone ; & hodie nomen retinet, distatq; ab Vrbe in ortum æstiuum ad sexagesimum lapidem. ab Aquilone Formias habet aduersas ad quintum lapidem. Formiano sinu intermedio.

4. Milenus portus & promontorium est, olim vrbs quoq; satis celebris, quæ nunc diruta est. Vltra caietam in ortum vergit ad quadragesimum ferè lapidem : dictus à Miseno Æneæ tubicine, teste Virg. Cumæ eodem tractu sitæ erant, sed in occasum æstiuum xvi. stadijs.

5. Baiæ promontorium, & vrbs & portus ob tepentes aquas saluberrima, ab Vrbe ad centesimum lapidem in ortum brumalem distabat : cingebatur à septentrione Auerno, à meridie Augusti portu, ab occasu Lucrinum lacum habebat, ab ortu Puteolanum sinum ; ita vt nihil eo situ amœnius neque salubrius esse possit : quare à Romanis frequentissimè otij caussa & deliciarum habitabatur: nunc ferè suis ruderibus obruta iacet, etiamsi ob fontium & aquarum salubritatem etiam hodie commendetur.

6. 7. Lucrinus & Auernus ex præcedenti Baiarum descriptione noti sunt, & Strabo lib. 5. & Plinius cætera.

8. 9. 10. Gaurus mons initium habet à ripa Liris orientali, atque ostio eiusdem fluminis, quod à Gauri vicinitate Gaurianus, vnde vulgo Gargiliano dicitur. Huius montis pars occidentalis Gaurus, orientalis & iuga eiusdem Massicus, septemtrionalis Falernus dicebatur. Falernus ager eius montis ad septemtrionem decliuitate porrigebatur. Vinum quod summis collibus nascebatur, Gauranum, quod medijs, Faustianum, quod imis, Falernum vocati solitum est, teste Plinio.

11. Vesuuius mons, nunc Sumanus dictus, distat à Neapoli in ortum ad quartũ ferè lapidem, clauditq; ripam: Sarni fluminis: ipse nobilis generosissimo vino, quod nunc Græcum vocant, & frequenti etiam incendio celebris est: eructat enim subinde flammas, & cinere quoque læto pinguique vicina respergit, verticem verò habet tostis & adustis saxis sterilem. Flagrasse sub Tito, maximo incendio Xiphilinus testatur & Zonaras, itidem Suetonius : antea etiam flagrasse ex Strabone constat & Vitruuio Plinium Natural. historiæ scriptorem, dum illud sub Tito incendium Vesuuij, eiusq; causas propius inuestigare contendit, crassa aëris caligine suffocatum interijsse, ad Tacitum Plinius eius nepos

lib.

libr.6.Epistolarum scribit Ætna Siciliæ mons perpetuo incendio in vertice lucet, eiusq; causſam Iustin.libr.4. reddidit.

12. Puteoli vrbs Campaniæ Auerno ab occasu abluitur;ab ortu sinu, cui Puteolano nomen dedit: ipsa olim Dicæarchia dicta fuit à iustitia magistratuum teste Strabone, condita à Samijs, teste Eusebio, primis Romæ Coss. Bruto & Collatino. Inde à putore sulphureo, quem aquæ tepentes exhalant. Puteoli dici cœpit, teste Strabone & Festo: alij tamen a puteorum frequentia illud nomen faciunt, hodie Pozzuolo voce parum deflexa dicitur.

13.14. Herculanium & Pompeij vrbes Vesuuio monti vicinæ, ista ab ortu ad Sarnum, illa ad occasum non longè à Leucopetra promontorio, Vesuuij montis cineribus sepultæ iacent.

15. Capua olim inter celeberrimas orbis totius vrbes tertia, à mari septemtrionem ad XII. lapidem distabat, eamque Vulturnus mediam prolabebatur. De nominis ratione vt variæ sunt apud scriptores opiniones, ita nulla verisimilior, quàm quæ à Capy conditore dictam credit: nam hoc effossa, Cæsare Iulio regnante, ænea Capuæ tabula etiam testabatur, vt scribit in Dictatore Cæsare Sueronius, & maxima pars auctorum in eo nomine conuenit. Capuam vero beneficio populi Romani à Samnitium iniuria vindicatam defeciſſe in gratiam Annibalis à Romanis, iterumque ab ijs expugnatam defectionis & proditionis pœnas dediſſe, ex historijs constat, & ex Ciceronis Rulliana.

16. Ita fulgebant auratis armis & versicolori veste eo prælio, quo cæsi sunt à L. Papirio Dictatore, speciosumque fecere ipsius tot spolijs triumphum, anno Vrbis conditæ CDXLIV. Iterum eodem apparatu fulgentes, & linteatis etiam sacratisq; legionibus splendentes, L. Papirius Coss. Dictatoris filius internecione ad Aquilonium concidit an. V.C.CDLX.

17. Ita circumuentum & cinctum siluarum montiumque indagine Coss. Cornelij Cossi exercitum, Decius Tribunus militum sua virtute & fortitudine expediuit. Iunius consul exercitui spe prædæ digressio, inhidijsque ad Bouianum perturbato, armis sanguineque hostium viam aperuit. Iterum Cornelio Arminæ Coss. ita vias saltusq; obsepserant, vt ne qua commeatus lubueheretur: sed & ille ferro hostes submouit. Nulla autem fraus

ipsis successit in Romanorum cladem pronior, quàm ad Caudinas furcas; nisi oblatam occasionem infelici consilio corrupissent, de qua mox dicturus est Florus.

18. *Sacratis legibus* ideo dixit, quia Samnites à ducibus suis coacti erant ad sacramentum (diri cuiusdam carminis in execrationem capitis, familiæ, stirpisque compositi) nisi essent in prælium, quo Imperatores duxissent, si aut ipse fugisset, aut si quem fugientem vidisset, extemplo non occidisset: hoc cum primi aliquot annuerent, obtruncati sunt, proiectique inter stragem victimarum, vt documento cæteris essent, ne abnuerent: hinc sacratæ legiones dictæ, & linteatæ conscriptæ sunt. Linteatæ vero legiones, quod singuli intrantes ad aram velis linteis circumdatam, iurauerant. Cætera vide apud Liuium libro decimo & Festum.

19. Quod Florus quinquaginta annorum spatio Samnites bello edomitos esse colligit ἀνισορροίᾳ est, sunt enim anni LXXI. Cœptum namque hoc est bellum anno Vrbis conditæ cdx. in potestatem redacti sunt Samnites anno Vrbis conditæ cdlxxxi. quo victor L. Papirius L. F. de Samnitibus triumphum egit secundum. Appianus etiam excessit hunc annum imprudenter decennio, Eutropius etiam XXII. annis contrahit istud bellum iniqua temporis digestione, proximè accessit libr. 31. Liuius, qui Samnites cum Romanis septuaginta annos bellasse dicit. Consentiunt etiam historiæ omnes nullum in Italia fuisse hostem, qui populum Romanum diutius aut pertinacius fatigauerit quam Samnites.

20. Samnites dicti sunt à Samnio colle, in quo e Sabinis venientes consederunt, & nomen vrbi, quam ibidem condiderant, Samnio fecerunt: eos ab occasu Sabinos, Pelignos, Æquos; ab ortu Picentinos & Apulos, à meridie campanos & Sidicinos; à septemtrione Marucinos, Daunos, Apulos habuisse ex historijs obseruauimus.

21. Obseruaui triumphatum esse de Samnitibus tricies: Coss. enim vicies & sexies triumphum egerunt, bis Dictator L. Papirius, & qui primus cum imperio proconsulari triumphauit Publius Philo, alter etiam proconsule Q. Fabius, quos ordine ex capitolinis triumphis petere licebit. Gentis Fabiorum triumphos quatuor, Papiriorum quinque recensitos numerabis, victos fractosq; postremo L. Papirij, L. F. cum Samnitibus prælio ex eiusdem triumpho colligitur anni v. o. cdlxxxi.

22. Cau-

22. Caudinæ furcæ impeditissimæ saltuum siluarumq; inter duas rupes, fauces a caudio vicino Samnitium oppido dictæ sunt. Ex dictabant ab Vrbe in ortum iter triduj, & describuntur à Liuio libr. 9. elegantissime, vnà cum turpi Coss. sponsione. Deinde à populo Romano Veturium & Postumium Coss. Samnitibus deditos esse, vt ciuitatem pace obnoxiam religione soluerent: verùm à Poncio Samnitium Imperatore deditos non fuisse receptos.

23. Sponsione non fœdere factam ad Caudium deditionem, Liuius lib. 9. conuincit.

24. Istud prœlio, quo Samnites ad Gaurum montem consul Valerius profligauit, accidisse, prima cum Samnitibus pugna Liuius lib. 7. auctor est.

25. Samnitium copijs bis ad Luceriam, quam Papirius consul obsidebat, profligatis exisque, tali conditione eum obsessis pactam esse deditionem Liuius prodit, vt receptis dc. equitibus, qui pro caudina pace obsides dati fuerant, dediticij vna cum Poncio Imperatore sub iugum emitterentur, atque ea ignominia acceptam cladem vlcisceretur. Sed ambiguitatem quam Liuius proponit, fueritne res ad Luceriam gesta, & ignominia caudinæ deditionis reposita, Papirio tertium consule, an ipso equitum magistro, Dictatore Lentulo? eam capitolini triumphi dirimunt: qui Papirium de Samnitibus secundum triumphasse, cum consul tertium esset, constanter recensent, anno v. c. cdxxxiv.

ARGVMENTVM CAP. XVII. LIB. I.

Samnites, Etrusci, Vmbri, Galli armis sociatis mouerant contra Romanos prælio vincuntur à Fabio Maximo ad Ciminiam siluam. Inde in Sentinati agro dubio Marte pugnatur, ibi P. Decius Coss. P. F. cuius sinistrum cornu laborabat, sese patris exemplo deuouit: Q. Fabius V. Consul victoria potitus est.

COMMENTARIVS.

Florum hoc capite bellum prosequi, quod societate armorum Etrusci, Samnites, Galli, Vmbri contra Romanos gesserunt, ex tota relatione manifestum est: sed

confundit rerum gestarum seriem, atque ex varijs prœlijs vnicum facit: trans Ciminiam enim siluam profectus Q. Fabius Maximus pro consule, ad Perusiam ita Etruscorum opes fregit, vt à Perusia Crotona & Arretio legati venerint pacẽ petentes, atq; xxx. annorum indutias impetrarint, anno Vrbis conditæ cdxiv. Interea Etruscos violato sæpius fœdere, aliquot etiam prœlijs fractos esse: quia triumphasse inuenio de Etruscis Valerium Coruum Coss. anno v.c. cdl. atque Fuluium Centumalum Coss. anno cdlv. Inde Q. Fabio v. Decio IV. consulibus, cum Samnites, Etrusci, Galli, Vmbri collatis armis grauissimum bellum inferrent. Etrusci magno & vtili consilio à societate distracti sunt, dum sua tueri coguntur, atque cum Samnitibus Gallisq; in agro Sentinati pugnatum est. Sed cum Decij cornu sinistrum, cui præerat, in fugam ageretur, ipse patris Decij exemplum (qui sese Latino bello ad Veserim deuouerat) secutus: morte sua populo Romano victoriam asseruit. Fabius Castris Samnitium expugnatis, duce quoque hostium Egnatio occiso, Gallos à tergo circumuentos concidit: & de Samnitibus, Etruscis, Gallis triumphum egit anno v.c. cdlix.

1. Etruria enim ab occasu prætendebatur ripis ipsius Tiberis, citrà Roma erat & Latium. Sunt tamen qui legant ex Iornande, *latè per Etruriam infesta, quatuor, &c.*

2. Sociauerant enim arma Etrusci, Galli, Samnites, Vmbri, quorum signa singula singulis agminibus præferebantur.

3. Ciminius saltus, antequam à Fabio aperiretur, inuius, qui in Etruria fuit inter Sutrium & Perusiam. dccc. fere ab Vrbe st. di. s: quantum ex Strabone colligo.

4. Caledonia Britanniæ silua, ea parte insulæ, quæ nunc Scotia dicitur, quæ primum aperta est Romanis Claudio imperante, etsi fama eius aliqua fuerit Iulio Cæsare in Britanniam expeditionem moliente. Multi hanc vrbis nobilitatam referunt, vt Calydoniam Aetoliæ siluam apris: illam Britanniæ Caledoniam, istam Aetoliæ Caledoniam scribi obseruo.

5. Hercyniæ siluæ Germanorum apud Romanos primus meminit Iulius Cæsar libr. 6. eamq; latitudine nouem dierum, longitudine ex æquinocta dierum itinere, nec visu nec auditu satis exploratam fuisse: Iulianum Cæsarem hanc primum perlustrasse, ex ipsius verbis apud Suidam citatis colligitur.

6. De-

6. Denuntiationem hanc à Senatu fero factã esse testatur Liuius, vtpote qui referat quinque legatos cum duobus Tribunis plebis penetrata iam silua, & hostibus profligatis superueniisse, nuntiosque victoriæ Romam reuersos.

7. De fratris huius prænomine, Kesone an M. Fabius fuerit: itidem an C. Claudius frater ille consulis fuerit, ex eadem matre natus, apud Liuium in ambiguum distrahitur.

8. Gigantis vocabuli compositionem latinè per Terrigena exprimere voluit: Græci enim Gigas vocabulum ἐκ τῆς γίνομαι καὶ γῆ conflatum putant. Nota est ex poetis pugna deorum in Phlegræis campis cum Gigantibus, vtpote qui Iouem de cœli possessione deturbare moliebantur.

9. Confundit hic duo prælia non sine temporum & rerum gestarum confusione, historia autem sic habet. Anno vrbis conditæ cdxiv. Etrusci & Galli ad Ciminiam siluam à Q. Fabio proconsule cæsi sunt, sed anno Vrbis conditæ cdlix. alterum prælium in Sentinate agro gestum est, & Decius collega sese ob exercitus sui fugam deuouit.

10. *More patrio:* hoc ad Decium huius Decij patrem referendum est; qui sese Latino prælio ad Veserin ante annos XLV. deuouerat, quando ipsius etiam cornu sinistrum laboraret.

ARGVMENTVM CAP. XVIII.

LIB. I.

POpulus Romanus in Tarentinos arma sumpsit: ob legatos iniuria laesos. Tarentini auxilia Samnitium Lucanorum, Bruttiorum, Apulorum asciscunt; sed victi opem regis Pyrrhi implorare coacti sunt. Lauino consule ad Siris fluuium non satis prospere pugnatur, ob nouum ex elephantibus terrorem melius ad Asculum Æmilio Fabricioque Coss. pugnatum est, ibi elephantes consternati suos proterunt & dissipant. Claudius Cæcus pacem cum Pyrrho dissuadet victus Pyrrhus, castrisque exsutus, ab Italia exactus in Gracia occiditur.

COMMENTARIVS.

Tarentinum bellum omnium, quæ Pop. Rom. in Italia gessit, nobilissimum est, cœptum anno v.c. cdlxxij. debellatum est anno Vrbis conditæ cdlxxiij. sexennio enim durauit. eius causas & euentum Florus fusissime prosequitur; quare nos breuiores erimus, nisi locus occurrat, qui nostram operam desideret,

1. Pyrrhus Æacidæ filius Epirotarum rex, paternum genus ad Achillem, maternum ad Herculem referebat: eius vitam Plutarchus descripsit habuit cognatam Olympiadem Alexandri Magni matrem, vtpotè Neoptolemo auunculo genitam.

2. Tarentinorũ conditores siue colonos, Strabo lib. 6. vrbisque situm describit. cætera Florus prosequitur.

3. Istria & Illyricum porriguntur secundum littora maris Adriatici septemtrionalia, Epirus & Achaia Græciæ regiones per Iouium mare in ortum petuntur. Africa in meridiem iacet, per mare mediterraneum.

4. Occisum à Tarentinis Duumuirum, hoc est, classis præfectum, bona classiariorum & mercatorum ab ijsdẽ fuisse directa, auctores habeo legatosque illisse pulsatos. Valerius Maximus vrna respersos fuisse affirmat.

5. Anno v.c. cdlxxij. Pyrrhi bello, Italiam elephantes vidisse primum Plinius testatur lib. 8. cap. 6.

6. *Syrin* pro *Lyrin* scribendum esse, multos habeo auctores: est enim Heraclea ad Sirin sita, teste Strabone lib. 6. Plutarcho in Pyrrho, Plinio, & Stephano de vrbibus.

7. Frentanum natione, turmæque præfectum, nomine Olpacum Plutarchus vocat: vt dubium esset, an Florus de Ferentariorum militum, an de Frentanorum auxiliariorum præfecto loqueretur, nisi testaretur Franciscus Fabricius vir doctissimus, habere se manuscriptum librum, in quo nomen huic præfecto *Obsidium* sit adscriptum, quod Plutarchi sententiam quoque confirmaret: Præfectum & Pyrrhum infestis hastis concurrisse, vtriusque equo vulnerato quoque excussos, sed præfectũ a satellitibus Pyrrhi concisum: ipsum regem eo periculo edoctum communicasse cum suis insignia, vt errore hostem à sui cæde distraheret.

8. Manifestus hic est error Curio enim nunquam in consulatu collegam fuisse Fabricium, Annales coss. testantur.

stantur. Scribendum itaque, *Fabricio & Aimilio Coss.* quibus ad Asculum cum Lucanis, Bruttijs, Tarentinis, & Samnitibus pugnatum esse. Triumphorum tabulæ recensent. Obseruo namque Pyrrhum tunc spe occupandæ Siciliæ euocatum fuisse, victum tamen paullo ante Fabricij virtute, vtpote qui medicum Timocharem, contra regis sui caput spe præmij venenum deferrentem, ad dominum suum reduci curauerit ita ferè Eutropius, Epitome XIII. Liuij, Valerius Maximus, Tabulæ Capitolinæ Contra Florus & scriptor de viris illustribus. Frontinus, Plutarchus recensent cum Pyrrho bis ad Asculum esse pugnatum: priore die prælium ob noctem fuisse diremtum, altero die Pyrrhum circa humeros pilo læsum ex acie decessisse, victoriam penea Fabricium fuisse. Pyrrhum deinde à Syracusanis in Siciliam, quia à Carthaginiensibus obsidebantur, euocatum Plutarchus & Pausanias auctores sunt. Nonnulli scribunt dubio Marte, Suppliçio & Decio Consulibus, cum Pyrrho pugnatũ esse, sed anno superiore. Pyrrhum fuisse vulneratum, sed Decium consulem hoc in prœlio cecidisse, Cicero in Tusculanis auctor est.

9. Pugnatum esse in Lucania in campis Aurusinis à M. Curio contra Pyrrhum. Frontinus & Florus cum Orosio testantur, Plutarchus ad Beneuentum à Curio victum esse Pyrrhum prodit, iam ex Sicilia reuersum. Itidem Cor. Lentulum, Curij collegam profligasse copiarum partem, quam, vt ipsum distineret, obuiam miserat Pyrrhus, ne Lentulus exercitum cum Curio coniungeret.

10. Victoriam Læuini ad Sirin flumen, terrore belluarum perturbatam fuisse omnes testantur: vt Fabricio pugnante ad Asculum, elephantorum mole & ferocia Romanorum aciem fluctuantem, ad sua castra dubio adhuc Marte recurrisse M. Curio prœlium conferente, dũ elephantum furorem milites Romani in rectores proritant, & in hostium aciẽ repellunt, magna strage Pyrrhũ deuictum fuisse.

11. Appij Cœci oratio apud Plutarchum in Pyrrho extat. Cinea namque orator eloquentissimus erat. Missus à Pyrrho legatus ad Senatum pacis causa, quando Romani prælio ad Sirin vtcunque fracti erant: agebatque Cineas pacem ijs conditionibus, quod Pyrrhus in Vrbem reciperetur. Mox Appius & cæcus & senex in Senatum se se iussit deferri, & sua oratione obtinuit, ne Pyrrhus reciperetur.

12. Lega-

12. Legatum hunc Cineam Demosthenis discipulum fuisse apud omnes constanter scriptum inuenio: nec minus ipsum eloquentia, quàm Pyrrhum armis confecisse: sed victum fuisse Romanorum integritate & continentia, qui munera & eloquentiam cum paupertatis gloria coniunctam solum admirabantur. Eum, aut ipsius collegas, pulsum ab Vrbe fuisse nusquam legi: quare Florus legatos cum muneribus ab Vrbe pulsos, pro repulsis, aut non receptis, per elationem aut certè amplificationem dixisse videtur.

13. Illud Cineæ ἀπόφθεγμα ita refert Plutarch. ἡ σύγκλητος ἀντῶν βασίλειον πολλῶν σωίδριον φανεῖν. hoc est, Senatum sibi multorum regum consessum visum fuisse: putoque in Floro scribendum, *Senatum regum concilium.*

14. Imprudentia quadam aut securitate scriptoris, *Curium* pro *Fabricio* positum esse credo: quia consule Fabricio insidias medici Pyrrho significatas esse, constanter omnes habeo auctores: sed in isto diuersa est opinionum controuersia, fueritne Fabricij Imperio medicus suo domino remissus, an ipsius medici litteræ ad Fabricium datæ: itidem, fueritne ex Senatus auctoritate alterutrum confectum? magnam etiam esse de medici nomine dissensionem, apud Gellium libro 3. leges.

15. Samniticum aurum à Curio contemptum fuisse Ciceronis quoque Cato adfirmat, & scriptor de viris illustribus, maximaque pars scriptorum. Alij eam continentiæ laudem Fabricio adscribunt, sed iterum in eo dissident, quod nonnulli munera Pyrrhi regis à Fabricio contemta fuisse, alij Samnitium liberalitatem à Curio non fuisse receptam referant.

16. Fabricius censor cum Æmilio Papa anno Vrbis conditæ cdlxxviij. Cornelium Rufinum bis consulatu, & semel dictatura functum senatu mouit; quia decem pondo argenti facti, hoc est, argentorum vasorum haberet: strenuum alioqui ducem, sed furacem auarumque: recitat etiam dicterium Fabricij in Rufinum, Ciceronis Orator lib. 2. Plutarchus ab hoc Rufino oriundum esse Sullam dictatorem testatur.

17. Sexennium fuit, nam cœptum est bellum cum Tarentinis anno Vrbis conditæ cdlxxij. deoellatum cum ijsdem, rege Pyrrho ab Italia expulso anno V.C. cdlxxviij. Sed Tarentini nondum omnino fracti ob Milonem, qui

à Pyrrho

à Pyrrho cum præsidio Tarenti relictus erat, (postquam Pyrrhi regis mortem comperissent) Carthagineusium auxilia euocarunt. Tarento tandem à Romanis expugnato pax ipsis & libertas data est, L. Papirio Cursore II. & Sp. Carnilio II. Coss, anno Vrbis conditæ CDLXXXI. Maximaque Italiæ pars iam deuicta erat: venerant namque in populi Romani potestatem Tarentini, Samnites, Lucani, & paulo ante etiam Etrusci.

18. Quod hic vicesimo lapide definit, Plutarchus ad trecenta stadia extendit, hoc est, dupla fere ratione. Florum tamen numerum esse quàm Plutarchi exactiorem Geographiæ ratio confirmat: cum regem Pyrrhum Florus à Prænestina arce vrbem prospexisse dicat. Prænestè distabat ab Vrbe ducentis fere stadiis, teste Strabone, qui numerus vt ad Florum propius accedit, ita & dimensioni terrestri propius conuenit.

19. Molossi, Thessali, Macedones, populi Græciæ celeberrimi, qui contigua fere regna habitabant. Molossi Pyrrho regi parebant; Epirotarum populi, Thessali & Macedones merebant.

20. Bruttius Apulus, Lucanus: extrema Italiæ versus ortum habebant, Tarentinis confœderati Lucani erant Picentinis proximi; istis Bruttij in magna Græcia, quibus ad superum mare transuersa fere latera claudebant Apuli.

ARGVMENTVM CAP. XIX. XX. XXI. LIB. I.

Picentes in populi Romani potestatem rediguntur itidem Sallentini, sed Vulsinienses Etruriæ populi seruitute fœdissima oppressi, armis Romanorum asseruntur.

COMMENTARIVS.

In Picentes bellū mouisse anno Vrbis conditæ CDXXCIV. auctorem habeo Eutropium, Q. Ogulnio, C. Fabio Pictore coss. quibus etiam argentum Romæ primum esse signatum Plinius & Epitome XV. testantur, quinquenniū ante primum bellum Punicum. Causam huius belli accepimus ex Floro fuisse, quia Picentes arma cum Tarentinis sociassent: victos esse Picentes proximo anno, coss.

Sem-

Sempronio Sopho, & Ap. Claudio, idque maximo & laboriosissimo prœlio Orosius testatur. De Ijs triumphatum esse, series Triumphorum indicat.

1. Picentes populi quintam Italiæ regionem occupabant: quondam vberrimæ multitudinis, vt 360000. Picētium in populi Romani potestatem aliquādo venerint, si verus est Plinius; habitantque inter Rubiconem & Ausidum fluuios ad littora maris Adriatici. Sunt & Picenti Italiæ populi, qui ab ortu Lucanos & Silarim fluuios, à tergo Ausones & Samum habent, à latere mare Tyrrhenum: Suntque Picentium coloni, teste Strabone, quorum isti Picentes, illi Picentini frequentius dicuntur. De Picentibus triumphatum esse ab vtroque cos. Sempronio Sopho & Ap. Claudio triumphorum series prodit anno Vrbis conditæ cdxxcv.

2. Asculum Oppidum Picentium Apulorum, situm erat loco natura munitissimo, muro etiam & montibus vix vlli exercitui penetrabilibus inclusum, teste Strabone lib. 6. nobile etiam ob prœlium Pyrrhi & Fabricij ibidem consertum: hodie Ascoli dicitur.

3 Sallentini peninsulam illam incolebant, cuius Isthmum sinus Tarentinus & Brundisinus ab occasu constringunt, ad latitudinem vnius diei itineris, porrigiturque longa fronte in ortum: eam peninsulam confusè Messapiam, Iapygiam, Calabriam & Sallentinam ab auctoribus vocari Strabo auctor est, victos quoque Messapios esse proximo anno, Triumphorum series testatur. Quatuor quidem Coss. de Sallentinis triumpharūt, quod biennio fere hoc bellum fuisse prodit, nec Atilio Regulo & Iulio Libone Consulibus edomitos esse: sed anno sequente quando Coss. Iunius Peta. N. Fabius Pictor de Sallentinis & Messapijs triumphum egerunt, in deditionem fuisse receptos, anno V. conditæ cdlxxxvij. Causam quoque huius belli non inuenio, nisi Tarentini etiā istos in societatem receperint, & hoc armis vindicandum populus Romanus iuserit. Zonaras populum Romanum opinatur inuitatum esse ad causas belli, vt portus Brundisini commoditate potiretur.

4. Brundisij portum elegantissime Strabo lib. 6. describit. distat à Roma in ortum æstiuum millia passuum trecenta sexaginta, estque ex Brundusio nauigatio commodissima ad transmarina loca. Epirum, Græciam totam, ad Epidamnum, Illyricas & Macedonicas gentes Idem Strabo Ἐρεντίσιον Messapiorum vocabulo cornu ceruinum

hum significare asserit, & Cornutum quod Latini Brudusium, à situs, quam habet cum cornu ceruini figura similitudine, appellatum esse.

5. Ducem belli Vulsinienſis Fabium Gurgitem fuisse, præterquam apud Florum, nusquam me legere memini nam Fabium etiam quem sine cognomine Zonaras prodit, in oppugnatione vrbis Vulsiniorum occisum esse refert. Consulem deinde qui Vulsinienſium mancipia expugnata in potestatem redegit, non nominat. enim verisimile est fuisse M. Fuluium, qui consul de Vulsinienſibus triumphum egit; anno Vrbis conditæ cdxxxcix. Scriptor de viris illustribus cap. 36. imperatorem huius belli Decium Murem vocat: prœlio victos, inde obsessos, expugnatos, & summo cruciatu enecatos esse, vrbemque euersam, idem Zonaras prodidit.

ARGVMENTVM CAP. XXII. LIB. I.

Postumium Tribunum per seditionem ab exercitu suo lapidatum esse. Appij ferociam miles contumacia vltus est. Voleronis tumultu fracti Coss. fasces Coriolanum vrbe pulsum, eiusque in vindicando feroci mater Veturia lacrymis mitigauit. Camillum ab ingrata plebe eiectum, patriam à Gallis asseruisse.

COMMENTARIVS.

Laborauit etiam intestino malo Romanus populus, seditioneſque domi foriſque concitauit. Foris, quando P. Postumium Tribunum consulari potestate ob crudelitatem lapidibus obruit. Iterum, quando Appij Claudij Consulis ferocia miles irritatus vinci à Volscis voluit. sed Appius consulari imperio in legiones animaduertit, & decimum quemque fuste, centuriones qui ordines deseruissent, securi percussit. Domi quidem Volero Publilius in delectu citatus, quia ordines duxisset, negabat se militem fieri debere. Coss. lictore misso hominem spoliari, virgasque expediri iubent: ille ad populū prouocat; crescente deinceps certamine, violantur lictores, fascibusque fractis e foro in curiam compelluntur. Volero anno sequente Tribunus plebis creatus est.

Coriolanus Marcius contumacia quadam plebis iudicium

cium contemnens, exfilio multatur, quam iniuriam vlturus. Volscorum exercitu vsus patriæ bellum infert grauissimum, à cuius oppugnatione matris suæ pietate & lachrymis deterritus est, ipse sibi mortem tandem adfert, Vel, vt ab alijs proditum, insidijs Tulli Volscorum ducis occiditur, quia adiutorem contra patriam inueniret neminem. huius casum cum Themistocle Cicero cõparat.

Furius Camillus iniustè & per ciuium suorum ingratitudinem, die ipsi dicta à L. Appuleio Trib. pl. ob prædam Veientanam non satis æque distributam, in exsiliũ Ardeam abiit: absens quindecim millibus grauis æris damnatus est; ipse tamen huius iniuriæ oblitus, patriam è Gallorum manibus eripuit, Vrbemque liberauit: vti iam de bello Gallico dictum est.

ARGVMENTVM CAP. XXIII. LIB. I.

OB fœneratorum seruitiam innexos, plebs in Sacrum montem secessit, nec redijt ad Vrbem, prius quàm Tribunos plebis impetrasset, etiam Agrippæ Apologo persuasa.

COMMENTARIVS.

Primam plebis secessionem ex dominatione nimia patriciorum proritatam fuisse, & pro libertate, vt ciues obæs alienos nexos assererent inuenio: qui enim creditoribus soluendo non erant, ipsis addicebantur, vt in neruo & compedibus vincti essent, quousque apud creditores seruiendo nomina liberassent. Atque cum in addictos etiam crudelior creditorum dominatio seruiret, Patresque de nexis liberandis expectationem plebis sæpius frustrati essent, plebs armata à Coss. decessit duce Sicinio in montem Sacrum, (qui trans Anienem distabat ab Vrbe ad tertium milliari) ibique hæsit anno fere vno, quousque à Patribus sacratam legem extorqueret, hoc est, vt ipsis è plebe magistratum suum creare Tribunos pl. liceret, qui plebem ab iniuria patriciorum defenderet: vt nemini patricio eum magistratum capere liceret: vt ipse magistratus sacrosanctus esset, hoc est, si quis Tribunum pleb. verbo aut facto violaret, ipsum impune

pune occidi posse, ac sacrum esse. idque accidit anno post exactos reges, vt testatur Ciceronis Brutus decimo-sexto. De numero Tribunorum plebis statim ab initio creatorum sibi non constant auctores, vt nec etiam de nomine apud Liuium Piso testatur primum duos creatos esse: quinque autem creari cœptos anno Vrbis conditæ cclxxxij. satis cõstat. Decem vero an. v.c. ccdcvi. ad quem numerum deinceps semper stante Republica creati sunt. Quod ad nexum attinet, desierunt necti ciues Romani ob æs alienum anno v. c. cdxxvii. idque ob L. Papirij libidinem & contumeliam in C Publilium: bonaque debitoris tantum creditori obnoxia erant, corpus à nexu liberabatur.

ARGVMENTVM CAP. XXIV. LIB. I.

Appius decemuir ingenuæ virginis stupranda libidine ardens, eam in seruitutem trahere conatur, eam pater sua manu iugulatam scelestæ eripit dominationi. Decemuiri plebis secessione coacti abdicarunt.

COMMENTARIVS.

Altera secessio pro pudicitia fuit. Decemuiri legum scribendarum caussa creati erant cum imperio consulari & sine prouocatione, vt ipsi ex patrijs moribus, peregrinisque legibus ius populi Romani selectum conscriberent, quæque ij scripsissent, si Patres auctores fierent, & populus iuberet, ea populum semper tenerent. Decemuiri autem semel ita occupatam Rempublicam, prætextu scribendarum adhuc legum, dominatione regia ad biennium mutua etiam conspiratione oppresserant. sed Appij Claudij libido istam quoque seruitutem excussit: dum enim ille exarsit in Virginiam plebeiam puellam, omniaque clausa & obsepta pudore experiretur, conatur etiam in seruitutem spe ipsius potiundæ asserere per Claudium clientem suum: sed L. Virginius pater filiam sua manu occidit potius, quam ea Appij libidini dederetur: eius atrocitate plebs commota, castris relictis in Auentinum, mox in Sacrum montem secessit anno post reges exactos sexagesimo v. c. cccIV. Plebs autem paulo post placata est ijs conditionibus, quod

Tribuni plebis ipsis restituerētur, abdicatisque Decemuiris iterum Consules crearentur. Appius vero Decemuir sibi manus in carcere intulisse dicitur.

ARGVMENTVM CAP. XXV. LIB. I.

PLebs connubiorum cum patricijs societatem impetrat.

COMMENTARIVS.

Legem à Decemuiris quoque in XII. tabulas relatam esse ex Liuio constat, & Dionysius testatur : *Ne patricijs promiscua cùm plebe connubia sunto,* idque ipsius Claudij decemuiri odio in plebem factum fuisse, quam legem C. Canuleius Tribunus plebis non sine magnis Reipublicæ motibus abrogauit, tulitque nouam legem, vt patriciorum & plebeiorum connubia promiscua essent: vtcumque fremerent patricij, qui sanguinem suum contaminari, confundi iura gentium ea rogatione vociferabantur, qua tamen ad concordiam ciuium nihil deuinctius esset. atque ista connubiorum communicatio plebi ad honores aditum sua occasione aperuit, vti proximo capite notabimus.

1. In Ianiculo connubiorum promiscuorum causa tumultuatum fuisse Canuleio duce, auctorem præter Florum haud facile inuenias. Certatum quidē eam ob causam seditiose inter patricios & Trib. plebis contentionibus variis ex Liuio constat: secessisse autem plebem in Ianiculum propter æs alienum post graues & longas seditiones, an. v. c. cdlxvij. inuenio, atque à Q. Hortensio Dictatore inde deductam, eumque legem tulisse in Esculeto, vt quod plebs iussisset, omnes Quirites tenerent, nec aliam tertiæ secessionis causam auctores recensent.

ARGVMENTVM CAP. XXVI. LIB. I.

ORdo plebeius honorum cum patricijs communicationem post longas contentiones obtinuit. Populus Romanus libertatis vsque adeò acris vindicator fuit, quod libertatis sua per largitionem insidiatores, Sp. Cassium

Cassum per legem Agrariam. Sp. Malium per frumenti donationem M. Manlium Capitolinum per addictorum redemtionem regnum affectantes morte multaueris.

COMMENTARIVS.

Canuleij Tribuni pl. audacia primum lex de altero Consule è plebe creando promulgata est anno Vrbis conditæ cccviij. idque vt dominationem patriciorum infringeret; tenuitque ea contentio Patres plebemque annos ferè octoginta, resque semper magnis motibus acta est. Patres autem statim lege promulgata metuentes ne perferretur, C. Claudij auctoritate in eam sententiam ierunt, quod tres Tribuni militum consulari potestate ex patricijs, totidem communicatione honoris ex plebeijs crearentur; facile plebs patrum auctoritatem iussit; sperabat namque fore, quia tot plebeij esse candidatos profiterentur, quod aliquorum ratio haberetur, & magistratum caperent: sed id frustra fuit, quia tres tantum & patricij omnes creati sunt; ijsque plebs contenta fuit, propterea quod sui ratio in comitijs habita videretur, anno V C. cccix. atque varijs deinceps patrum cum plebe contentionibus, iterum consules è patricijs quadriennio sequenti creantur. Mox iterum euicit Trib. plebis contentio, quod Tribuni militum sex crearentur, atque spe iterum communicandi honoris magistratus istius cum plebe frustrati sunt: suntque proximo quadriennio, quieta plebe Tribunisque eius, coss. à patricijs creati: sed assiduæ Trib. pl. conciones obtinuerunt, vt Tribuni militum anno Vrbis conditæ cccxx. crearentur. petebant autem ex plebeijs tres, totidem ex patricijs designarentur, sed patricij tres tantum creati sunt, quod & proximo etiam anno vsu venit, quibus coss. per quinquennium successere; inde Tribunos militum plebis certatio, vario & alternante cum coss. successu obtinuit, accrescente sensim. Tribunorum militum numero ad senarium, quorum terni patricij, totidem plebei essent. idque quindecim fere annis, ab Vrbe condita cccl. ad cccl. Sed biennium proximum consulare fuit, cui successerunt sedecim annis Tribuni militum Coss. potestate, atque tunc mutata quoque Reipublicæ forma Tribuni plebis per quinquennium seditiose, in cæterorum ma-

gistratuum solitudine dominati sunt. sed ijs contentionem tandem de plebeio consule remittentibus, per comitia iterum creati sunt Tribuni militum; tenuitque is magistratus annos quatuor, quousque Tribuni plebis euicerunt, vt per comitia alter coss. è plebe fieret anno v.c. cccIxxxvij. creatusque est primus è plebe consul L. Sextius Lateranus, huiusque legis patres auctores fuerunt, idque pro concesso ipsis alio magistratu, qui in ciuitate ius diceret, atque is è patricijs tantum creatus, prætor diceretur: creatusque fuit primus Sp. Furius Camilli filius, & vt Curules ædiles patricij tantum designarentur, conuenerat. Iamque ordines in concordiam conciliati, honorumque communicatione moderata erat respublica, quia patebat via nitenti per virtutem ad magistratus capiendos patricio æquè atque plebeio, promiscuique deinceps plebi cum Patribus honores fuerunt. Dictator enim primus è plebe dictus est à plebeio consule Popillio Lænate, C. Marcius Rutulus ann. Vrbis conditæ cccexviij. isque de plebe sibi equitum Magistrum cooptauit C. Plautium; etsi tamen hic primus è plebe Magister equitum non fuerit, sed C. Licinius Stolo anno Vrbis conditæ cccIxxxv. à Dictatore C. Manlio primus è plebe dictus fuit, non sine graui offensione Patrum in Manlium offensione, quod Manlius patricius certamina plebis cum Patribus tali occasione præiudicasse videbatur.

Censorum Magistratus cum plebe euulgari cœpit anno Vrbis conditæ cdij. primusque Censor plebeius fuit C. Marcius Rutilus, qui primus è plebe Dictator fuerat.

Prætura etiam plebeia facta est, primusque Prætor è plebe creatus Q. Publilius Philo an. v.c. cdxvij.

1. Sorores Fabiæ in domo Sulpicij Tribuni militum forte confabulantur, redit è foro domum Sulpicius, lictor (vt mos erat) forem virga percutiebat, expauit ad insuetum domi suæ morem vxor Stolonis, & risu fuit sororibus mirantibus id ab ea ignorari, æmulatione itaque accensa patrem maritumque ita impulit, vt honores & magistrat. etiam in Stolonis plebeiam domum conferrent. Factus enim Stolo Tribunus plebis cum L. Sextio, honorum euulgationem à Patribus extorsit primusque Magister equitum è plebe dictus est, & binos gessit consulatus. Capitolinæ tabulæ hunc Caluum cognominant, cæteri scriptores Stolonem.

2. Sp.

2. Sp. Cassius elatior factus tribus consulatibus triūphisque duobus, in regni affectati suspicionem ideo venit, quod legem promulgauerit de agro Hernicorum Latinis socijs & ciuibus Romanis diuidendo: sed ista Cassij largitio apud ciues euilescebat, quia socijs ciuibusque distributionem comparandam censuerat, qui vt alio munere sibi ciues reconciliaret, iubebat pro Siculo frumento acceptam pecuniam populo retribui, id vero non aliter plebs est aspernata, quam præsentem regni mercedem: quare simulatque magistratu abijsset, damnatus necatusque est. Auctores habeo qui domi à patre damnatum, verberatum, necatum referant, sed populi iudicio damnatum esse, Liuius vt probabilius, sequitur.

3. Sp. Mælius Eques Romanus dum frumenti largitione, quod sua pecunia comparauerat, regnum à plebe esuriente emerati videretur, affectare ipsum tyrannidem defertur à L. Minucio annonæ præfecto. Senatus tanta rei nouitate commotus, ex sententia T. Quinctij consulis Dictatorem dici iubet. L. Quinctius Cincinnatus iam octogenarius dicitur seditionis sedandæ causa, atque is equitum Magistrum sibi cooptat C. Seruilium Ahalam. Seruilius Mælium iussu Dictatoris in ius vocatum, quia dicto non parebat, obtruncat, anno v. c. cccxiv. Dictator iuste factum esse pronunciauit, nihilque postea egisse Tribunum plebis, qui rogationem tulerit de publicandis Ahalæ bonis, quia ciuem indemnatum occidisset, Liuius testatur. Contra Cicero & Valerius auctores sunt, exilio postea multatum Ahalam populi incitati iracundia.

4. M. Manlius, dictus Capitolinus, ob Capitolinum à Senonibus Gallis, qui noctu obtepserant, defensum anno Vrbis conditæ cccixiij. qui rerum gestarum magnitudine gloriaque immoderatius sese efferens, ciuium quoque patronum sese professus, addictos creditoribus sua pecunia redimebat: cœpitque domi agitare regni cōsilia: quare ipsi à Trib. pleb. M. Mænio & Q. Publilio dies est dicta. Aulus & Titus fratres in eius iudicio vestem non mutarunt, quod ad eum diem vsu non venerat, quin tanto in discrimine proximi quoque sorditati ad mouendam populi iudicis misericordiam comparuissent. Damnatus è saxo Tarpeio quod in Capitolio erat, quodque à Gallis vindicauerat, præceps datus est, anno septimo post Vrbem à Gallis receptam Gellius

Nepotem laudat auctorem, qui Manlium verberando necatum scripserit. Adiectas mortuo notas, Liuius, Sex. Pom. Herodes Atticus apud Gellium, auctores sunt: alteram publicam, quod cum domus eius ex populi iussu ob defensum Capitolium in arce fuisset: vbi postea ædes atque officina Monetæ, latumad populum est, ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret, domusque eius diruta est, bona publicata Gentiliciam alteram, ne quis ex ea gente Marci prænomine vocaretur, ita vt vocabulum quoque illud cum ipse deformatum atque sepultum videretur. Nam quod ille, qui de viris illustribus Plinij Secundi titulo circumfertur, scripsit, gentilitatem Manlij eiurasse, ne quis postea cognomine Capitolino vteretur; ἀνισορροία est: constat enim ex consulum Annalibus, Capitolinorum cognomina in Manliana deinceps frequentissima fuisse.

IN LIBRI SECVNDI CAPVT I.

E Numeratione repetit quingentorum ferè annorum res à populo R. intra Italiam fortiter gestas, hinc armis ipsorum Europam, Africam, Asiam CC. annis domitam.

1 *Prope quingentesimum* ideo scripsit, quia ab v.c. ad primum bellum Punicum anni tantum sunt cdixc. rotundio, re itaque numero vsurus vndecim annos, qui ad quingentesimum vsque desiderabantur, vnica dictione, *prope*, inclusit.

IN CAPVT II. LIB. II.

PRo Sicilia annis XXIII. terra marique Romanus cum Pœno bellum gerit, classe etiam hoc bello Romani primùm cum hoste congressi sunt: variaque victoria, tempestatum sæuitia, & imperatorum audacia magnis cladibus vtraque pars conflictata est, victorque tandem Romanus, pacis leges Carthaginiensibus imposuit.

COMMENTARIVS. I. CAP.

Primi belli Punici causas varie referunt auctores, nonnulli eo referunt quod Pœni siue Carthaginienses classe

classe Tarentinos contra fœdus cum populo R. ictum adiuuissent. Fœdera autem Carthaginiensium cum Romanis inde à primis coss. repetit libro tertio Polybius: sed tamen ille belli istius causas fere cum Floro easdem recenser; refert Plutar. Pyrrhum à Sicilia recedentem respexisse, suisque dixisse: O qualem nos, ô amici Carthaginiensibus & Roman. palæstram relinquimus! idque, vt is coniecerat, haud diu post ita euenisse, cætera Florus.

1. Messanam Siciliæ qua Rhegio Italiæ oppido prætenditur, vrbem nobilissimã, Campani Mamertini, qui sub Agathocle Syracusano in Africa meruerant, reuersi hostiliter occupauerant. Inuaserat enim paulo post ciuibus cæsis, quibus præsidio missa erat Rhegium, Campana legio Rom. duce Iubellio: sed deuicto Pyrrho & Tarentinis debellatis à L. Genucio cos. Rhegium quoque expugnatum est: legio Romæ virgis cæsa & securi percussa est, an. v. c. cdlxxxij. atque cum simile supplicium meruerent Mamertini ob occupatam Messanam, essentque aduerso prœlio ab Hierone fracti, alij ad Carthaginiensium societatem, nonnihil ad Rom. auxilium respicere cœperunt. Carthaginienses præsidium miserunt, quod à Mamertinis receptum est. Rom. metuentes ne opportunitate ista vsi Carthaginienses totam Siciliam occuparent, quam præter Mæssanam & Syracusas vniuersam possidebant, Mamertinis opem petentibus ferendam esse decreuerunt. Appius Claudius coss. primus omnium cum exercitu in Siciliam missus est anno vrbis conditæ cdlxxxix. inuenitque cognomen caudex, quo primus caudicem, hoc est nauem belli gerendi in Siciliam caussa conscenderit, cuius Senecam & Suetonium auctores habeo, Mamertini Claudium ad se vocant, prætecto Pœnorum quem in arce receperant electo, qua indignitate Pœni irritati Messanam obsident, vocato in societatem obsidionis Hierone Syracusanorum rege: quibus coss. Appius primum pacis conditiones nonnihil cõsternatus hostium multitudine propoluit, eas hostis reijcit. Inuadit itaque seorsum Appius Hieronem, eumque prœlio fractum à Messana repulit, fugaque Syracusas petentem secutus Appius, eas quoque obsedit. Proximo deinceps anno, qui erat annus v. c. cdxc. M. Valerius & M. Otacilius coss. in Siciliam traijciunt, plerequi Carthaginiensiũ vrbes sine prœlio ad Romanos deficiũt, pacem cum Hierone iam rebus suis diffidente ijs legibus

faciunt, vt captiuos Romanorum sine pretio dimitteret, argenti talenta centum penderet, socius populi R. esset. atque ita fere Polyb. ista prosequitur. Sed rem fortiter & prœlio quoque ab istis coss. hoc anno gestam testantur Plin. Eutrop. Oros. Macrob. Epitome Liuiana xvi. & capitolini triumphi Tauromenitanos, Catanenses, & quinquaginta ciuitates in fide acceptas, itidem Valerium deinceps Messallam à Messana expugnata cognominatum.

2. De Scylla & Charybdi intelligit. Charibdim fretum inter Rhegium & Messanam vocari Thucydides, lib. 4. scripsit: alij Charibdim vorticosum & altissimum mare ante Messanam tradunt, quod suis vorticibus naues in gyrum tractas absorbeat, & tabulata attrita partesq; nauium ad Tauromenitanum littus euomat. Scyllam vero iuxta Rhegium immanem & cauernosum scopulum esse, qui anfractibus suis vndas receptas & collisas veluti canum latratus & vlulatus referat: estque Scylla ob saxa & scopulos infamis naufragio. De fabulosis in hoc freto monstris Virg. lib. 3. Homer. Odyssea M. & ipsorum commentatores lectoris desiderio satisfaciēt. Distabat Messana à Rheginorum vrbe in Bruttijs interuallo stadiorum sexaginta.

3. Sicilia maxima in Tyrrheno mari insula, Italiæ ad Bruttios imminens, Triquetra est dicta Thucydidi Sicania, à Græcis etiam Trinacria, à tribus promontorijs quibus sese in mare protendit, quorum illud quod Scyllæo siue Bruttio Italiæ aduersum iacit, Pelorum vocatur, huic aliud prætensum in meridiem desinens Pachynum dicitur. Tertium quod in occasum brumalem porrigitur, quasique verticem trianguli constringit, Lilybæum dicitur, Africæ obiectum.

4. Pœnos primum classe à C. Duilio cos. ad Liparas insulam esse victos, primumque eum egisse nauale triumphum anno v. c cdxciij. fidissima priscorum monumenta testantur, & eam ob caussam ei perpetuum honorem habitum, vt reuertenti à cœna, tibicine canente funale præferretur, & columnam ipsi publico in foro erectam esse huius victoriæ causa Plin. lib. 34. c. 5. testatur.

5. Ferreas manus vocat, quas vt agilitatem Punicarum mole suarum nauium retardaret, Duilius consul excogitauerat: quas vt Coruos vocat Polybius, ita eos libro 1. eleganter describit. Erantque Corui veluti

pontes

pontes quidam nouem pedum, in gradus secundum longitudinem digesti, qui circa nauium proras erecti stabant: ij libramentis quibusdam remissi, & præcipiti rotæ volubilitate pondereque impetum adiuuantes, quacumque parte in aduersam nauim irruebant, eam manu ferrea siue harpagone astringebant, militibusque per substratum ita pontem via in hostium naues patebat. Cum Pœni Romanos vt rei nauali imperitos duce Annibale temerario impetu inuaderent, implicatis eius machinæ vsu à prora & ex obliquo quacunque irruerent nauibus, vincuntur à Duilio, capiturq; & septiremis Annibalis, quæ Pyrrhi regis fuerat: ipse dux ægrè elapsus Carthaginem fugit.

6. Lipara insulæ & vrbs in eadem nomen, estque vna ex Æolijs septem: dicta Lipara à Liparo rege, qui Æolo successit, abestq; ab Italia in meridiem x. mil. passuum, ipsaque circuitu paulo minori. Vide Plin. libr. 3. cap. 9. Strab. lib. 6.

7. Cn. Cornelius Asina C. Duilij collega, dum Liparas cum xvii. nauibus contendisset, opportunitate aliqua inuitatus, tamen aliquanto quàm necesse erat celerius, ab Annibale Pœnorum duce velut indagine cinctus capitur, teste Polyb. libr 1. Cæteri auctores cum Floro de punica fraude & iureiurando deceptum consulem consentiunt: dum enim eum adduxerunt ad suum ducem, quasi visendi ægrotum gratia, mox captiuum abripuerunt in Africam è Sicilia cum xx ii. nauibus, vt Appian. in Libicis scribit, idem Cornelius sexennio postquam captus fuerat, de Pœnis pro consule triumphauit, cuius & Valer. lib. 6. & Capitolini scriptores meminerunt.

8. Temere hic à Floro adscribitur Dictaturæ A Atilij Calatini, quod Consulatui ipsius tribuendum erat an. v. c. cdxc v. Dictator enim ipse Calatinus suffectus est in locum M. Claudij Gliciæ, qui scriba fuerat, coactusq; abdicauerat an. v. c. dv. atque in ipsius Dictatura nihil memorabile gestum inuenio, etsi primus Dictator fuerit, qui extra Italiam imperium habuerit.

9. Agrigentum Siciliæ oppidum medio ferè inter Pachynum & Lilybæum promontoria spatio: eoq; latere Sicilia Africæ littoribus prætenditur. ἀκραγας Græc. dictum, biennio prius quàm consul esset Calatinus, in potestatem P.R. venit per obsidionem Coss. L. Postumio, Q. Mamilio, anno v. c. cdxci. describ. Agrigentum à Polyb. lib. 9.

10. Lilybæum extremum Siciliæ in brumalem occasum promontorium, à Roma in Euronotum, à Carthagine in Hellespontium porrectum iacebat, distabatq; ab Africæ littoribus mille stadijs, vt Polyb. vt Strab. testatur, mille quingentis. Sed Plin. ad Mercurij promontorium à Lilybæo centum & octoginta millia passuum mensurat. Strabo etiam auctor est, quendam acutissimi visus, cum in speculam accendissent, naues Carthaginiensium portum egredientes Lilybetanis numero renuntiasse, quod sane sphærica ratio ob maris connexitatem interea ad tria mill. p. turgescentem non patitur, aut oportuit trium millium p. altitudinis eam speculam habuisse. Erat in hoc quoque promontorio Lilybæum vrbis firmissima & Carthaginiensium præsidio munita, de qua hic loquitur Florus ea hodie Marzala dicitur.

11. Drepanum à Lilybæo in Septentrionem distabat, teste Polybio, stadijs fere viginti: nomen habet ab incuruato sinu instar falsis: δρέπανος enim Græcis falsem significat, nunc Trapani dicitur.

12. 13. Panormus vltra Drepanum in Septemtrionem sita est, distatq; à Lilybæo 48. mill. p. Eryx mons est inter Drepanum & Panormum mari imminens, sed Panormo quam Drepano vicinior, qui magnitudine ab Ætna secundus est: in eius vertice planicies erat, vbi Veneris Erycinæ templum; paulo infra verticem Vrbs erat eiusdem cum monte nominis, erat & in eodem monte Anchisis sepulchrum.

14. Camarina vrbs Siciliæ, Syracusanorum colonia in latere Lybici maris à Pachyno in occasum distabat 50. mill. pass. teste Strabone: ad huius vrbis saltum, cum temeritate consulis Calatini exercitus in vallem (cuius colles vndique hostes insedissent) demissus esset, Calpurnij stratagema consuli occasionem dedit, ad exercitum inde extrahendum, aliter ista quàm Florus narrat Frontinus lib. 1. cap. 5. & lib. 4 cap. 5. itidem Gellius lib. 3. cap. 7. & varia huic Tribuno nomina adscribunt.

15. Thermopylæ angustiæ montium atque saltuum sunt in Thessalia, quà in Maliacum sinum orientemque vergit, ad Sperchij fluminis ostia lutulenta admodum & limosa via, & non nisi sexaginta passuum patens, quæ vna militaris via est, & quà traduci exercitus, si non arceatur possit, eam Leonides Spartanorum rex contra Persarum ingentem multitudinem cum trecentis Spartanis occupauerat, magnamq; barbarorum per vim nitentium

tium partem occiderat, nec superatus foret, nisi per proditorem Epialtem circumductus Trachinium hostis, eos à tergo oppressisset. Variant admodum in huius historiæ traditione auctores, Cicero ccc. Spartanos, itidem Frontinus & Herodotus numerant, Gellius ex Catonis Originibus cccc. itidem. Iustinus DC. qui eruptione in hostes, & cædibus fatigatos, à multitudine barbarorum obruros scribit. Thermopylarum situs venuste ab Æliano lib. 3. Variarum hist. describitur.

16. Collectum ab Atilio Calatino Cos. adhuc inter cadauera suorum spirantem Calpurnium flammam, eumq; conualuisse, & strenuam deinceps P. R. adhuc nauasse operam, M. Cato apud Gell. auctor est lib. 3. cap. 7. comparatq; Leonidæ cum Calpurnij fortitudinem. Sed quod noster subindicare videtur sanguine scripsisse Leonidam, memoriæ lapsus est, vtpote confundentis Othryadis stratagema cum Leonidæ. Cùm namque de Thyreà agro inter Spartanos & Argiuos controuersia esset, ita prælio conuenerat inter vtrosque populos, vt lis ea armatis vtrimq; trecentis prælio decerneretur. Otryades Spartanorum dux erat, suisq; cæsis ipse vulneratus interque cadauera neglectus, hastæ fragmentis innixus, occisorum Argiuorum scuta collegit, erexitq; Ioui Tropæum, quod proprio sanguine inscripsit suisq; ea ratione agrum asseruit, vt in Parallelis Plutarchus narrat.

17. L. Cornelium Scipionem Cos. de Pœnis, Sardinia, & Corsica triumphasse an. v. c. cdxcv. in Capitolinos triumphos relatum est, de Pœnis quidem, quia Annibalem à C. Duilio prius victum & nunc hoc anno classe Punica in Sardiniam reuectum ex improuiso circumsedit, classemq; eius cœpit. Annibal domum reuersus ob rem toties malè gestam in crucem sublatus est. Anno eius successor, fortissimo pro Olbia Sardiniæ vrbe pugnans, à Scipione quoque victus & occisus est. De Sardinia, ob Carallin (ita enim apud probatos auctores nomen habet) Sardiniæ nobilissimam vrbem ab ipso expugnatam triumphasse; Corsicos etiam vtcumq; armis fuisse edomitos ipse triumphus ostendit, etsi scriptores, quid à Cornelio in Corsica gestum sit, diserte non referant.

18. 19. M. Atilius Regulus, L. Manl. Vulso Coss. an. v. c. cdxci. parabant, vt bellum in Africam transferrent: Pœni id pro viribus impedire conati prælium ineunt ducibus Annone & Amilcare: victoria naualis penes Rom. fuit, qui reparatis etiam quas ceperant nauibus,

ad

ad Mercurij promontorium (quod in Africa est) inde Aspidem Græcis, Latinis Clypeam dictam, quæ à littore prima est, veniunt, eaque in deditionem accepta, in agrum Carthaginien. impetum faciunt, cætera Florus prosequitur. Bigrada autem fluuius Africæ inter Vticam & Carthag. in mare labitur de portentosæ istæ magnitudinis serpente Gellius libr. 6. cap. 8. Valer. de Miraculis Plin. lib. 8. cap. 14. cxx. pedum longitudinis fuisse, pellemque eius & maxillas vsq; ad bellum Numantinum, hoc est, 115. annis Romæ in templo durasse testatur, eamque balistis tormentisque, vt oppidum aliquod, expugnatam.

20. Carthag. vtcunque cladibus fracti viderentur, tamen acerbiores Reguli pacis conditiones repudiarunt, acciueruntque externum duce Xantippum Spartanum, cuius militari peritia, & sua elatione confidentiaque victi sunt Rom. qui dum crebra victoria insolescerent, Græculum hominem vt imbellem contempserunt, quæ temeritas ipsis cladem attulit, quam ab elephantis acceptam esse Polyb. auctor est: eam tamen Frontin. peritiæ Xantippi in instruenda acie libr. 3. Stratagem. asscribit. Appianus confidentiam Attilij accusat, dum æstuoso die grauibus armis, siti æstuq; confectum exercitum, varieque fatigatum & iniquissimo loco in hostem ducit; atque ex triginta millibus quibus præerat, paucos clypeam euasisse, reliquos cæsos, aut cum duce captos fuisse: auctores in captorum, & cæsorum, & fuga elapsorum numero fere omnes variant. Etrur. numerum habet præ cæteris amplissimum. Xantippus victoria potitus, mox in Græciam prudenter cogitabat, ne apud Carthaginenses barbaros sese æmulationi aut inuidiæ obiceret: ipse donis & muneribus benigne à Carthaginensibus ad suspicionem dimouendam habitus, Punica fraude, quæ gloriam eius belli ad se trahebat, in mari dum naui gat, oppressus & submersus esse creditur, teste Appiano in Lybico.

21. Pœni à Metello Coss. ad Panormum victi, Regulum iam quadriennio captiuum Romam de pace aut de captiuis commutandis vna cum suis legatis miserunt, ille vtrumque in Senatu dissuasit, & Carth. redijt, etsi ad crudelissimum hostem & exquisita supplicia proficisci sese non ignorabat; tamen iusiurandum, quo se reuersurum astrinxerat, nisi vtrumque impetraret, conseruandum putabat. Latius ista Eutrop. Oros. Gell. libr. 6. cap. 4.

cap. 4. Valer. lib. 1. Cicero Officior. itidem Horat. Carm. lib 3. & alij.

22. De supplicio Reguli variant script. Cicer. in Pisoniana, Regulum in machina relegatum scribit, & resectis Palpebris in vigilando enecatum : eam machinam Appianus caueam vocat stimulis intus exstantibus, necubi se sine corporis laceratione proclinare posset. Tubero apud Gel. l. 6. aliud & inauditum tradit, talionemque nobilissimus Pœnorum captiuis repensum esse à Reguli liberis, eosq; in armario muricibus præfixo inclusos, insomniaque excruciatos interijsse. Flor. crucis supplicio enecatum, cæteri omnes insomnia, etsi alio atque alio cruciatus genere tradant, laudatur constanter ab omnibus Reguli in aduersis animi fortitudo, in patriam pietas vitæ prodiga, & hosti ad internecionem vsque fides seruata.

23. Post deiectum in Africa Regulum, & sæuissima aliquot naufragia, Romani à mari abstinebant: Pœni ex ea occasione spem recuperandæ Siciliæ capiunt, Asdrubalemq; cum exercitu in insulam mittunt, qui cum C. Furium Metelli collegam cum media parte copiarum Romam esse reuersum ex transfugis didicisset, mouit versus Panormum, vt Metellum opprimeret: ille vt hosti confidentiam confirmaret, iutra mœnia continuit exercitum, atque traijcientem flumen adortus, elephantisque, quos in R. impulerat, vulneribus telisque irritatis, atque in hostium agmen conuersis, belluarum impetu perturbat aciem Pœnorum, turbatosq; ex obliquo inuadit, & magno prælio vincit: duxit enim in triumphum XIII. duces hostium, & CXX. elephantos, quibus Eutropius X. elephantos, Plin. XXII. addit. at Orosius XV. noster Florus XX. ab ea summa deducit. Pro consule triumphasse L. Cæcilium Metellum de Pœnis VII. Idus Septembris, anno DII. Triumphi Capitolini testantur, quo præterea consilio elephantes in Italiam Metellus traiecerit, docet lib. 1 Front. cap. 7. & Plin lib. 8.

24. P. Claudius Pulcher Ap. Cæci filius consul in Siciliam anno V. C. DIV. vt exercitui præesset missus, cum Drepanum vbi Adherbal erat, ad eum opprimendum confidentius nauigaret, cum eodem occurrente congressus, vix cum XXX. nauibus fuga elapsus, XCIII. naues ab hostibus captæ sunt, estque a Romano populo condemnatus, eo quod ipsius temeritate cladem acceptam esse satis constaret. Sed Valerius lib. 8. non fuisse damnatum, quia

quia imbris superuenientis beneficio, populi comitia dissoluta sunt, auctor est, etsi Cicero & Polybius ab eo dissentiant, non vixisse autem Clau. Pulchrum ab hac clade vltra biennium constat Vel ex petulanti voce eiusdem sororis, quæ à spectaculo ludorum reuersa cum à confluente hominum multitudine & turba premeretur optauerit fratrem suum viuere, & iterum classem ducere, vt scilicet vrbem à tanta turba exhauriret, cuius petulantiæ causa, ipsi ab ædilibus pl. multa dicta est xx. M. æris, teste Gellio, Suetonio.

25. Per iocum Deos irridebat, teste Cicerone, P. Claudius: cùm enim cauea libertati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam iussit vt biberent, quando esse nollent: superatusque nauali prælio, cum Dictatorem dicere à Senatu iuberentur, velut iterum illudens discrimini publico, Glicíam viatorem suum dixit, vltima fortis hominem, vt habet Suetonius & Epitoma Liuij. L. Iunius Bullus P. Claudij collega tempestate classem amisit, cùm auspicijs etiam non paruisset, itaq; necem sibi ipse conscíuit, teste Cicerone. Romani tot naufragijs afflicti per quinquennium, mari abstinuerunt. Classis Punica insequentibus post Claudium annis, Italiæ oram infestauit, eamque longè lateq; vastauit.

26. M. Fabium Buteonem, qui consul fuit, cum C. Atilio Bulbo, an. dviii. nauali prælio viciſſe Pœnos, nullum quidem præter Florum auctorem habeo. Ægimurus vero insula est in mari Africano, quæ sinum a mari claudit, in quo sita est Carthago xxx. M. fere passuum ab vrbe, teste Liuio lib. 30.

27. Regulo capto, & exercitu Romanorum à Pœnis cæso, duce Xantippo, Æmilius Paullus & Fuluius Nobilior consules anno cdxcviii. in Africam cum cc. nauium classe nauigare iussi, Clupeam petunt. Eo Carthaginienses cum pari classe confestim occurrunt: nauale prælium, quod differri non poterat, committitur, in quo Romani superiores sunt, cv. Carthaginiensium naues demerguntur, xxx. cum pugnatoribus capiunt, triginta quinque millia militum cæsa sunt. Post autem cum Romana classis ad Italiam prædis onusta remearet, deformi naufragio eiecta est, nam ex trecentis nauibus ccxx. perierunt; ixxx. vix abiectis oneribus liberatæ sunt. Consules vtrique pro Cos. de Carthaginensibus & Pœnis triumphasse, anno v. c. cdxcix. Triumphi Capitolini testantur, ita vt calamitas ista Cos. quo minus victoriæ honorem meritum

adepti

adepti sint, impedimenti fuisse non videatur. Cossura autem insula in mari Africo sita est.

28. Anno D. Consules, Cneus Seruilius Cæpio, C. Sempronius Blæsus clx. nauibus in Africam traiecerunt, vniuersam oram maritimam, quæ circa Syrtes est, depopulati sunt; ignari autem locorum in Syrtium vada breuiaque impulsi, onera abijcere omnia vt naues subleuarent coacti: cum retro in Siciliam, atq; ex Sicilia in Italiam redirent: coorta tempestate centum quinquaginta naues onerarias & prædam amiserunt. Triumphasse tantum Consulem Sempronium Blæsum de Pœnis anno D. testantur Capitolinæ Tabulæ.

29. C. Lutatius Consul anno DXI. reparata classe, aduersus Pœnos ineunte vere missus est, ipsiq; adiutor datus est Q. Valerius Falto, quia collegam ipsius A. Postumium Albinum, flaminem Martialem Metellus Pontifex Max. in vrbe tenuit, nec passus est ipsum ad bellum proficisci, ne à Sacris recederet. Itaq; hoc anno primum duo prætores creati sunt; alter vrbanus iuris dicendi, alter qui rei gerendæ causa Consuli adesset, C. Lutatius Catulus rebus aduersus Pœnos à pluribus ducibus prospere gestis, summam victoriæ sua celeritate imposuit, eo quod prospero die, hoc est, vi. Idus Martias, quam hostem vidisset, classem ipsius grauem commeatibus, suo apparatu & instrumento impeditam, oppressierit. Carthaginenses ea clade victi fractiq;, coacti sunt XXIV. anno, postquam bellum istud primum Punicum cœptum est, pacis conditiones accipere; factique sunt Pœni P. R. vectigales & stipendiarij. Leges autem pacis teste Polybio tales latæ sunt. *Pœni Sicilia & omnibus insulis quæ inter Italiam & Africam sunt excedunto duo millia & ducenta talenta Euboica* (Euboicum talentum, vt nunc pecuniæ ratio est, quadringentorum coronatorum erat) *in annos XX. pedunto, in præsens mille Captiuos Romanos sine pretio reddunto. Vtriusq; populi socij apud vtrumque populum tuti sunto. Alterius socios neuter in amicitiam recipito, neuter in alieno imperio imperato, neue milites conducito.* Liuius libro vigesimo primo ait, Pœnos Sicilia & Sardinia hac in pace cessisse; quod tamen paullo post infirmare videtur, dum scribit, Sardiniam inter motum Africæ, (quem mercenarij milites ob stipendia non soluta in Africa mouerant) fraude Romanorum, stipendio etiam super-

impo-

impositò interceptam, quod etiam Polybius testatur, idque factum esse obseruo, anno DXVIII. imperatore T. Manlio Torquato consule, Orosius auctoribus Pœnis Sardiniam rebellasse, mox à Romanis subactam, pacemque supplicibus datam refert. Facta itaq; prima P. Romani prouincia est Sardinia an. DXX. Consule M. Pomponio Mathone de Sardis triumphante; nam Sicilia etiam si hoc tempore à Pop. Romano administrari in formam prouinciæ cœperit, tamen illa non est vniuersa redacta in prouinciæ formam ante Marcelli victoriam captis Syracusis secundo bello Punico anno DXLII. teste Velleio: sunt etiam Corsi subacti à Pop. Romano imperatore C. Papirio Masone, qui primus in monte Albano, quia à Senatu non impetrasset, triumphauit, anno DXXII. atque deinceps ab vno prætore vtraque prouincia & Sardinia & Corsica administrata est; ter autem de Sardis triumphatum esse Capitolini triumphi auctores sunt. Cætera quæ de prouincijs istis recensenda erant, & vt iterum armis Romanorum recuperata sint post bellum Punicum secundum, suo loco prosequemur.

ARGVMENTVM CAP. III. LIB. II.

Ianus clausus mouentibus Gallis iterum patefactus est, & Ligures latrocinijs omnia infestantes tandem edomiti sunt.

COMMENTARIVS.

Numa Pompilio regnante Ianum Geminum belli pacisque indicem clausum fuisse primum omnes consentiunt; iterumq; pace terra mariq; parta post Punicum bellum primum, Q. Atilio Bulbo, & T. Manlio Coss. anno v. c. DXVIII. clausum fuisse testantur Plutarch. in Numa, Liuius lib. I. Velleius Oros. & alij. Orosius toto anno clausum fuisse Ianum, D. Augusti ætatem solum vnam, Varro quidem libro 4. de lingua latina eodem anno & clausum & patefactum fuisse. Ligures longo & difficili bello post centesimum & vicesimum secundum annum, in prouinciæ formam redactos demum esse, ex triumphis Capitolinis colligitur, de ijs quindecies trium-

triumphatum esse, primum autem egisse. Cons. Cornelium Lentulum anno dxvi. postremum egisse Aimilium Scaurum Consulem anno dcxxxviii. belli causam Ligustinorum latrocinia excitarunt, quibus Etruriam populi Romani prouinciam infestabant.

1.2.3.4. Ligures trans Alpes ad Rhodanum vsque, occupasse olim Galliam Narbonensem itidem, vt à Varro, qui Galliæ & Italiæ terminus erat, ad Arnum Italiam constat, quare impedite admodum noster & obscurè de bello Ligustino tradidit, dum scribit bellatum cum Liguribus, qui in Italia inter Varum & Macram flumen habitabant, quo loco Ingauni & Intemelij ab aliis censentur, vtpote qui maritima à Nicæa ad vada Sabatia habitarunt: quando paulò post, dum enumerat Ligustinos bello subactos, eos quoque cum istis confundit, qui trans Alpes vltra Varum partim mediterranea, partim maritima in Gallia Narbonensi habebant; Deceates enim ad Vari ostia, Oxybij istis orientaliores, ad oram Gallici maris habitabant: estq; ibidem portus Oxybius à vicina eiusdem nominis gente dictus, Strab. libr. 4. Euburiates autem Plinius citra Alpes in Liguria nominat, nam quod Salyes siue Saluios hic etiam aliquot exemplaria recensent, mendum esse credibile est. Saluios enim bello Allobrico & primos trans Alpes arma Rom. expertos, & tunc primum in ditionem à C. Sextio Caluino redactos, Florus lib. 3. cap. 2. Strabo lib. 4. testantur. Epitoma addit, victa Saluiorum gente C. Sextium coloniam Aquas Sextias condidisse, triumphasse autem constat de Saluijs an. dcxxxi.

5. Æquè impeditum hoc est de Fuluio atque præcedentia, nec enim satis liquet quisnam Fuluiorum, de quo loquitur, fuerit. Varij enim Fuluij cum Liguribus bella gesserunt. Proprior est coniectura, (est enim deuinandum, quia rerum cum Ligustinis gestarum historia apud nostrum Florum impeditissima est, & ab alijs scriptoribus diuersa.) Q. Fuluium Flaccum fuisse de quo loquitur, qui anno dlxxiv. Consul de Liguribus triumphauerit; etiam si triumphum magis gratiæ, quam rerum gestarum magnitudini datum fuisse Liuius testetur: tamen ipsum per deuios saltus, per inuios montes, impeditas valles cum exercitu transgressum, acie hostem vicisse, castris exsuisse, ex collibus in campestrem agrum deduxisse, præsidiaque montibus imposuisse idem auctor est. Apuanos etiam Ligures, qui ad Macram flumen

habitabant, in deditionem acceptos, ad septem millia hominum in naues impositа praeter oram Etrusci maris Neapolim transmisit, indeq; agrum ipsis inter populares in Samnio dedit. Victos etiam fuisse à Fulvio Nobiliore Alpinos & Velates in Capitolinis Triumphis exstat, Veleates autem inter Cisalpinos Ligures numerat Plin.

6. Cn. & M. Bæbios Tamphilos fratres cum Liguribus rem gessisse in consulatu, quorum iste collegam Corn. Cethegum anno DLXXIII. ille anno superiore Aimilium Paullum habuerit. ex priscorum monumentis colligo, & M. de Liguribus triumphasse. Apuanos autem Ligures Cornelius & M. Bæbios victos, & in deditionem acceptos, e montibus in campestres egros cogunt, traductosq; ex Liguria in Samnium (eo consilio ne latebras & inuios saltus ad rebellionem repeterent,) quadraginta millia liberorum capitum cum feminis puerisque publico sumtu, in agrum Tauraninorum, quem de Samnitibus Romani ceperant, collocarunt, vocatiq; sunt à ducibus, Ligures Bæbiani & Corneliani, qui in hoc Samnitium tractu, à Plinio recensentur, quare de hoc Bæbio loqui Florum verisimile est. Cn. namque Bæbium ad comitia Romam reuersum, cum L. Aimilius interea cum Liguribus Ingaunis prospere dimicauerit, testatur Liuius, & Aimilium de ijsdem triumphasse, Capitolinæ tabulæ produnt anno DLXXII. l. 3. c. 11.

8. Postumium hunc collegam intelligit Calpurnij Pisonis, qui vitricus fuit Fulvio Flacco: quiq; Pisoni in magistratu mortuo successit, an. DLXXIII. etsi tres fuisse Consules. L. A. SP. Postumios, qui bellum Liguſtinum sortiti fuerint; tamen Liuius de isto diserte refert quæ ad Flori relationem conueniunt, cum ita inquit; *Ab A. Postumio Montanorum Ligurum vineæ cæsæ sunt, frumenta deusta, donec cladibus omnibus belli coacti ad deditionem venerunt, armaq; tradiderunt.*

ARGVMENTVM CAP. IV.
LIB. II.

CIsalpini Galli sociatis cum Transalpina gente armis bellum pop. Ro. mouent, sed postquam prælio altero victi sunt, tertio M. Claudius Marcellus opima etiam spolia de Virdumaro Gessatarum rege, tertia retulit.

COM-

COMMENTARIVS.

Cisalpini Galli, Boij & Insubres, cùm lege Flaminia latum esset de agro Piceno & Gallico, vnde Senones pulsi erant, viritim dividendo, suis etiam rebus ab iniuria proximi metuere incipiebant: quare Boij Senonibus vicini, cum Insubribus ineunt societatem; & euocant etiam Gallos eos qui trans Alpes ad Rhodanum accolebant quos Gessatas à mercede qua conducti militabant, Polybius vocat: alij à Gessa telo, quo in bello vtebantur, dictos esse malunt. Reges eorum Congolitanus & Aneroestus magnis inuitati pecunijs cum ingentibus copijs per Alpes in Italiam transeunt, atq; cum se Boijs & Insubribus Transalpini coniunxissent, ipsi tunc peditum quinquaginta millia, equitum viginti millia exercitum adducentes in Etruriam irrumpunt, L. Aimilio Papo, C. Atilio Regulo Cos. anno dxxviii.

1. Insubres Galli ab oriente Cænomanis (qui hoc bello quieuerunt) proximi erant, atque inter Ollium & Ticinum flumina, Alpes & Padum habitabant. Coluerunt autem hæc oppida Cremonam, Bergomum, Mediolanum, Ticinum, Acerras, Nouariam. Boij ab ortu Senonibus, teste Polybio, ad Rubiconem flumen ab occasu Liguribus Cispadanis ad Trebeiam amnem proximi erant, sed à meridie Apennino, à Septemtrione Pado includebatur.

2. Aimilio Papo, & Atilio Regulo Coss. Italiam nuntio Gallici tumultus allato solam, sine externis auxilijs, equitum lxxx. millia, peditum dcc. millia armasse Plinius auctor est: ad hæc etiam Polybius eundem numerum, sociorum Italicorum exercitu nuncupato conficit. Aimilius cum parte copiarum Ariminum ad arcendos à transitu Gallos profectus, prætorem ad Præsulas acie victum & circumsessum liberat Gallos inde cum præda in Etruriam abeuntes, à tergo Aimilius, à fronte Atilius ex Sardinia reuocatus adorti: ita ad Telamonem, Etruriæ maritimam vrbem, pugnarunt, vt Gallorum xl. millia occiderint, x. millia cum Congolitano rege ceperint. Aneroestus semetipsum in fuga interemit; Consul Atilius in prælio occisus est. Aimilius vasto Boiorum agro Romam triumphans rediit, ac Capitolium armis & torquibus Gallorum exornauit: ita fere Polybius Zonaras addit θώρακα ipsis, cum risus acerbitate, lib. 3.

vt exſuerent in Capitolio Aimilium iuſſiſſe: Britomarū ducis nomen, cuius hic Florus meminit, apud alios non legi, vt nec ſequentis Aſtrionici.

3. C. Flaminius & P. Furius Coſſ. anno dxxx. inauſpicato creatos fuiſſe, ob prodigia quæ apparuerant, augures conſulti renunciauerant: quare ab exercitu ſubitò litteris à Senatu reuocatus Flaminius, eas acceptas non priùs aperuit, quàm collatis ſignis Barbaros iuxta Aduæ fluminis ripam fudiſſet: in ea pugna octo millia Gallorum cæſa, XVII. millia capta ſunt. Viciſſe autem Flaminium Gallos maxima Tribunorum militum in acie inſtruenda prudentia, qua illorum primum impetum ardoremque fatigauerint. Polybius deſcribit: ægrè triumphum impetraſſe à Senatu Plutarchus auctor eſt, quia ex ipſa acie dijs atque hominibus eum reuocantibus non paruiſſet. Capitolini triumphi auctores, eum Conſulem hoc anno triumphaſſe VI. Idus Martias teſtantur.

Lib. 2. in Marcel.

4. Pacem petebant Inſubres fracti faſſiq; frequentiſſima clade, ſed à Coſſ. M. Claudio Marcello, & Cn. Cornelio Scipione in ipſos anno dxxxi. mouentibus, ad arma inuiti compelluntur. Coſſ. Acerras ipſorum oppidum, Inſubres Claſtidium Romanorum obſidebant; (erat enim Claſtidium ad Padum, quantum obſeruaui, modò Ligurum, aliquando Inſubrum oppidum) Marcellus eò ad ſocios obſidione liberandos cum equitatu profectus, cùm in Geſſatarum obuium exercitum incidiſſet; eum, rege ipſorum Virdumaro (cuius ſpolia Feretrio Ioui vouerat) interfecto, fudit fugauitq; Marcellus deinde Acerras cepit, cum ij, qui Acerris præſidio fuerant, Mediolanum, quod Inſubrum caput erat, confugiſſent Cn. Cornelius ipſos prælio fudit, & Mediolanum expugnauit. Inſubres deſperatis iam rebus ſuis ſe Romanis dediderunt. M. Claudius Marcellus conſul de Gallis Inſubribus & Germanis (quod in Capitol. Tabulis eſt, pro ijs; quos apud Polybium Geſſata legimus) triumphauit, iſque ſpolia opima retulit de duce hoſtium Virdumaro ad Claſtidium interfecto, anno dxxxi. Kal. Mart. quod & Epitoma xx. & Virg. lib. 6. Æn. Frontinus lib. 4. Plut. in Mar. teſtantur. Bellatum itaque cum Inſubribus colligitur triennium. Boiorum gentem biennio priùs deuictam fuiſſe Q. Fuluio T. Manlio Coss. an. dxxix. Polybius auctor eſt, atque ijs Col. primum exercitus Romanos trans Iadum ductos Epitoma xx. & Oroſius ſcribunt.

AR-

ARGVMENTVM CAP. V. LIB. II.

ILlyrici Italicos mercatores prædati sunt, legati qui res repetitum veniebant, Teutâ regina iussit securi percussi sunt. Fuluius Centumalus eam iniuriam armis vlciscitur.

COMMENTARIVS.

Nondum deprehendere potui, quos annales secutus fuerit Florus noster, quod Illyricum bellum Gallico Cisalpino posterius faciat, neglecta serie & ordine temporum: cum Illyricis enim bellum initium est anno v. c. d. xxiv. Cum namque Phœnicem Epiri emporium Illyrij, per vim occupassent, mercatores Italicos commerciorum causa eo nauigantes, etiam Illyrij iam, prædationibus adsueti, deprædati sunt, legatosque, qui res repetitum veniebant, iniuria affecerunt: dum namque Teuta Illyriorum regina superbe cum legatis ageret, superbiusq; alter respondisset, iussu reginæ retractus ex itinere, occisus est: ea de causa Romani classe comparata ad vlciscendam legati necem Fuluium Centumalum miserunt, qui Corcyram, quam Demetrius ab Illyrijs captam regebat, recepit. Inde Apolloniam in potestatem redegit; secuti sunt & Dyrrachini hanc victoriam, atque alij etiam populi sese Romanis tradiderunt. Teuta tot aduersis fracta pacem à populo R. ijs conditionibus impetrauit, vt quotannis tributum penderet, ac Illyrio fere omni excederet, neque ei extra Lissum vrbem nisi cum duobus inermibus lembis nauigare liceret: ita fere Polybius hanc historiam prosequitur: variat ab eo Appianus in Illyrico: sed Zonaras ab vtriusq; discedit.

1. Teuta vidua erat Agronis regis Illyriorum, nouerca Pineos filij Agronis.

2. P. Iunium, & T. Corumcanios legatos à Teuta interfectos, & ipsis à Populo Romano statuas esse positas, (quod tribui solebat iniuria cæsis) testis est Plinius lib. 34. cap. 6.

3. Cn. Fuluio Centumalo, qui prioris anni dxxiv. Consul cum Postumio Albino fuerat, imperium aduersus Illyrios fuisse prorogatum in hunc annum, & pro Consule de Illyrijs triumphasse, ex Eutropio & Orosio, &

Triumphorum tabulis manifestum est. Iterum Illirij cum rebellassent anno v.c.dxxxiv. ab Aimilio Paullo & M. Liuio Coss. edomiti sunt. Demetrius enim Pharius Illyriorum rex, oblitus beneficiorum populi Romani, Illyrica oppida Romanis subiecta vastabat, & fines fœdere designatos transcendebat: aduersus quem Aimilius consul missus Dimalium vrbem præsidio firmatam intra vii. dies expugnat. Demetrium in Pharum, insulæ Phariæ vrbem, cum 6000. veteranorum contendentem Aimilius infestus prosequitur, oppidumque capit. Demetrio prius fuga ad Philippum Macedonum regem elapso, Illyrium reliquum occupat Aimilius, Pineoque Teutæ priuigno Agronisque filio stipendium vt daret impetrauit, ita Polybius, & Iustinus.

ARGVMENTVM CAP. VI.
Lib. II.

Annibal XVII. annis in visceribus Italiæ hæret, Populum Romanum multis cladibus frangit: ipse Scipionis virtute coactus pro sua patria pugnare, in Africam reuersus, magno prœlio à Scipione debellatur.

COMMENTARIVS.

Annibal Amilcaris filius in odium Romanorum sacramento, ex patris auctoritate, à nono ætatis suæ anno obstrictus, iam agens xxvi. & ab exercitu suo imperator salutatus, deleta Sagunto, fœdera Fœnorum cum Rom. victa violat: ipse superato Pyrenæo per Gallias & Alpes in Italiam degressus, Scipionem consulem equestri prœlio ad Ticinum fluuium superat; quem vulneratum, filius admodum adolescens, (quique postea ab Africa deuicta Africani cognomen inueniet) ne in manus hostium
dxxxvi. veniret protexit. Iterum calliditate Annibalis ad Trebesam flumen, Ti. Sempronius collega Scipionis, torpentibus præ rigore sub Brumæ tempus Romanis, acie rumpitur. Tertiam cladem, ad Trasimenum in agro Perusino
dxxxvii. lacum, Consul Flaminius accepit, cum ab Annibale iam lusco, veluti indagine, captus esset, vna cum exercitu cæsus est. (Quartam & maximam) Varronis consulis temeritate, Annibalis insidijs & vafricie, ad cannas pertulit, quæ luctum & vltimum diem Romanis attulisset, si Annibal victoria vti sciuisset. Eneruatus inde Campanorum mollitie Annibalis exercitus, & Q. Fabij Dictato-

datoris cunctatione fractus, Populo Roman. spatium respirandi & sese colligendi dedit : fatigatus deinceps frequenti impetu Marcelli, supplementis etiam, quæ ab Africa Asdrubale fratre Annibalis in Italiam mittebantur. à Salinatore & Nerone Coss. vna cum Asdrubale ad Senogalliam deletis. Scipio inde in Africam bellum transfert. Asdrubalis & Syphacis castra incendio vna nocte delet, cæsa aut flammis consumpta sunt quadraginta hostium millia, Syphacem per Massaniam & Lælium capit: inde perculsi Carthaginienses, cogunt per legatos Annibalem mœstum & dolentem ex Italia in Africam exercitum transportare. Scipio cum Annibale prœlio congressus, cum acie fundit fugatque, & Carthaginiensibus leges pacis imponit.

1. Recte satis putat quatuor fere annos quieuisse Romanum, à tempore scilicet quo Iani porta secundum clausa est, Manlio Torquato & Atilio Bulbo Coss. anno dxvii. etsi interea cum Sardis & Corsis sit bellatum: alioqui si supputemus à primo vsque ad secundum Punicum bellum, erunt anni intermedij viginti tres.

2. Primum Punicum bellum cepit anno cdlxxxiix. pax Pœnis data est anno dxii. sunt itaque anni intermedij xxiv.

3. Initum est hoc bellum, P. Cornelio Scipione, Tib. Sempronio Longo Coss. anno dxxxv. finitum debellato in Africa Annibale, & pace Carthaginiensibus supplicibus data, Cn Cornelio Lentulo, P. Ælio Pœto Coss. anno DLII. sunt itaque anni intermedij in hoc secundo bello Punico septemdecim, nec amplius.

4. Hocad leges pacis, à Romanis primo bello Punico latæ, referendum est : quas ita fere Polybius refert: *Pœni Sicilia & omnibus insulis quæ inter Italiam & Africam sunt excedunto, duo millia & ducenta talenta in annos XX. pendunto, in præsens mille &c.* Liuius itidem. Pœni nauali ad Ægates clade accepta, Sicilia & Sardinia cessere, & se vectigales ac stipendiarios fieri passi sunt.

5. Vltimum cum Asdrubale Amilcaris genero Pœnorumq; duce fœdus Romani in Hispania percusserant, ne Pœni armari Iberum Hispaniæ flumen traijcerent, neue Saguntinos Populi R. socios, qui vltra Iberum habitabant, vexarent, teste Polybio, quo fœdere violando Annibal, satis magnam causam ad lacessendos Romanos

sese habiturum opinabatur. Saguntus vrbs Hispaniæ Tarraconensis, à Zacynthis condita distabat à mari Balearico septem stadiis, vt Polybius & Liuius numerant.

6. Octauo mense quàm cœptum oppugnari, captum Saguntum: Liuius, Polyb. τέλος ἐν ὀκτὼ μησὶ καὶ ὰ κρατῆσε τὴν πόλιν.

7. Quinto capto Annibal Carthaginem nouam in hiberna concessit, vere adulto à Carthagine profectus, quinto mense in Italiam venit, Alpibus sub Vergiliarum occultationem superatis.

8. Prætextatum vocat filium Scipionis, ob ætatem, quia prætextam nondum deposuerat, vt virilem togam sumere posset: erat enim vix XVII. annorum teste Polybio, cum patrem ab hostis impetu protegeret: at prætexta XVII. anno exacto coram prætore vrbano deponebatur, vt virilem togam ipsis gestare, & in legionibus nomen profiteri per leges liceret.

9. Aquila exigua quædam est sacelli effigies, teste Dione, in qua est aquila aurea collocata: constituitur autem in omnibus legionibus Romanis, neque priùs hibernaculis effertur, quam vniuersus exercitus egrediatur eam aquilâ hastæ impositam vnus quidem vir portat, cuius hastæ infima pars præacuta est, vt terræ infigi posset.

10. *In torrente Gello* suspicatur legendum Cuspinianus ex Valerio Max. Cuius de crudelitate verba sunt: *Eorum dux Annibal, cuius maiore ex parte virtus sauitia constabat, in flumine Gello corporibus Romanis ponte facto exercitum traduxit, &c.* Cor. etiam Lentulus apud Appianum Carthaginiensibus dum pacem supplices petijssent, obijcit; quod captiuos Romanorum in fossas fluuiosq; conieciissent, vt vsum pontium præberent.

11. Primordia annulorum Carthaginem ab Annibale esse missa Plinius testatur, atque hinc promiscuum tunc fuisse annulorum vsum colligit: alioquin cum annuli distinguerent ordinem Equestrem à plebeio; ingentem oporteret fuisse equitum numerum, si annuli ipsorum digitis detracti tantam mensuram explerent: sed Liuius: *Fama*, inquit, *tenuit, qua propior vero est, haud plus fuisse modio.*

12. Hoc ita Cato in Originib. refert. *Igitur Dictatorem Carthaginensium Magister equitum monuit*

Mitte

Mitte mecum Romam equitatum, die quinto in Capitolio tibi cœnana coacta erit: eadem ferè Cælius apud Gell. Plutarchus Barcam in Fabio vocat; quia hic, & apud Liuium est Maharbal. sententiam eius ita Plutarch. ex Liuio vertit: οὐ νικᾶν οἶδας, νικᾶν δὲ χρῆσθαι οὐκ οἶδας.

13. In militiæ Romanorum iure obseruatum est: ne in legione alios quàm ingenuos, nec eos xvii. annis minores, vel xlv. maiores conscriberent: si quid contra fieret, hoc in dubijs Reip rebus, vt necessitati imperanti obediretur, accidit. Libertinos, hoc est, eos qui manumissi erant, militasse primum bello Samnitico & Etrusco obseruauimus; sed hoc bello Punico, seruitia nouo exemplo à dominis suis esse redemta, vt centuriarentur & armarentur. Liuium & cæteros auctores habeo.

14. Tributum triplex fuisse apud Romanos inuenio; Vnum quod in capita collatum fuit, quo onere ex æquali diuites & pauperes premebantur, vsque ad censum Serui Tullij regis. Alterum inde ex ratione census est collatum, hoc est, pro cuiusque facultate & opibus; ita vt ab hac collatione liberarentur, rei familiaris angustia impediti. Tertium fuit temerarium; eum priuatæ opes sine discrimine in publicum ob periculi magnitudinem sponte conferebantur; vt quod hoc tempore Læuino & Marcello Coss. à Senatu inde Equestri & mox plebeio ordine certatim collatum est: quod tamen à scribis in Tabulas Ærarij ideo referebatur, vt locupletato ærario, pecuniæ suæ cuique redderentur: quod post bellum Punicum tribus æquis pensionibus factum est.

15. Tribus prærogatiua, Veturia Iuniorum, Consulem T. Manlium Torquatum anno dxliv. declarabat, qui vicio oculorum sese excusauit, & vt meminisset bellum Punicum in Italia, hostiumque ducem Annibalem esse. Tanti viri auctoritate mora Iuniorum Centuria, petijt Veturiam Seniorum à Consule citari; quos postquam in Ouili (erat is locus septus in Comitijs, in quem transibant per pontem, qui suffragij sui tabellam in cistas demisissent,) consuluissent: M. Claudium Marcellum, & M. Valerium Læuinum vt bello clarissimos; neque petentes tamen Consules renuntiarunt: auctoritatemque prærogatiuæ omnes centuriæ, secutæ sunt. Antea etiam anno dxxxix. prærogatiua Iuniorum Consules rei gerendæ imperitos designauerat, sed reuocata Fabij Maximi

auctoritate, mutauit sententiam, creauitque Consules M. Marcellum III. Q. Fabium Maximum IV.

16. C. Flaminio Consule ad Trasimenum, magna cum Romanorum clade cæso, itidem quatuor millibus equitum, qui à Seruilio Consule per C. Centenium pro prætorem ad collegam Flaminium missa erat, per Annibalem in Vmbria circumuentis: in magna vrbis consternatione ad Dictatorem dicendum confugiebatur, sed absente Cos. Seruilio, (erat enim solius Consulis, & in agro Romano: dicere Dictatorem:) nec ad illum, propter Italiam armis Punicis vndique causam erat expeditum vel literas vel nuntium mittere, nec Dictatorem Pop. Rom. creare posset, quod nunquam ante eum diem factum erat, Prodictatorem Pop. Rom. creauit Q. Fabium Maximum: qui cum Annibale castra conferens, nec congrediens: eius impetum mora & cunctatione senescentem, infregit, quem cæteri hactenus & deinceps aliquot alij temeritate & audacia sua superiorem fecerant.

17. Nolam Campaniæ vrbem sese plebis proditione, etiamsi à Marcello prætore præsidio teneretur, occupaturum Annibal pertinaciter sperauerat: sed re per Senatum Nolanum ad Marcellum delata, spes Annibalis irrita fuit. Annibal enim cum Marcello congressus, victus, & tunc primum à Romanis intra quinquennium semper victor, fugatus est. Cæsa sunt hostium quinque millia, Romanorum quingenti: docuitque hac pugna Marcellus Anpibalem vinci posse, quod & Ciceronis Brutus ita testatur. *Post Cannensem illam calamitatem primum Marcelli ad Nolam prœlio populus se Romanus erexit posteaque prospera res deinceps multa secuta sunt, &c.* Marcellus itaque Annibalem spe Nolæ potiundæ venientem post biennium vicit, victoriæque confessionem hosti expressit, dum ille altero die ad prœlium prouocatus sese in castris continuerit, & Tarentum spe potiundæ vrbis per proditionem profectus sit.

18. Cannensi clade fracti Romani veterа hostiũ spolia templis detrahunt, porticibusque octo millia seruitiorum validiorumque iuuenum publicæ emta armant: sciscitantes prius vellentne militare? illi velle se dixerunt, indę Volones deinceps vocati sunt: ipsi duce Ti. Gracchо proconsule ad Beneuentum contra Annonem

Pœno-

Pœnorum ducem bene pugnauerunt: quorum egregiam operam vt remuneraret, publicam fidem quam ante prœlium, si strenue se gererent, stipulatus erat liberauit, & Volones liberos esse iussit.

19. Sicilia Hieronymi regis (qui Hieroni successor erat) cæde turbata, ad Pœnos inclinabat: quare Marcellus Consul II. Syracusas, iam a pop. Ro. ab alienatas, missus oppugnauit, eiusque omnem impetum Archimedis Mathematici industria, triennio fere toto remota est: expugnatæ enim sunt Syracusæ anno v. c. DXII. oppugnari cœptæ DXXXIX.

20. Tib. Sempronio Graccho quidquam hoc Punico bello in Sardinia Imperij fuisse, haud facile inuenias, cum neque prætura functus sit, & prætores hoc fere tempore solum in eam Prouinciam (erat enim in prouinciæ formam ante hoc bellum annis quatuordecim redacta, per M. Mathonem Consulem) mittebantur: nam hunc Gracchum in Ædilitate Magistrum equitum à M. Iunio Pera Dictatore dictum fuisse Liuius testatur; inde mox Consulem designatum an. DXXXVIII. iterumque post biennium cum Q. Fabio Maximo consulatum cepisse; & semper illi bellum cum Annibale in Italia, idque in Lucania, mandatum fuisse, quousque proconsul ipse anno DXLI. hospitis Lucani sui fraude, insidijs circumuentus, à Magone Pœno interfectus est. Sed Consularis facta est, propter belli magnitudinem, Sardinia an. DLXVI. hoc est annis XII. post huius belli initium; eamque tunc sortitus est Sempronius Gracchus Consul, huius, de quo diximus, nepos; deque ijs proconsulem Gracchū triumphasse testantur Triumphi Capitolini tantumque captiuorum Romam deportasse, vt in prouerbium abierit Sardi venales. Quod si rem tanto interuallo gestam cum hoc Punico bello confundit, intolerabilis est ἀνισορροπία. Verum isto, quo cum Annibale bellatum est tempore, rē bene gestam aduersus Pœnos & Sardos in Sardinia à T. Manlio prætore, qui Q. Mucio Scæuulæ valetudinario successor datus est, Liuius testatur: vt qui captos à Manlio Asdrubalem, Magonem, Annonem Pœnorum: Hasdrubalem & Hostum Sardorum duces cælos esse scripserit. Insanorum etiam montium Liuius meminit; quæ Ptolem. μαινόμενα ὄρη libro secundo Geograph. vocat.

21 Cn. Scipio, sub primum Annibalis ab Alpibus descensum, pro Consule in Hispaniam missus. Annonem egregiè vicit, militumque qui cum Annibale in Italiam profecti

profecti erant impedimenta cariſſima à Romanis diripiebantur. Inde Aſdrubalem toto eis Iberum agro cedere cogit, Punicam claſſem ad oſtia Iberi fluminis ſtantem capit, & toto eius oræ mari potitur. Dehinc Scipio frater eius poſt conſulatum prorogato imperio in Hiſpaniam mittitur, coniunctis itaque in viribus hoſtem mouent: Aceducis artificio obſides Hiſpanorum, qui Saguntí cuſtodiebantur, Ro. traditi ſunt, & domum ad deuinciendos hoc beneficio Hiſpanorum animos benigne ab ipſis remiſſi. Altero an. Scipiones cum Adrubale (qui vt in Italiam deſcenderet, ac ſe cum fratre Annibale cõiungeret, ad Iberum copias traduxit) collatis ſignis bene pugnauerunt, caſtra hoſtium diripiunt, reliquæ Hiſpaniæ ciuitates Rom. hoc tam felici prælio adiunctæ ſunt, ita vt Aſdrubali vix tuto manendi in Hiſpania ſpes relicta fuerit. Caſtulonem inde recipiunt; ad Mundam, etiamſi Cn. Scipio tragula in femore victoriam impediret, egregie pugnant. Saguntum etiam Punico præſidio inde pulſo à Romanis recipitur ac reſtituitur: inde verſæ tam lætæ res in luctum. Scipiones à Celtiberis mercenarijs deſerti propè cum totis exercitibus cæſi ſunt. Cn. Scipio vndeuiceſimo die quam frater Scipio cæſus eſſet, in turri, quam hoſtes igne circumdederant, cremarus eſt, ſexto quàm in Hiſpaniam venerant anno, amiſſaque Hiſpaniæ poſſeſſio foret, niſi L. Marcij equitis Ro. virtute & fortitudine contractis exercituum reliquijs, eiuſdem hortatu bina caſtra hoſtium expugnata, & ad triginta millia hoſtium cæſa eſſent anno v.c. dxli. Cum vero reliqui omnes poſt tantas clades acceptas, poſt duos Scipiones interfectos Hiſpaniæ imperium oblatum recuſarent: P. Scipio, P. Scipionis qui interierat filius, quique tunc annum xxiv. natus eſſet, profeſſus eſt ſe petere. Centuriæ omnes P. Scipioni imperium in Hiſpania proconſulare eſſe iuſſerunt, quo profectus eſt anno DXLII. Reuerſus eſt Romam exactis ab Hiſpania Pœnis, anno DXLVII. neque victor triumphauit, quia ad eũ diem nemini triumphus datus erat, qui ſine magiſtratu rem geſſiſſet: quibus enim exordinarium imperium, quale hoc fuit, Curiatis comitijs mandabatur, ſine magiſtratu erant, qua de cauſſa etiam M. Marcello de Syracuſis à Senatu negatus eſt triumphus?

22. Pyrenæi montes Hiſpaniam à Gallia ab ortu diſterminant, Oceano Cantabrico & Aquitanico à Septemtrione, ab occaſu alluitur occidentali Oceano & Freto Hercu-

Herculeo; ab Africa hinc Calpe, istinc Abyla promontorijs, quæ columnæ Herculis vocantur, disiungitur cætera littora Mediterraneo mari, partim Iberico; partim Balearico abluuntur.

23. Campani parum memores societatis & beneficij Populi Romani, quo armis ad Samnitium iniuria ante CXXVIJ. annos vindicati erant Virio auctore legatis ab Annibale missis fœdus cum eodem percutiunt, & capuę ipsum recipiunt, idque eodem anno, quo cannensi clade Romani premebantur, eam vsque adeo insignem iniuriam & perfiduciam Populus R. tanta pertinacia, vt vlciscerętur, exarsit: vt Annibalem spe auertendæ per metum aut necessitatem, quod per vim non poterat, à capua obsidionis, Romam properantem; & ad tertium lapidem supra Amenem castra metantem, alter Proconsul Q. Fuluius Flaccus ad prohibendam obsidione patriam XV. M. peditibus, M. equitibus secutus sit: alter Appius à capua cum exercitu non discesserit. Annibal etiamsi cum II. M. equitum, vt vrbis situm exploraret, obequitasset, & per triduum vtrimque acies in procinctu starent; imbribus & cœlesti ira à prœlio diremtæ; ipse Annibal ab vrbe repullus, capua deserta in Lucanos & Bruttios contendit. Campani iam desperationi imminentes sese dediderunt, posteaquam ipsorum principes veneno se necassent. Cum Senatus campanorum ad palum ligatus securi percutiendus esset, litteraſque à Senatu Romano missas (quibus iubebatur vt parceretur conatui campano.) Q. Fuluius recepisset, etsi de clementia Senatus conscius esset, tamen eas in sinu posuit, & lege agi iussit, hoc est, in eos animaduerti, antequam regeret. Capua, ob perfidiæ & defectionis culpam, in Præfecturæ formam redacta est, hoc est, vt ius & magistratum quotannis a Præfecto, qui cum legibus à Prætore R. præscriptis mittebatur, acciperet: itidem vt vectigalis & stipendiaria esset.

24. C. Claudium Nero, Annibalem tumultuarijs aliquot prælijs in Lucania à Grumento profligatum, canusium in Apuliam nunquam eius vestigiis absistens prosequebatur; atque ibidem ex interceptis quæ ad Annibalem à fratre suo Asdrubale mittebantur litteris, quibus se in Vmbriam occurturum fratri suo Annibali esse significabat: metuens Nero, ne Liuius collega eius solus par esse possit Asdrubali venienti, VI. M. peditum, M. equitum robustissimorum de toto exercitu legit, cum

quibus

quibus totam ab Aufido flumine vsque ad Metaurum Vmbriæ longitudinem Italiæ sexto die emensus, auxilio Salinatori Liuio accurrit : nihil quieti datum, altero enim die Asdrubalis copias ipsumque ducem ad Senam maritimam Vmbriæ concidunt Cæsa hostium quinquaginta sex millia, capta quinque millia, redditaque Annibali clades Cannensi æqualis, & ducis & exercitus interitu. Metaurus cruentus Punico cruore, vt Aufidus Romano. Sena Vmbrorum ; nobilitata clade Pœnorum, non aliter quam Apulorum Cannæ erant calamitate Romana. Nero eadem nocte, eademque celeritate ad Annibalem, eiusdem errore hactenus feliciter vsus, dum ipsum à castris hactenus, quæ suis aduersa erant, non sensérat abfuisse, properat, & sexto die reuertitur.

25. M. Liuius Drusus antequam in Italiam Annibal descenderet, consul cum Aimilio Paullo de Illyriis triumphauerat, populique iudicio ob Illyricam prædam iniquè diuisam condemnatus, in exsilium abijt, ignominiæ contumelia squaloreque efferatus : sed octauo fere anno post damnationem reductus est in Vrbem à M. Marcello & M. Læuino cos. Ipse iterum consul omnium suffragio cum Nerone creatus est, & Asdrubalem Neronis auxilio debellauit. Censor quoque post biennium cum eodem Nerone quatuor & triginta tribus, hoc est, præter Metiam omnes, ærarias reliquit. Censoria nota erat, qua ipsas leuitatis & inconstantiæ notabat, quod innocentem ipsum condemnassent, condemnatum, consulem & censorem creassent : neque infitiari possent, aut iudicio semel, aut comitijs bis ab se peccatum esse : & vt se de plebe vlciscerentur, ex Salaria annona vectigal constituit ; vnde Salinatori nomen factum est. Inter Liuium & Neronem eius collegam cum odia priuata essent, ea deprecantibus Senatoribus Reipublicæ condonarunt, & in gratiam redierunt. dxlvi: Liu.29.

26. Syphax rex Maiæsylorum, quæ gens est Mauris vicina, opulentissimus erat : cum Scipionem, qui ab Hispania in Africam nauigarat, sua in Regia hospitaliter & benigne excepisset, amicitiæ fœdera & contra Pœnos consilia cum Scipione iniuerat. Eam societatem & tantam virium accessionem, vt à Romanis diuelleret Asdrubal, Syphacis animum Sophonisba filia in matrimonium ei data, amore scilicet & complexu adolescentulę, occu-

occupat : ita vt ille hoc libidinis ardore, & Asdrubalis instigatione dementatus, amicitiæ Scipionis, antequam in Africam appelleret, per legatos renuntiaret. Cuius perfidiæ magnas mox pœnas dedit: castris enim & exercitu vna nocte incendio deletis, bis acie fusus, ipse captus, & Sophonisba adamata orbatus, Romam, inde Albam in exsilium relegatus, & à Scipione in triumpho ductus est, teste Polybio, quem alij tamen morte ante triumphum Tibure esse præoccupatum auctores sunt. Contra Massinisa Massyliorum rex à Syphace regno exturbatus erat: exsul itaque & profugus, tamen à Scipione receptus, fidem egregie coluit: quare à Romanis rex salutatus, & amplissimo Syphacis regno donatus est. Regum totius Africæ maximus & potentissimus, vixit ad nonagesimum ætatis annum, florens opibus gloria, & dignitate: tanta est seruasse fidem, aut ad felicem inclinasse parientem.

27. Pœnis deuictis à Scipione, cui lege Curiata pacis conditiones & ex x. legatorum sententia paciscendæ cũ Pœnis permissæ erant, pacem istis legibus fecerunt: vt Pœni liberi viuerent suis legibus, quas vrbes, quosque agros, quibusue finibus ante hoc bellum tenuissent tenerent: perfugans, fugitiuos, captiuos omnes, & i. stratas naues præter x. triremes traderent, elephantosque quos haberent domitos, neque domarent alios: bellum neque in Africa neque extra Africam iniussu populi Romani gererent. Massiniſæ res redderent, fœdusque cum eo ferirent: decem millia talentum argenti descripta pensionibus æquis in an. 50. soluerent: obsides centum arbitratu Scipionis darent. Liuius, Appianus, &c.

ARGVMENTVM CAP. VII.
LIB. II.

Bellum Macedonicum.

PHilippus Macedoniæ rex cum Annibale in Italia magnis populi R. cladibus grassante, fœdera sociauerat, & hinc belli causſa, quam etiam Athenienſium preces augent. Lauius prætor, Attalus rex, & Rhodij socij Graciam occupant, regemque profligant. Flamininus consul summam bello imponit, victumque

regem

regem ad pacis leges compellit, Nabin Spartanorum tyrannum impotentius sese efferentem composcit. Græciæ libertate donat.

COMMENTARIVS.

Philippus Demetrij filius Macedoniæ rex (quî huic bello nomen fecit Philippicum & Macedonicum) cum Annibale, post Cannensem calamitatem animo ad Pœnos inclinato, fœdus & societatem belli per legatos cõtra P. R. sanxerat. Romani, interceptis legatis & litteris, de hoc fœdere edocti, vt Philippum ab Italia iacerent, in Macedoniam Valer. Læuino prætori imperium mandant: is Apolloniam & Oricum à Macedonibus obsessas liberat, Philippumque regem in regnum suum retro abire coegit, an. dxxxix Læuinus deinde cum Ætolis, cum Attalo, Pergameno, Pleurato, & Scerdilaido Illyriorum regibus societatem aduersus Philippum confirmat Coss. declaratus, in Vrbem reuocatur ann. dxlı. huic succesor mittitur. Sulpicius Galba proconsul, qui aduersus Philippum & Achæos rẽ bene gerit: quousque & huius successor. P. Sempronius proconsul inter Ætolos eorumque socios & Philippum pacem fecit anno dxlix. Romani autem Africo bello leuati, infensique iterum Philippo ob infidam cum Ætolis cæteris que Græciæ socijs pacẽ, tum quia nuper auxilia in Africam Annibali Pœnisque submiserat, & Athenienses de eiusdem iniuria conquesti, calamitate sua commiserationem commouerant, bellum cum Philippo omnes centuriæ iusserunt, Sulpitio Galba, & Aurelio Cotta coss. anno dlıı.

1. Fœderis & societatis istius leges ita Liuius lib. 43. recitat: *Philippus ducentarum nauium classe in Italiam traijceret vastaret oram maritimam, bellum pro parte sua terra marique gereret vbi debellatum esset, Italia omnis cum ipsa vrbe Roma Carthaginiensium atque Annibalis esset prædaque omnis Annibali cederet: perdomita Italia nauigarent in Græciam, bellumque cum quibus regibus placeret, gererent: quæ ciuitates continentis, quæ insulæ ad Macedoniam vergunt, eæ Philippi regnique eius essent.*

2. Valerio Læuino Prætori contra Philippum in Græciam

iam imperium mandatum esse, consuli nunquam, ex Liuio & cæteris constat: nisi pro *Lauino, Sulpicio consule* scribas, ἀνισοροσία erit: ille enim cum Philippo bis, sed tumultuarijs pugnis congressus est, cæteraque quæ hic referuntur, gessit: & in eiusdem prætoriæ nauis puppe lauream natam scribit Liuius lib. 41.

3. Pilum telum missile est, quod longitudine triũ pedum crassitudine digitali lignum habebat, ferro armatum dodrantali, eoque sensim attenuato & acuminato, vt prima statim offensione necessario flecteretur: aliqui emissum semel ab hostibus remitti posset, anceps vtrisque telum futurum. γρόφομον autem siue pilum armatum fuisse ferro dodrantali, quadrisuico, & à medio in cuspidem desinente, Polybius lib. 6. testatur, & veteres picturæ, itidem Liuius li. 31. in descriptione Falaricæ. Fuit que hoc telum γροφόμαχοις siue, vt Linius vertit, velitibus proprium. Erat & aliud pili genus, quod quidam Verutum vocant, cuius hastile longum pedes fere quatuor seminis, eiusdem longitudinis spiculum ex ferro erat vtrimque hamatum, estque hastile illius vel teres, vel quadrilaterum; istud, latus vnum palmi latitudine, illud teres diametrum palmi crassitudine habebat: hoc telum hastatis & Principibus ascribit Polybius vt hastam triarijs.

4. Chaonia Epiri regio est, quæ à meridie Ceraunijs montibus clauditur, cuius populi postea Molossi dicti sunt: ab occasu Ionio mari, ab ortu Pindo monte, amne & vrbe clauditur, à septemtrione Macedonia, à meridie Ceraunijs montibus, & Thesprotijs populis.

5. Cynoscephali, quæ nomen hoc à situ & figura canini capitis inuenierunt, impedita sunt multorum tumulorum iuga æquali spatio distantia, teste Plut. in Flaminino, iuxta Scotussam Pelasgiæ regionis in Thessalia vrbem. Polybius lib. 17. & Liuius 43.

6. Euboea est maris Ægæi insula, quæ Euripo, mari irrequieto, æstuosoque à Bœotia dirimitur.

7. Nabis tyrannus Spartanorum societate Philippi regis adiutus, Argos occupauerat, præsidioque tenebat: hoc, vt Quinctius Flamininus inde detraheret, Argosque liberaret, in Laconiam mouit: itaque tyrannum ab alienis tutandis, dum domi periclitaretur, auertit. Gythæo enim deditione capto, coegit Nabim ad leges pacis, & Argis cedere, & Lacedæmonia ipsi relicta contentum esse.

3. Nemea vrbis est & silua Argiæ in Peloponeso, in qua tertio quoque anno Nemeæ ludos Græci, ob leonē in ea silua ab Hercule occisum, Ioui celebrare solebant, hoc in solenni totius Græciæ conuentu Quinctius Flamininus, postquam Nabidem ad pacis leges coegerat, Argosque liberauerat, à Demetriade Chalcide & Acrocorintho præsidiis Romanorum deductis eas quoque per præconem pronuntiare iussit esse liberas, vti antea Isthmiorum ludorum frequentia, qui in Isthmo Neptuni gratia celebrabantur quinto quoque anno Græciæ libertatem dederat, ibi audita voce præconis de libertate Græciæ ex Senatus auctoritate pronuntiantis tantum cum clamore plausum fuisse exortum, testatur in Flaminino Plutarchus, vt corui fortuito superuolantes in stadium deciderent, idque vel tanta vocum collisione aerem quo se suspendunt alites dissipante, vel contorquente velut attonitos & vertiginosos corruisse.

9. Populus Romanus vt cum Annibale pro Saguntinis, ita cum Philippo pro Athenienſibus bellum gessit. Philippo deuicto libertas Græciæ nec opinanti data est. Pacis Philippo datæ leges fuerunt: vt Macedoniæ regno contentus Græcia tota cederet: t lenta mille penderet naues nisi x. haberet, Demetrium filium obsidem daret; vt Nabis Armenem, cuius victoriæ causa T. Quinctius Flamininus pro cons. per triduum triumphauit anno dl. xi. obsideque duxit ante currum duos, alterum regis, alterum tyranni.

ARGVMENTVM CAP. VIII. LIB. II.

Syriacum siue Antiochinum bellum.

Antiochus Ætolorum adulatione & Annibalis societate inflatus, bellum mouet populo R. sed rex ignauia atque voluptatibus diffluens, & vno atque altero prælio fractus, ferocem ponit animum, & pacis leges accipit.

COMMENTARIVS.

Antiochus Syriæ rex Seleuci Calliicini filius, ob deuictas aliquot Syriæ gentes, cognomēto magnus; Thoantis Æto-

Ætolorum legati adulatione & promissorum vanorum elatione. Nabidis Lacedæmoniorum tyranni societate Annibalis terrore Romanos debellaturus, in Europam bellum mouebat Chalcidem Eubœæ profectus, & ibidem amore virginis, hospitis suæ filiæ captus nuptias celebrat, se suosque lasciuia eademque luxuria eneruat: oblitus quantas simul duas susceperisset, bellum scilicet cum Romanis & Græciam liberandam: è Thermopylis, quas insederat, non solum natura loci tutis, sed & præsidio & muro obseptis, Acilij Glabrionis coss. virtute deturbatur, profligatur, Ephesumque in Asiam ab Europa expellitur. L. Cor. Scipio coss. cui legatus ibat frater Africanus, in Asiam profectus, Antiochum fratre absente, qui Eleæ ægrotabat, Eumene Pergami rege adiuuante, cum arcus hostium amentaque pluuia essent laxata, apud Sipylum montem ad Magnesiam acie vicit, ac bellum confecit, & ipse ab Asia deuicta Asiaticus in triumpho dictus est.

1. Xerxes Darij Hystaspis filius, patre in apparatu belli moriente, intra quadriennium conscribit, vt in Græciam moueret exercitum numero & fide maiorē: quinquagies enim & bis centena octoginta tria millia militum censa fuisse Herodotus libro septimo testatur: auget relationem, quòd flumina ipsis prandentibus epota, quòd mare sex millium omnis generis nauium classe quasi constratum, & à superbo rege tamquam à Neptuno suo flagris, quia tumultuosius turbaretur, cæsum, Asiam Europæ ponte ad Hellespontum fuisse coniunctam, Athon montem perfossum, vt compendiosius per ipsum nauigaretur. Græci scriptores in sua scripta retulerint: tantas copias remorata est exigua Spartanorum manus ad Thermopylas duce Leonida, classis ad Salaminem insulam deuicta & depressa consilio & prudentia Themistoclis, ita vt rex tam elati animi, mox vt perditis rebus vna Scapha à trepide per Hellespontum elapsus in Asiam fugerit Mardonius Xerxis Imperator ad edomandam & male multandam Græciam cum exercitu relictis, iuxta Plateas Bœotiæ à Paulania & Aristide acie fusus est, & terror ille Persarum è Græc. propulsus. Xerxes ob aduersum prœlium & totidem clades contemptior, domi ab Artabano auunculo occiditur. Diodor. lib xi. numerum militum modestius ad octies centena millia contrahit. itidem in Panathen, Isocr. ad septies centena millia. Mouisse in Græciam,

Xerxem, Sp. Cassio II. & Proclo Virginio coss. Diodor. lib. XI. scribit, fuit is annus v. c. cclxvij. sed Dionys. lib. 9. Kæs. Fabio, & Sp. Furio coss. anno cclxxii.

2. Darius Hystaspis filius, qui hinnitus equini prærogatiua rex Persarum designatus & inauguratus erat, (quē temporis & rerum gestarum comparationem secuti, Assuerum, cui Esther, vt in Biblijs est, nubit, multi opinantur) expeditionē decē millium in Græcos misit, Sardæis incendio ab ipsis deuastatas vlturus, Date & Atapherne ducibus, qui collatis cum Miltiade & x. millibus Athenienſium & mille Plateēnſium ſignis, ab ijſdem in cāpis Marathonis nobili ad omnem posteritatem victi sunt, 63 00. Persarum cæsa, reliqui fugati. Athenienſibus paruo impendio ingens victoria parta est, 192. tantum in acie desiderati sunt.

3. Annibal cum populo Carthaginienſi consul siue Sufes (ita enim illi summum magistratum vocant) creatus esset, multosque iudices peculatus argueret, vt qui vectigalia ciuium oneribus leuandis imperata, in suos vsus conuerterent, ab optimatum factione, vt se vlciscerentur, Annibali Romæ suspicio creatur: vt qui in pace res nouas, & cum Antiocho secreta belli consilia contra Romanos moliretur. Odijs itaque Romanorum, ciuiumque suorum factionibus & accusationibus tempestiue cedendum esse sentiens Annibal, in Asiam ad Antiochum, qui Ephesi erat, nauigat: à quo benignè exceptus & in honore habitus est, quousque iterum magna Annibalis cum populi Rom. legatis familiaritas, qui id studio agebant, nouam de se male suspicandi Antiocho eiusque purpuratis occasionem præberet: sed eam regis a se alienationem purgatione libera amouit, dum sibi cum Romanis odium vt esset perpetuum ab anno ætatis nono fuisse iureiurando à patre adactum asseuerat, Annibalis autem de hoc bello consilium, eum hoc quoque criminationibus purpuratorum corrumpitur: quod Antiocho si in Italiam mouisset, vbi fragiles erant Romani, forsan gloriosum fuisset; versum est ob regis molliciem & ducum suorum imperitiā in clades & calamitates. Antiochus bello fractus pacem petit. quare Annibal dum se à Rom. posci intelligit, ad Prusiam Bythiniæ regem fuga elabitur, à quo ipse poscentibus Romanis T. Flaminino proditus, venenū hausit, vt liberaret diuturna cura Pop. Romanum, cui graue erat expectare mortem senis: mortuus est Libyssæ in Bithynia

thynia anno ætatis suæ quinquagesimo nono, anno v.c. dlxv. quo anno & Scipio Africanus Literni quoque in exsilio obiisse putatur.

4. Lysimachia à Lysimacho Macedoniæ rege condita est in Isthmo Chersonensi Thraciæ xxx. fere annis ante aduentū Pyrrhi in Italiam: eam cū post Lysimachi mortem Thraces deleuissent, Antiochus iterum instaurat, coloniscque donat, oportuna & maritima vrbe vsurus ceu horreo in belli, quod cum Romanis destinabat, apparatibus.

Polyxenidas exsul Rhodius erat, classis Regiæ præfectus, qui ab Aimilio Regilloprætore ad Mioneſum Ionium promontorium nauali prœlio victus est, tredecim nauibus captis, xxviij. aut incensis aut depressis. Regillus post nauale victoriam Ephesum, quo se Regia classis subduxerat, profectus, directis ante portum nauibus, confessionem concessi maris vltimam hosti expressit. Sunt qui Annibalem quoque ei prœlio interfuisse referant, ab ijs Appianus in Syriacis dissentit.

5. Mæander Cariæ fluuius, multis adeo flexibus sinuosus, vt tortuosa & inuolutæ Mæandros à similitudine vocemus. Hic campis, per quos labitur, Mæandri nomen fecit: in ijs est mons Sipylus, qui à meridie Magnesiam habet distantem ab Epheso in ortum xvi. M. passuum, teste Plinio.

6. Pacis leges Antiocho ita datæ fuerunt, vt Europa abstineret, Asiaque omni, quæ cis Taurum montem est, decederet; pro impensis in bellum factis xv. M. talentorum Euboicorum daret, mille talentum per xij. annos penderet.

ARGVMENTVM CAP. IX.

LIB. II.

Ætoli gens inquieta & arrogans, deditione à Fulvio consule capta Ambracia, ad pacis leges coacta est.

COMMENTARIVS.

Ætoli cum populo Romano arma sociauerant bello Philippico, atque cum ibi parum honoratam militiam suam fuisse accusarent, ad Antiochum deficiunt quem

missoThoante multis promissis fœdereque percusso ad bellum sollicitauerunt: sed Antiocho victo & ipsi à Romanis perdomiti, coacti sunt imperata facere, M. Fuluio Nobiliore consule. Ætolia Græciæ pars, à septentrione Corace monte, à meridie Ionio sinu, ab ortu Locris Ozolis, ab occasu Acheloo fluuio distinguitur.

1. Cephallenia insula est maris Ionij, Epiro & Acarnaniæ opposita, abea Zacynthos in meridiem distat lx. stadijs De Ætolis & Cephallenia Fuluium triumphasse triumphi Capitolini testantur, anno dlxvi. inter Ceraunios Epiri montes, & Malæum lugum Laconiæ promontorium multæ passim iacent insulæ, quos hoc bello etiam populo Romano accessisse testatur.

ARGVMENTVM CAP. X. LIB. II.

Istri castra Manlij consulis diripiunt: commessabundi verò iterum à Romano exturbantur, & ab Appio Pulchro debellantur.

COMMENTARIVS.

Istris, quia maritimos populi Romani agros latrocinijs infestassent, bellum indictum est anno dlxxv. quo à M. Iunio Vullo sine Senatus consulto profectus, ad lacum Timauni fontis castris incursu Istrorum magna cum militum trepidatione exsutus est. Istri cum in Quæsitorio omnium rerum apparatum viderent expositum, sese magna securitate ad epulandum conuertunt: interim Romanus miles ex fuga collectus vino epulisque sopitos inuadit, ad viij. M. Istrorum in castris cæsa: Æpulo rex raptim à suis in equum impositus, Netactium fuga elapsus est, quem insecuti Manlius & Iunius consul oppidum vi capiunt: Rex ne viuus in hostium potestatem veniret, sese gladio traiecit. Istra inde duorum adhuc oppidorum excidio pacata est: ita fere Liuius lib. 51 ita vt antequam C. Claudius Pulcher consul in prouinciam cum imperio legitimo venisset bellum ab his consule confectum fuerit. Capitolini tamen triumphi cum Floro consentiunt, vtpote qui C. Claudium Pulchrum de Istris triumphasse testentur anno dlxxvi. Istria à Carnis sine occidente, oppido Tergeste, ab ortu Arsia amne, à septentrio-

temtrione Alpibus & lapudibus populis; meridiē claudit Adriaticus sinus. Iſtam prouinciam fuiſſe factam anno dcxxx. C. Sempronio Tuditano conſule, & cum Illyrico coniunctam, quouſque Auguſtus illam in decima regione relatam, Italiæ cum Carnis & Venetis, teſtibus Strabone & Plinio, coniunxerit, obſeruo.

ARGVMENTVM CAP. XI.
LIB. II.

CN. Manlius Vulſo in Gallos Aſiaticos, ob ſocietatem quam cum Antiocho iunxerant, mouit, & ipſos debellauit. Reguli Orgiagontis vxor à Centurione ſtuprum paſſa eſt, quod eiuſdem nece vlciſcitur.

COMMENTARIVS.

Cn. Manlius Vulſo ad ordinandam Aſiam eis Taurum miſſus, in Gallos Aſiaticos mouit ſine S. C. aut populi iuſſu. Toliſtobogij Galli in Olympum montem ſeſe & ſua ſubduxerunt, tamquam eius præruptæ altitudine aut aditus difficultate ſeſe contra Rom. defenſuri: ſed Manlius cum copijs in illos irruit, eoſque partim in præcipitia egit, partim occidit, & xl M. cepit. Tectoſagæ & Trocmi Magna montem petierunt: iple Manlius vt cum Regulis eorum paciſceretur veniens, ex inſidijs, niſi à ſuis protectus fuiſſet, opprimebatur, quare magna vi Gallos adortus viij M. ipſorum occidit, cæteroſque vltra Halym fluuium fugauit, Galloſque Aſiaticos in ſuam poteſtatem redegit: ipſum triumphaſſe Capitolini triumphi teſtantur, & Liuius.

1. Centurio qui cuſtodiæ captiuorum præerat, praua libidine exarſit in Chiomaram Ortiagontis Reguli captiuam vxorem, à quo ſtuprum paſſa, dum aurum, quod ſui redemtione afferebatur, centurio appenderet, à ſuis neceſſarijs (quibus hoc Chiomara Gallica lingua imperauerat) iugulatur, cadaueris caput præciſum marito in vltionem violatæ pudicitiæ attulit. Centurio hic proprium nomen non eſt, ſed ordinis ductorem, qui centum peditibus præerat, ſignificat, quibus fere captiuorum turba mandabatur cuſtodienda.

ARGVMENTVM CAP. XII.

LIB. II.

PErſes Macedoniæ rex Thracia ſibi ſociata contra Romanos mouet: victus à Paullo Æmilio, captuſque in triumpho ductus eſt.

COMMENTARIVS.

Perſes Philippi ex pellice Gnathænia filius, Demetrium, fratrem iuſta matrefamilias ortum, regnique ſucceſſorem, inuidia, calumnijs, & confictis criminationibus apud patrem perniciosè degrauatum, ex inſidijs & patris mandato, vt per Didam præniæ prætorem veneno interficeretur effecit. Philippus mœrore ob innoxij filij mortem ſenioque conſumptus, in apparatu belli contra Romanos moritur. Perſes regnum quod parricidio ſcelereque occupauerat, accipit, & quaſi hæreditarium ſibi cum P. Romano à patre bellum relictum eſſet, ita omnia conſilia ad eius apparatum & cauſſas conuertit, regeſque P. Romani ſocios inuadit, Abrupol in Sapeorum regulum regno expellit. Aretarum Illyriorum interfecit. Eumenem Pargamenorum regem Delphis grauiſſime per ſubmiſſos percuſſores affligit, Græciam contra Rom. ad arma ſollicitat. Legatos P. Rom. ad res repetendas miſſos, ſuperbe & contemtim exceptos, regni finibus intra triduum exire compellit, atque ijs de cauſſis ipſi bellum indictum eſt, quod à Perſe Perſicum, & Macedonicum ſecundum dictum eſt. P. Licinius Craſſus cos. contra regem profectus tertio & viceſimo anno ex quo petenti Philippo pax data erat: equeſtri prælio ad Sycurium Theſſaliæ iuxta Oſſam oppidum à Perſe victus eſt: pacem tamen petenti regi, niſi Senatus arbitrio ſeſe permitteret, negauit: iterumque cum rege in Phalannæo agro congreſſus meliore ſucceſſu pugnauit. Licinio Hoſtilius coſſ. ſucceſſit, ſub quo ſoluta eſt per licentiam militaris diſciplina; ſocios tamen cum fide coluit, & à Regis iniuria egregie defendit. Q. Marcius Philippus cos. Macedoniam per inuios ſaltus ingreſſus, regem nec inopinantem aduentu ſuo ita perterrefecit, vt præcipiti fuga omnes aditus reliquos, quos præſidio ſepſerat, nudauerit, aurique magnam

magnam vim Pellæ demergi iusserit, & classem Thessalonicæ incendi. Quartus in Macedoniam Cos. L. Paullus Aimilius venit, & ad Pidnam Pieriæ vrbem collatis signis III. Nonas Septembris Persem xx. M. peditum cæsis, equitatu cum rege fugiente, vicit, castris exsuit, atque Macedonum vrbes per deditionem accepit. Rex ab amicis desertus in Samothraciam templi religione sese defensurus fugit, sed à Cn. Octauio classis præfecto cum tribus filijs Philippo, Alexandro, (tertij nomen nusquam comperi) captus, & in triumphum ductus est. Hunc regem auaritia sua sociorum auxilia ab se dissociasse scribunt, crudelitate sua ab amicis desertum, indignumque maiestate tanti nominis ob seruilem & degenerem animum, & Demetrij fratris sui manibus seruitute & domus suæ calamitate parentasse, ipse enim Albæ squaloribus carceris & filij duo perierunt. Alexander quidem tertius filius, scriba magistratuum Romanorum fuit.

1. Æmus mons qui Thraciam à Mysia diuidit, tantæ altitudinis esse opinatur, vt ex eius summo vertice Adria versus occasum, Euxinus versus ortum cernatur: ita enim Pomp Mela lib. 2. & apud Strabonem libr. 7. Polybius testatur: quod ideo non posse fieri Strabo contendit, quia ingens terræ tractus & montosus visum abrumpit: bene quidem & recte Strabo: cum namque per Mædicam Thraciæ Philippus cum Perseo ad Æmum contenderit, vt ex conspectis locis de bello consultaret, quod Liuius libr. 40. narrat, non potuit longus esse prospectus: obstant enim versus Adriam Rhodope, Orbelus, Scardus montes altissimi & perpetui. At vt nihil sit quod visum impediat, cum Æmus centum Germanicis miliaribus ab Adriatico in ortum distet, non attollitur eius perpendiculum ad eam altitudinem quæ deuexitatem terreni globi tanto interuallo tribus miliaribus Germanicis cum sextante intumescentem, despiceret: siquidem Plin. Æmi altitudinem vt. M. passuum supputat. at in tanta specula opus erat XIII. M. passuum altitudine. Ista paulo latius sum hoc loco prosecutus, vt lector benignus intelligeret, multam veritatis lucem apud veteres ex auctoritate tradentium esse obscuratam, quæ Geometriæ beneficio illustretur, ita eadem erroris labe Aristoteles in Meteoris de Caucaso contaminatur; & Plinius de Cassio monte, & alij aliter. Quod ad hunc locum attinet, bene Florus consilium ab ipso Perseo institutum

tutum narrat, ab Æmo regni sui situm ideo fuisse speculatum, vt aditus obstrueret commodius Romanis propter inuios saltus & præruptos montes.

2. Maximum Lunæ deliquium, ea nocte quæ prælium præcessit, Sulpicius Gallus Tribunus militum explicata caussa, & condicta hora futurum prædixit, conuocata ex Paulli consulis permissu concione, vt ne Lunæ obscuratæ caligine exercitus consternaretur: accidit ea quarto Nonas Septemb. anno v.c. DLXXXVI. ante natum Christum clxiv. annis.

3. Samothrace contra Melanem sinum, insula est in mari Ægeo sita, à Samone Mercurij filio & Thracia vicina conflato nomine Samothracia dicitur; aut vt alij volunt à Samiis tyrannorum læuitiam fugientibus, ibiq; coloniam deducentibus ita vocata fuit, hæc tota sacra erat, & omnibus ius asyli aperiebat, exceptis ijs qui homicidio polluti erant.

ARGVMENTVM CAP. XIII. LIB. II.

Illyrij socij Macedonum à L. Anicio prætore vincuntur.

COMMENTARIVS.

Gentius Illyriorum rex Pleurati filius, trecentis talentis cum Perse societatem belli pepigerat: sed auaritia regis fidem, missis x talentis eluit. Romani ob hanc Gentij cum Perse pactionem, L. Anicium Gallum pro prætore in Illyricum exercitu mittunt, qui intra xxx. diem expugnata Scodra, capto Gentio cum coniuge & liberis, & fratre Caruantio bellum confecit, & de ijs triumphauit. Gentius & liberi & frater Spoletium ex Senatus consulto in custodiam ducti sunt, ita rex Gentius X. talentis acceptis in tam miserabilem fortunam prolapsus est.

ARGV-

ARGVMENTVM CAP. XIV. LIB. II

ANdriſcus qui ſeſe Perſei filium mentiebatur, Macedoniam occupat M. Iuuentium prætorem contra ſe miſſum cum exercitu occidit, idem à Metello prætore victus, totaq; Macedonia exactus eſt.

COMMENTARIVS.

Andriſcus infimæ ſortis homo, ob oris ſimilitudinem ſeſe Philippum vocauit. & Perſei regis ex pellice filium conſtanti aſſeueratione mentitus eſt, & eam ob cauſſam à Demetrio Syriæ rege, ad quem auxilij venerat, Romam miſſus, elapſus cuſtodia multis ad eam fabulam confluentibus, ipſe contracto exercitu totam Macedoniam aut deditione aut armis occupat. M. Iuuentium prætorem contra ſe miſſum vnà cum exercitu occidit: ea victoria elatus & Theſſaliam inuadit, à quo auxilio Achæorum per legatos Romanos eiectus eſt Inde Q. Metellus prætor contra Pſeudophilippū mouit eumq; cæſis xxv. M. militum fugauit, & Macedoniam recepit, conſectoque bello de Pſeudophilippo à Byzo Thraciæ regulo, ad quem confugerat, recepto triumphauit anno v. c. dc. l. atq; tunc Macedoniam in prouinciæ formam eſſe redactam cum Floro Iornandes etiam teſtatur, vectigalemque eſſe factam ex Piſoniana Ciceronis conſtat, idq; per circumlocutionem Florus ſatis eleganter, quia Macedoniam ſeruitute multare, idem eſt ac ſi diceret in prouinciæ formam redigere.

Annis poſt deuictum Pſeudophilippum quatuor, Pſeudoperſes, qui ſe Perſei filium eſſe ferebat, etiam in Macedonia collectis ſeruis rebellauit, cum xvii. millia armatorum haberet, à Cn. Trebellio Quæſtore Licinij Neruæ prætoris cum exercitu cæſus eſt. Trebellius Quæſtor. ibi ſcroiæ nomen inuenit: quia cum hortatus eſſet milites vt in hoſtes caſtris ſuis ob abſentiam prætoris audacius inſultantes erumperent, dixerit: celeriter ſe illos, vt ſcroia porcos diſiecturum. Varro libr. II. de re ruſtica.

ARGV-

ARGVMENTVM CAP. XIV. LIB. II.

Carthago triennio toto obsessa & varijs machinis oppugnata est: quarto demum anno à Scipione Aimiliano capitur & incenditur.

COMMENTARIVS.

Carthagini malè iam diu cogitanti, & quia contra Massanisam Numidiæ regem P. Romani socium violato fœdere arma sumserat, ad hæc quod naues plures quàm ex lege permissæ erant, & apparatu nimia etiam suspecta esset, bellum inciditur, instigantead eius excidium Catone: fœdus enim quod cum Massanisa percusserant ante 50. an. immisso in eius agro exercitu violarunt. Luxuriabant iterum Pœni opibus & potentia, vsi enim pace per 50. annos, & agrorum fertilitate, & maritimis commerciis in pristinam dignitatem conualuerant. Quare in vrbe opulenta, vt fit, ciues in factiones tres scindebantur, Romanam, quam Anno Magnus, Regiam Massanisæ studiosam Annibal Passer, Popularem Amilcar Sanus & Carthalo principes ciuitatis fouebant. Oborta de agro in regione Tyscæum Massanisa controuersia, Popularis factio Regiam eiecit xl ciuibus in exsilium pulsis, & iureiurando lancientes ne vnquam exsules reciperentur. Massanisa Gulussam filium Carthaginem legatum misit pro exsulum reditu impetrando cum vrbe exclusum immisso ex insidijs equitatu violarunt; qua iniuria irritatus Massanisa Horoscopam obsidet, tunc cum exercitum xxv. M. peditum & cccc. equitum, deficientibus etiam a se Asali & Suba ad Asdrubalem cum v. M equitum; fundit fugatque in tumulos; obsessum & pestilitate tabescentem sub iugum misit, & exsules recipere coegit, hac occasione vsus P. Rom. & Vtica sese per legatos dedente, exercitum cum duobus Cos. L. Marcio Censorino, & M. Manlio contra Carthaginienses miserunt, qui tanta calamitate & trepidatione oppressi per xxx. legatos pacem a Senatu & Cos. petiere, qui Carthaginiensibus arma tradere classemq; comburere imperant, mox illi ea iussa diligentissime facientes, protinus à mari procul passuum x. millibus migrare vrbe relicta iubent, ad tam acerba iussa incensi Carthaginienses ex despe-

desperatione & rei indignitate acuunt animos. Asdrubalem statim toti bello imperioq; præficiunt, & non ferrea solum & ænea arma, sed etiam ea deficiente argentea & aurea parant, Cos. ad vrbem mouent, sperantes sese infirmas, & imperatas Pœnorum vires, antequam conualescerent, oppressuros: sed is conatus, dum pro patria & salute sese acerrime defendunt, triennio irritus fuit, cætera Florus, & nos per partes acturi sumus.

1. Rectum consilium Nasicæ saluberrimumq; futurum erat P. Rom. si illud ab euentu sequentium æculorum ponderabimus: nam si æmula Romæ Carthago deleta excisaque non fuisset, non ita in otio & securitate diffluentes Rom. nos luxuria & Auaritia cum Asiaticis triumphis in vrbem inuectæ eneruassent, aut mores ad ambitionem leuitatemque inclinassent externo metu non amoto: neque ipsi tot domi ciuilibus bellis, tot factionibus se, suaq; viscera ferro proscriptionibusq; dilaniassent, neq; ina mole suis vitijs oppressa Pop. Rom. libertas, tandem vnius dominationi in perpetuum seruitura non erat.

2. L. Hostilium Mancinum hoc bello non fuisse consulem satis certum est, sed proximo anno post deuictam Carthaginem Annales Coss. & Plin. lib. xxxv. testantur: quia L. Mancinus primum cum exercitu Carthaginem irrupit, & pictam Carthaginem præliaque facta in foro cum triumphum Scipio Aimilius duceret, proposuit, proximis comitijs Coss. creatus est: quare hic aut *legato* aut *classis præfecto* scribendum est. legatus enim pro collega Sp. Postumio Albino datus est Calpurnio Pisoni Coss. & classis præfectus fuit, quousque eum Scipio Aimilianus Romam remisit.

3. Byrsa Græcis corium significat: nomen arci Punicæ ideo inde factum est, quod Dido, cùm à Tyro Pygmalionis regis tyrannidem fuga vitasset, & in Africam appulisset; tantum certa pecunia agri ab Iarba Getulæ rege compararat, quantum bouis tergore comprehenderetur, quæ sectio in corrigias tenuissimas tergore, tria fere millia passuum (ii Seruio Honorato credimus, complexa, & arcem Byrsam & Carthaginis initia condidit. Carthaginis situm Appianus in Libycis, & 17. libr. Strabo; nam apud Liu. lib. 26. desideratur, describit: sitam esse in peninsula, cuius ceruix in meridiem continenti Africæ trium fere millium latitudine adhæreat, in qua Byrsa & murus ille triplex, cetera Appianus, & 17. lib. Strabo.

4. Hic

4. Hic Scipio filius fuit Pauli Aimilij, qui de Perseo Macedonum rege triumphum duxit, adoptatus quidem in Scipionum familiam à P. Scipione Africani filio, vnde ipse Scipio appellatus est: adoptiuo enim adoptantis gentem & familiam secuta esse. P. Cornelij Scipionis istius nomen testatur, suaque gentis nomen nouo cognomini subiectum fuisse, & Aimilianum ab Aimilio dictum. Lege enim Curiata adoptiuus, eodem iure filius adoptantis fiebat, atque si eodem patre & matrefamilias ortus fuisset. Lex Curiata de adoptione vocabatur, quando Pontifices adoptionis caussa approbata, & deinde adoptio comitijs curiatis rogata, iubebatur. Quare Florus hic iuste istius Aimiliani auum lege adoptionis numerat patrem P. Scipionis illius, qui ipsum adoptauerat: atque Africanus minor ab Africa deuicta dictus est; ad discrimen Africanis Scipionis aui sui.

5. Dido, quæ Carthaginem condidisse scribitur, cùm ab Iarba Getulorum rege in matrimonium, ni pareret, bello etiam indicto sollicitaretur: ipsane Sichæo prætori marito dum moriendi fidem violare cogeretur, vitam sibi consciscens prius rogo, gladio finitur, ita Iustinus lib. XVIII.

6. Carthago condi cœpta à Phœnicibus ante conditam Romam annis Lxx. vt Appianus & Iustinus testantur: incendio deleta auspicijs Aimiliani an Vrbis conditæ DCXXVII. annis; itaque Carthaginis vniuersa fuit annorum DCLXXVII. paruisse ambitum XXIV. passuum millibus in Epitome numeratur. Hac victoria deinceps Africæ, quæ Carthaginiensibus paruerat, tributum impositum est, atque ipsa in prouinciæ formam redacta.

ARGVMENTVM CAP. XVI. LIB. II.

Achai rebellant, Corinthus incendio deleta est; quia ibidem Romanorum legati superbius appellati sunt.

COMMENTARIVS.

Achaia Peloponesi regio huic bello nomen fecit, prætenditur sinui Corinthiaco à septemtrione; ab ortu Sichonia & Corinthia, ab occasu Ionium mare, à meridie Arcadiam & Elidem habet. Caussa belli fuit, quod dum

dum legati Romanorum Corinthi Achæorum corpus dissoluere, singulasq; vrbes sui iuris facere ideo conantur, vt potentiam Achæorum, qua superbiebant, labefactarent, pulsati aut superbius appellati sunt; tum quod Achæi in Lacedæmonios Pop. R. socios coniuncta cum Bœotis & Chalcidensibus societate mouissent. Metellus prætor ex Macedonia deuicto Pseudophilippo, exercitum per Thessaliam in Bœotiam duxit, Critolaum Achæorum ducem ad Scharphiam acie fudit, quem alij voragine quadam haustum, alij veneno perijsse opinantur Metellus Thebas aggressus, eas cum Pythea ipsarum imperatore in potestatem redegit. Inde Megaram Alcamene Achæorum præfecto Corinthum profugiente dedentibus sese ciuibus occupat, & ad Isthmum venit; dumq; de pacis conditionibus agit, L. Mummius consul superueniens cum Diæo Achæorum duce collatis signis Achæos vincit, & in fugam conijcit. Diæus fugiens occisa prius vxore, veneno mortem sibi consciuit. Mummius patentibus portis ingressus Corinthum incendit, reliquorum mœnia, qui contra Romanos sese armauerant, diruit, atque ijs arma ademit. Ex sententia X. legatorum, qui Roma mittebantur, tributum Græciæ impositum est, & consilia sublata sunt: institutum autem, vt quotannis eo prætor mitteretur. Mummius consul de Achæis an. dcviii. triumphauit, & Achaicus dictus est. Ab eo tempore Græciam vna cum Epiro prouinciam esse factam Strabo & Pausanias testantur; appellatamque Achaiam non Græciam prouinciam, quòd Græci subacti sit, principatum Græciæ tenentibus Achæis.

1. Consul falsò scribitur, erat enim prætor tantum Metellus in Macedoniam missus, cui cognomen à deuicta Macedonia Macedonicum factum est. Metellum cum Achæis Bœotisque cum duobus prœlijs congressum, primo ad Thermopylas, altero in Phocæis vicisse auctores habeo Pausaniam & Eutropium in Elide quæ Peloponesi occidentalia litora claudit, aut ad Alpheum Elidis fluuium hoc bello pugnatum fuisse tantum Florus scribit.

2. Corinthus in faucibus Isthmi sita, portus habet ab ortu Cenchreas, ab occasu Lechæas, sinu hinc Corinthiaco, istinc Saronico clauditur Isthmi latitudo, qua veluti ceruice Peloponesus Græciæ adnæret, patet quinquè millia passuum, testibus Strabone & Diodoro hunc perfodere aliquot principes sunt aggressi, vt Peloponesum insu-

insulam facerent, sed nullo successu Corinthum L. Mummius post annos dcccclii. quam ab Alete Hippotis filio erat condita, funditus eruit, teste Paterculo.

3. Casu itaque mixtura Corinthij æris conflata est, cuius tria genera Plin lib. 34. recenset. Candidum, in quo argenti mixtura prævaluit, alterum in quo auri fulua natura, tertium ex tribus illis conflatum.

ARGVMENTVM CAP. XVII.
Lib. II.

Hispania ægrè per CC. annos edomita est, ea virtus populi illius, ea laborum tolerantia fuit.

COMMENTARIVS.

Hispaniam Europæ qua in occasum excurrit partem maximam, primus Amilcar Pœnorum dux latrocinio inuasit, inde Asdrubal eius gener per annos nouem, mox Annibal Amilcaris filius: & vt Hispania à Pœnis iam nimium in ea dominantibus liberaretur, duo Scipiones Cn. & Publius in eam secundo bello Punico missi sunt, qui magna victoria vsi, populique beneuolentia asseruerant Hispaniam à Pœnis, nisi vterque magna clade à ducibus Pœnorum oppressus fuisset, quæ latius cap. vi. prosecuti sumus, & qua virtute & fortitudine à P. Scipione ab Hispania Carthaginienses exacti sint; eaque victoria primam continentis prouinciam factam esse Hispaniam, Marcellinus lib. xxv Liuius, & Rufus, & alij tradiderunt: sed terminatam ordinatamque in duas prouincias anno dlix. apud Liuium libr. 42. inuenio in citeriorem siue Tarraconensem, & in vlteriorem, hoc est, Bæticam & Lusitaniam, & vt in eam duo prætores quotannis mitterentur, qui tunc primum ideo sex creari cœpti sunt. Atque anno proximo cùm belli moles vsq; adeo inualesceret, vt & consulari imperio & exercitu opus esset, consules auctoritate Senatus (in cuius potestate erat vel consulares vel prætorias decernere prouincias) sortiri vlteriorem Hispaniam iussi, eam M. Porcius Cato sortitus est, qui bellum ab Emporijs exorsus, totam citeriorem Hispaniam, quæ rebellauerat, pacauit: cccc. oppida ab eo capta esse Plutarchus tradidit, quod per nuntios calliditate Catonis & celeritate factum esse

esse Appianus testatur, qui singulis vt vno die muros suos singuli diruerent imperauerant, & dum obtemperant singuli, oppidorum cccc. mœnia diruta esse, antequam sentirent eam cladem ad vniuersos pertinuisse: hinc prætores Fuluius Nobilior de vlteriore Manlius Acidinus de citeriore Hispania: atque sequenti anno Calpurnius Piso & Quinctius Crispinus de vtraq; triumpharunt. Exstant etiam A. Terentij Varronis prætoris de Celtiberis ouatio apud Liuium. Inde Fuluij Flacci de citeriore, in qua XXIV. M. hominum fudisset, IV. M. cepisset, triumphus celebratur. Litum excipit Tib. Sempronius Gracchus prætor, quem Celtiberorum ccc. oppida ex Polybio Strabo libr. III. deleuisse scribit, & pro prætore de ijs ann. DLXXVII. triumphasse, ex triumphorum tabulis constat, condidisseque ipsum Gracchutim oppidum, quod antea Illurcis dicebatur, testatur Festus. L. Postumius Albinus eodem tempore de Vaccæis & Lusitanis triumphum egit. Inde post biennium de Celtiberia Ap. Claudius Centho ouationem, atque hinc XXV. annis fere in pace citeriorem Hispaniam mansisse inuenio. Interea cum Lusitanis vario euentu bellatum est, & grauiter Romani ab ipsis per arma vexati sunt, & cum Africano quodam duce socios P. Rom. inuasissent, Mamilium & Calpurnium Pisonem Romanorum duces fuderunt: Mummius horum successor re bene gesta, & cæsis XV. M. hostium triumphauit. Mummio Acilius Balbus, Balbo Sulpicius Galba temporum suorum eloquentissimus successit, quem tradunt Hispaniam vlteriorem ex prætura obtinentem XXX. Lusitanorum millibus contra fidem trucidatis Viriathini belli caussam extitisse. cetera Florus. Quod ad Celtiberos attinet, iterum contra Romanos belli caussas mouerunt, Q. Fuluio, T. Annio Coss. anno DC. quia Segida Arcuaccum oppidum muris munierant, ac tributa populo Romano pendere recusarant, contra quam legibus pacis cum Graccho pacti erant, atque res iterum gesta a consule Fuluio Nobiliore, qui bis parum feliciter cum ijs pugnauit: hoc bellum M. Marcellus consul excepit, omnesq; Celtiberiæ populos pacauit, & tributum ab ijs DC. talentorum, teste Strabone, exegit, & Cordubam condidit. Hunc secutus est Q. Metellus consul, cui in alterum annum prorogatum imperium est, res maximas gessit, & cum Contrebiam oppugnaret, pulsas præcipiti loco quinque cohortes legionarias, eodem protinus subire iussit; facientibusque

Suet. in Galba.

busque omnibus in procinctu testamenta, velut ad certam mortem eundum foret, non deterritus proposito perseuerantia ducis, quem moriturum miserat militem, victorem recepit. ita Velleius, Valerius, Frontinus, Metello Quintus Pompeius successit, de quo capite proximo Cetera Florus. & nos per partes prosequemur.

1. In Hispania mutuo multoque sanguine ita per ducentos annos certatum est, vt multis prætoribus, consularibus, imperatoribusq; exercitibus cæsis, sæpe etiam contumelia & periculum Romano imperio inferretur. Missi sunt in Hispaniam Cn. & P. Scipiones anno dxxxv. eaque demum subacta est imperante Augusto per Agrippam eius generum anno dccxxxv. Sunt itaque ducenti anni intermedij, vt Strab. Velleius, Dio, & alij numerant.

2. Vaccæi in Celtiberia populi sunt Areuaccis finitimi, à quibus Turduli veteres ad Durium flumen ab occasu habitabant. In Vaccæos sine Senatus consulto & nulla belli legitima caussa L. Licinius Lucullus consul mouit, sola auaritia rapiendi & ambitione vrgentibus, vt eum accusat Appianus. Caucæorum xx. M. contra deditionis stipulatæ fidem immissis in vrbem militibus trucidari iussit. Cùm sederet ad Intercatiam Vaccæorum oppidum, (nec enim illi Romanorum perfidiæ permittere sese volebant Caucæorum clade perterriti) barbarus quidam ad singulare certamen quemuis Romanorum prouocabat: prodijt Scipio Aimilianus tunc quidem tribunus militum, & barbarum confecit, nec enim Scipio opima referre potuit, vt Florus asseuerat: quia ea tantùm opima sunt spolia, quæ dux occiso à se hostium duci detrahit. Idem Scipio in oppugnatione Intercatiæ ingens periculum adijt: nam murum primus conscendit, sed Romani à ciuibus magna vi repulsi sunt, atque cum diu teneret obsidio, fatigatis vtrimque partibus, Scipionis Aimiliani fidem Intercacienses secuti sese dediderunt.

3. Decimo Bruto consuli Lusitania mandata erat, vt eam latrocinijs Viriathinorum vexatam ab iniuria defenderet: sed eos palantes, cum sese Brutus adipisci posse diffideret, arma ad singula ipsorum oppida circumferre decreuerat, quod se ita ad suorum defensionem attractos, facilius oppressurum speraret. Duria itaque flumine superato, in Gallæcos, qui Lusitaniæ littora à Duriæ ostijs & vltra Lethem, siue Limiam, siue obli-

quionis

Vionis flumen (hæc enim omnia eius nomina tradunt) ad Nerium siue Celticum promontorium habitabant, monit. Lx. millia Gallæcorum qui Lusitanis auxilio veniebant, cecidit, aspero sane & difficili bello, tum quia gens bellicosa etiam asperitate montium, quibus includitur, sese tutabatur, ingenti tamen vi hominum vrbiumque numero potitus est: vt non immerito huius rei causa Gallæcus à gentibus deuictis in triumpho dictus fuerit, anno, vt quidam DCXVII. vt alij dcxxi. Decimus autem Brutus hoc bellum gessit post Viriathinum, ita vt hic iterum in tempore sit ἀνισορνοία.

4. Viriathus, qui cum suis è Galbæ manibus effugerat, eos dissipatos collegit, & M. Vetilium prætorem ipsorum vestigijs insistentem in locum alto limo voraginosum cum exercitu x. millium pertraxit, & cum loci difficultate luctantem ex insidijs adortus IV. millia & Vetilium captum occidit. VI. millia, quæ Carpessum effugerant, vna cum quinque millibus, quæ Quæstor Vetilij ex socijs collegerat, dum congredi audent, cæsa sunt, hinc Viriathus C. Plautium prætorem magna clade bis fudit, & ipsum in vrbes munitas, vt se mœnibus tutaretur, coegit: cum Viriathus interea Carpetanorum agrum fertilissimum lætissimè popularetur. Post Plautium Claudium vnimanum, qui cum magno apparatu veniebat, profligauit, & C. Nigidium imperatum oppressit, ita vt ille quatuor prætores intra quatuor annos magna cum Romanorum ignominia deuicerit, cum singuli ad prioris cladem quasi corrigendam submitterentur. Sed C Lælius in prætura Fabio & Hostilio Coss. cum Viriatho egregiè pugnauit, ferocitatemque eius ita repressit, vt facile bellum reliquis tradiderit. Q. Fabius Aimilianus consul in Hispaniam missus est, conscripto ex tironibus milite, quem Paulli patris exemplo seueritate disciplinæ exercuit, priore anno leuibus tantum prælijs hostem lacessendo; altero cum ipsi imperium esset prorogatum, viriathum secundus fregit, duobusq; ei oppidis cum vi ademtis, ipsum magna cum exercitus eius clade propulsauit, huic Quinctius prætor successit, quem iterum Viriathus aliquot cladibus perterrefactum Cordubam intra mœnia vt se contineret, compulit. ita vt Q. Fabius Seruilianus, Fabij Aimiliani frater, consul ex Senatus consulto mitteretur, qui cum aliquot vrbes & castellæ vi recepisset, transfugatum quos ceperat, manus præcidere iussit, vt trunca

dcxxii.

præ se brachia gestantes, metum defectionis iniiceerent. Viriathum insecutus consul, oppidum circumuallare cœpit: at ille eruptione facta exercitum Seruiliani fugauit, & in præruptum locum, vnde exeundi facultas præcluſa erat, compulit. Viriathus itaque belli finiendi honestam sibi occasionem esse oblatam sentiens, pacem æquis conditionibus fecit, quæ Seruilianæ victoriæ labem imposuit. Ea pace Q. Cæpio consul, cui frater Fabius Seruilianus ex adoptione erat, varijs calumnijs eleuata, & ex Senatusconsulto infirmata, in Viriathum mouet: quem ex improuiso adortus, Arsam oppidum eius occupat, fuga cum exercitu elapsum assequi non potuit. Legatos autem Aulacem, Ditalconem, & Minurum de pace a Viriatho missos, Cæpio donis & promissis corruptos in Viriathi necem armat: atque ipsi vt receperant dormientis iugulum præsecant; cùm in alia corporis parte vulnerari non poterat, quia armatus tantum dormiebat. Turpissimum hoc semper facinus Cæpionis à Romanis habitum est, vt qui percussores in hoste emerit. Exercitus Viriathi, qui duce Tantalo Saguntum profectus, atque inde repulsus, Bætim traiecerat, in Cæpionis, qui à tergo instabat, potestatem peruenit, atque ab eo venia impetrata, agros etiam fertiles quos coleret, ne inopia ad latrocinia relaberetur, assignauit. ita Appianus.

ARGVMENTVM CAP. XVIII. LIB. II.

QVatuor millia Numantinorum magnis cladibus Romanos per XIV. annos fatigant, & ad contumelioſas pacis conditiones cogunt, qui virtute tandem Aimiliani Scipionis ægre fame, igne, ferroq; ſunt conſumpti.

COMMENTARIVS.

Arevacces Celtiberiæ populi Segidam muris contra fœdera cum Graccho percussa muniebant, quare Fuluius Nobilior consul in eos ex S. C. mouit cum xxx. millium exercitu. Segedani non audebant sese vrbi nondum satis firmæ includere: fugiunt, & Carum ducem sibi deligunt, qui Fuluium vicit: sed dum incautius in dispersos fuga Romanos prouehitur, Carus occiditur. Segidenses dissipati fugiunt, quos Numantini vt socios & consanguineos excipiunt, & Fuluium ad Numantiam mouentem exer-

exercitum fortiter profligant, cæsis quatuor millibus Romanorum; & hinc huius belli causam repetit Florus: atque cum Fuluius consul cum T. Annio fuerit anno DC. debellatum sit cum Numantinis à Scipione Aimiliano anno dcxx. rectè colligit Strabo, bellum hoc cum Numantinis gestum esse annis viginti. Cætera Florus & nos per partes.

1. Q. Pompeius nouus homo & primus de sua gente ad consulatum prouectus, in citeriore Hispania Q. Metello successit, & extrema hieme ad Numantiam castra posuit: sed inopinata Numantinorum eruptione & frequenti clade fatigatus, adhæc grauissimo exercitus sui morbo fractus, frumentationeq; ob hostium ferociam intercluſa coactus soluere obsidione, cum Numantinis ita pacisceitur, vt darent obsides, traderent per fugas & xv. talenta penderent. Eam pacem Senatus irritam esse iussit, missusq; successor Pompeio Popillius Lænas proconsul, dum scalis oppidum aggredi frustra conatur, recipientem se ac suos reuocantem & auersum eruptione facta Numantini adorti sunt, & fuderunt fugaruntque.

2. C. Hostilius Mancinus consul in Hispaniam citeriorem iturus terrebatur prodigijs: obnuntiabat pullarius pullos è cauea emissos in proximam siluam auolasse; vox fortuita & incerta, Mancine mane, excepta erat: anguis etiam in naui repertus è manibus elapsus est. Victus itaque, & cum exercitu xxx. millium fugatus à Numantinorum iv. millibus, & in castris suis obsessus, ignominiosam pacem facere coactus est, quam contumeliosa deditione sua quia senatus ratam esse noluit, infirmaret: ita vt numerum prodigiorum numero calamitatum exæquauerit. Fœdera enim (quæ propriè tamen sponsiones, teste Liuio, sunt dicendæ) si qua ab imperatoribus populi Romani non consulto Senatu, aut sine iussu populi cum hoste facta erant, eorum qui fecerant deditione infirmabantur, & populus Romanus religionis fœdere exsoluebatur: ita etiam in Caudina pace factum esse, libro 1. cap. xv. scripsimus. Mancinus itaque nudus à P. Furio Philo consule manibus post tergum reuinctis ante portas Numantinorum expositus, ibique in noctem à suis desertus, ab hostibus non receptus, tristi spectaculo vtriusque commiserationem mouit. Romani hac Mancini deditione cum fide satisfeciſſe fœderi crederent, Calpurnium Pisonem consulem miserunt, qui nouam cladem accepit exercitu eius oppresso. Atque

hactenus sex Coss. sex exercitus consulares ab vnius & exiguæ vrbis præsidio nihil præter contumeliam & calamitatem retulerunt: magno sane documento, si Hispaniæ duces contigissent, si ipsa antequam vires suas nosset, oppressa non fuisset, nunquam Romano imperio seruituram fuisse.

3. Appianus tradit Scipionem, quinquaginta ad triumphum selectis qui efferata maximè specie essent, reliquos sub corona vendidisse. At hic fortitudinem Numantinorum ex Scipionis maximi imperatoris confessione deprehendere licet. Obseptos enim & veluti indagine clausos fame, quos armis non poterat, fregit, intra annum atque tres menses quam eo venerat, teste Velleio libr. 2.

ARGVMENTVM CAP. XIX. LIB. II.

Luxuria per Asiaticos triumphos in Vrbem inuecta, & exterarum gentium metu amoto; virtus Romanorum inclinatur, & in vitia degenerat.

COMMENTARIVS.

Æquissimis legibus temperata fuit Respubliça, plebe in honorum & coniugiorum societatem admissa, à Pyrrhi regis bello vique ad tertium bellum Punicum: ex quo tempore præclara illa & ad omnis posteritatis memoriam illustria abstinentiæ, modestiæ, fortitudinis, ciuilis deniq; concordiæ exempla edita sunt: tum enim Fabricij, tum Curij viguerunt; tum Metelli, Fabij, Marcelli, Scipiones, Paulli floruerunt, quorum vt excelsam in bello animi magnitudinem ac prudentiam, ita incredibilem in pace iustitiam ac moderationem merito admirareris & coleres. Post autem vetere illa labante disciplina, motibus quoque ad lenitatem & ambitionem nimiam inclinatis, luxuria & auaritia grassantibus: tensim Reipub. consensus tentatus atque labefactatus, & iniusta populi dominatione euersus est: cum namque Gracchi, Saturninus, Drusus furiosi & amentes tribuni plebis partim agrarijs, partim iudiciarijs legibus ferendis, vt ita sibi plebem obstringerent, eiusq; potentiam supra optimatium efferrent, perturbarunt. Atque hinc iam factionum & partium studia gliscere, seditio-

num

num & ciuilium bellorum incendia grassari incipiunt, quousque mutuis cladibus laniata Respublica, ab vnius dominatione in æternum seruitium oppressa est. Sed ista sequentibus libris per partes prosequemur.

ARGVMENTVM CAP. XX. LIB. II.

Attali Regis testamento populus Romanus Asiæ hæres scribitur: eam Aristonicus vt paternum regnum inuadit.

COMMENTARIVS.

Aristonicus Eumenis, cui Attalus successerat, ex pellice filius, Asiam vt paternum regnum multorum regum opibus & fauore adiutus inuadit. P. Licinius Crassus consul & Pontifex Maximus extra Italiam, quod nunquam antea factum fuerat, profectus, prælio inordinata acie cum Aristonico ad Leucas commisso victus & captus, inde barbaro in sui cædem proritato occisus est. Caput Aristonico oblatum, cadauer Smyrnæ sepultum est.

1. M. Perperna, qui consul fuit antequam ciuis, Crasso in Asiam successit: hic Aristonicum recenti victoria grassantem & exsultantem inopinato prælio aggressus fudit & in fugam vertit, atq; Stratonicem, qua se ex fuga Aristonicus receperat, obsedit, fameque eum ad deditionem coëgit. Perperna Pergami ex morbo, antequam de bello confecto triumpharet mortuus est.

2. Manius Aquillius consul Perperna successit, ordinata cum decem legatis prouincia Attalica & gaza Romam deportauit, & de victoria alterius labore parta, & capto Aristonico triumphauit; Aristonicus in carcere iussu Senatus strangulatus est. Aquilium ante triumphum ordinasse prouinciam Asiam; eamq; magnis multisq; vectigalibus & seruitute quoq; multasse constat: denique post triennium lege Sempronia tributaria, incertum vectigal, vtpote quod à Censoribus Romæ locaretur, Asiæ fuisse impositum; quod in decimis, portorijs, scripturis exercerent, ex Verrinis actionibus manifestum est: eandem, tanta prouentuum copia nobilem extraordinarijs tributis frequenter fuisse vexatam ex Cicerone, Strabone, Cæsare & Plutarcho; tum ex impotenti Antonij Trium viri tyrannide constat.

LIBRI TERTII CAPVT PRIMVM.

IVgurtha parricidijs & scelere Numidiæ regnum inuasit, & largitionibus possedit, sed tandem suis artibus captus, Romæ à Mario in triumpho ductus est.

COMMENTARIVS.

Iugurtha ex pellice Manastabilis filius, Massanissæ nepos erat, quem Micipsa Numidiæ rex Scipioni Aimiliano rem cum Numantinis gerenti auxilio misit: cumq; ibi res magnas feliciter & fortiter gessisset, easque Scipio litteris etiam ad Micipsam datis testaretur, rex eum, etsi Adherbalem, & Micipsam filios haberet, tamen in filium adoptauit, atq; dum suis tutorem & patronum hoc beneficio sibi demereri parat, percussorem in suos immisit: Cetera Florus.

1. Seruium Tullium regem distinxisse ex censu populum Romanum, hoc est, ex facultatibus in sex classes, primo lib. expositum est, ita vt tenuissimum quemque ciuem in sextam classem vltimamq; censeret: quam vt ab omni onere publico, immunem esse voluit, ita à militia eandem & honoribus excluſit. Estq; ea classis diuisa in Proletarios & capite censos. Proletarij, vt qui proli tantum procreandæ operam darent, censumq; M.D. æris haberent. Capite censi, quorum nomina tantum veluti numero in censorias tabulas relata erant, & CCCLXXV. æris censentur. Hos Marius consul (quia ipsorum opera potissimum vsus homo nouus, ad magistratum curule commendatus erat) primum hoc bello in legiones Romanas nouo exemplo adscripsit. Ipseque Marius, teste Festo, primus legionem sex millium peditum conscripsit, non ex Senatus decreto, sed ex suo consilio. Legio enim antea, prout vius Reipub. postulabat, & ex Senatus arbitrio, modo quatuor, modo quinque millium scribebatur.

2. *Generi* scribendum est, quia Bocchus, cui Iugurthæ filia nupserat, (vt Sallustius testatur) gener erat Iugurthæ: atque is à Bocchone proditus est L. Sullæ tunc Quæstori Marij consulis.

3. Iu-

3 Iugurtham cum duobus filijs Marius triumphum duxit, teste Plutarcho: atque Iugurtha in carcerem post triumphum tractus, nudusque in baratrum conditus est, ibidemque sex dierum fame contabuit, suspensum semper spe vitæ spiritum trahens: vt ita manibus fratrum, quos scelerate enecauerat, egregie parentaret, Numidia hoc bello in prouinciæ formam redacta non est, vt quidam scribunt: obseruo namque Numidiam regibus P. R. socijs quatuor fuisse donatam Hiempsali, qui marium exsulem fouit: teste Plutarcho; Hiarbæ, qui quod marianas partes adiuuerat, Sullæ auspicijs per Cn. Pompeium victus & captus est, qui Numidiam cum Gætulia Hiempsali (vt Cicero in Agraria testatur) tradidit Hiempsali Iuba filius successit; quem Cæsar (quod Pompeij partes sequeretur) profligauit, vicit, Numidiamque occupauit, & prouinciam fecit, ita Hirtius & Dio; Crispumque Salluſtium ei primum præfecit.

ARGVMENTVM CAP. II.
LIB. III.

Allobrogus, Salyes, Ruteni Galliæ Transalpinæ populi victi sunt, & in prouinciæ formam redacti.

COMMENTARIVS.

Quatuor Transalpinæ Galliæ populi contagione quadam vicini belli à Salybis arma sumpserunt. Salyes in Massilienses ab ortu proximos, & populi Romani socios latrocinia exercebant; eam iniuriam armis vindicant Romani. Salyes autem, Auernos, Rutenos, Allobroges, qui vt potentissimi huic bello nomen fecerunt Allobrogicum, ita postremo à Fabio maximo victi sunt. Saluij per Fuluium consulem afflicti, per C. Sextium Caluinum consulem debellati sunt eo loci, vbi & coloniam Sextius ab aquarum copia, & de suo nomine Aquas Sextias dictas, haud longe supra Massiliam condidit anno dcxxtx. Elapsum ex ea pugna Teutomalum Saluiorum regem Allobroges recipiunt & protegunt, & Æduorum populi R. sociorum agros deuastant, quare bellum in se conuertunt, & ipsi socios Auernos quoque armant contra Romanos. Cn. Domitius Ahenobardus consul elephantis in prælio vsus, ex ipsorum exercitu ad Vindaliū

vrbem, vbi Sulga & Rhodanus confluunt, xx. millia cecidit, III. millia cepit Q. Fabius maximus consul Aruernos, Rutenos, & Allobroges apud Isaram fluuium prælio congressos ante diem VI Idus Augusti fudit, CXX. millia Gallorum, vt Plinius & Appianus numerant, occidit. Bituitum siue Betultum (vt nomen eius in fragmento marmoreo legitur, quod anno M. D. Ixiij. erutũ est) Aruernorum regem captum in triumphum duxit: ipse à gente deuicta Allobrogicus dictus est: nepos hic fuit Paulli Aimilij ex filio Q. Fabio maximo Aimiliano, quem gens Fabia sibi adoptauerat; eo bello Narbonensis Gallia in prouinciæ formam redacta est, vt Cæsar libr. 7. testatur.

1. Allobroges cis Rhodani ripam ab ortu habitabant ad Iuram montem & Lemannum lacum, quæ hodie pars est Delphinatus, & Subaudiæ: ijs Ruteni propius mare dextrum latus claudebant, Aruerni versus septemtrionem finistrum: vltra Aruernos Ædui, nunc Burgundi erant. Saluij vel Salyres, vtrumque enim scribitur, primi Gallorum vltra Varum incolebant, quæ nunc Pedemontij pars est iuxta Nicæam, siue Nissam vt nunc vocatur.

2. Tropæa appellantur spolia fixa in stipitibus, teste Nonio: inde etiam monumenta victoriæ erigi cœpta ex marmore saxoque in iugis montium, & editioribus locis: eadem cum Floro scribit Strabo: erectaque hæc tropæa iuxta Cemmenum montem ad confluentem Isaræ & Rhodani. Lib. 4.

ARGVMENTVM CAP. III. LIB. III.

Cimbri magnis cladibus populum Romanum fatigant, sed à Mario fortiter tandem repressi cæsi & debellati sunt.

COMMENTARIVS.

Cimbri ex Cimbrica Germaniæ Chersoneso & Teutoni per Galliam ab Oceano in Illyrium profecti, irruperunt anno dcxl. Cn. Carbonem consulem, cui ea prouincia euenerat, ad Norbeiam oppidum cum exercitu occurrentem, acie fundunt & profligant. Arma inde in Gallos, qui Romanis nondum patebant, & Hispanos con- Tacit. de moribus Germ.

conuertunt: à quibus repulsi aduersus M. Iunium Silanum consulem ob causas à Floro enumeratas mouent, quem congressum magna calamitate fundunt fugantque Inde M. caurus contra illos in Galliam missus tertiam clad maccipit. Scauro Crassius Longinus consul succedit, qui à Tigurinis in finibus Allobrogum cum L. Pisone legato suo & exercitu cæsus est. Huius successor Q. Cæpio cum Tectosagibus Gallis siue Tolosanis bellum facit, thesaurum que Tolosanum e templo Apollinis diripit, auri cx. millia librarum, argenti libras quinquies decies centena millia, atque huius sacrilegij pœnas paulo post à Cimbris victus dedisse putatur. Cæpioni proconsuli inde cum C. Manilio (legendum affirmat Mallio Fr. Fabricius) consule prorogatum in Gallia imperium est, qui dum inter se priuatis odijs certant, exercitum quoque & prouinciam inter se partiuntur: atque ita à Cimbris, quibus Theutoni, Tigurini & Ambrones sese coniunxerant, magna clade pridie No. Octobris & miserabili victi sunt: in eo enim prælio M. Aurelius consularis captus, & paulo post occisus est, duo filij consulis cæsi, lxxx. millia militum, calonum & lixarum xl. millia occisa, & bina castra capta sunt. Cæpioni fortuna istius prælij crimini, & inuidia populi calamitati fuit, nouoque exemplo ob rem male gestam populi iudicio condemnatus in carcere mortuus, eiusque cadauer in Gemonijs à carnifice proiectum est, & bona publicata. Cimbri hac victoria potiti, iter per Galliam iterum in Hispaniam conuertunt. Interim C. Marius iterum consul in Galliam pro ectus Tectosages domuit, Sullaque Marij legatus Copilum eius gentis regem cepit. Prorogato deinde per biennium Marij consulatu ob impedentem semper à Cimbris metum; ipsi à Celtiberis repulsi in Galliam, sese Theutonis, Ambronibus coniungunt, eo consilio, vt Alpibus superatis Italiam occuparent. Cætera nunc ordine Florus prosequitur.

Epit 36. Asconid. in Cornel

1. Cæsa sunt cl millia Theutonum primo ac postero die, teste Velleio. Orosius ducenta millia armatorũ trucidata, Lxxx millia capta, vix tria millia effugisse scribit, & Theutobochum occisum.

2. Venetia Togatæ Galliæ pars, ab occasu Athesi, ab ortu Adriatico sinu, a meridie Pado, a septemtrione Natisone claudebatur.

3. Cimbri sese à Theutonis in Noricum conuerterãt, vt inde

vt inde ipsi in Italiam irrumperent. Q. Catulus Marij collega eo, vt eos ab Alpium tranſitu arceret: cum exercitu miſſus eſt: qui cum tantæ hoſtium ferociæ ſe diffideret reſiſtere poſſe, à iugis Alpium in plana deſcendit, atque ripam vtramque Atheſis fluuij iuxta Veronam fluentis Præſidio firmauit, ponte etiam inſtrato, vt ſuos tutiùs ex aduerſa ripa, ſi vrgeret hoſtis, reciperet. Sed Cimbrorum vis propulit Catulum. Marius ab Vrbe ſtatim traiecto Pado accurrit, coniunctoque cum Catulo exercitu, hoſtibus diem prœlij deſignari ferociter poſtulantibus alterum marius ſiue vt Plutarchus, tertium in agro Vercellenſi condixit, & fortiter vicit, cæſa ſunt cxl. millia, capta xl. millia: diem conflictus III. Nouas Sextileis fuiſſe Plutarchus in Mario ſcribit.

ARGVMENTVM CAP. IV. LIB. III.

THraces gens fera & bellicoſa, variè per aliquot imperatores edomantur.

COMMENTARIVS.

Obſcura eſt & impedita omnium de Thracio bello relatio, tum quia gentem eandem modo cum Illyricis, modo cum Tannonijs & Myſis, mox etiam macedonibus confundunt: perijt etiam apud alios ſcriptores rerum cum Thracibus geſtarum memoria: nos quantum exſtare obſeruauimus, tantum adferemus.

1. Scordiſci gens Gallica, latiſſime citra & vltra Iſtrum habitabant: qui citra, Scordiſci magi, Pannonijs & Illyricis montibus vicini: qui vltra, Scordiſci parui, myſis & Triballis proximi. Cum Scordiſcis primum bellum geſtum eſſe, quia in macedoniam latrocinatum irruperant. M. Coſconio prætore inuenio anno dcxviij. quid interea cum ea gente vſque ad annum dcxxxix. geſtum fuerit, nondum in Annalibus veterum ſatis deprehendi.

Strabo.

Epitom. lvi.

2. C. Porcius Cato conſul infeliciter cum gente pugnauit: ſed eam cladem T. Didius Prætor accurrens vſque adeo feliciter correxit, quod de eadem triumphauerit. Catoni ſucceſſit C. Metellus Caprarius coſſ. qui etiam, teſte Eutropio & Velleio, de Thracia triumphum duxit.

Cicer. Piſon.

3. M. Li-

3. M. Liuius Drusus eōsul Metello succeſſit, qui Scordiſcos fudit fugauit, magnumque honorem tulit, omneſque vltra Iſtrum & Danubium propulſauit. Ep. lxxiij dcxli.

4.5. M. Minucius Rufus proconſul cum à Scordiſcis Daciſque premeretur, quibus impar erat numero, præmiſit fratrem, & paucos equites vna cum æneatoribus, præcepitque, vt cum vidiſſent contractum prœlium, ſubitus ex diuerſo ſe oſtenderet, iuberetque æneatores concinere: reſonantibus montium iugis ſpecies ingentis multitudinis offuſa eſt hoſtibus, qua perterriti dedere terga. Frontinus libro vndecimo, Eutropius, Epit. lxv. Velleius. Piſonis iſtius nec mentionem apud alios obſeruare potui, nec tempori, in cuius imperium iſta victoria caderet, aliquis è Piſonum familiæ qualis eſt; eſtque longum interuallum inter Rhodopem Thraciæ & Caucaſum Scythiæ montes, quare nos hanc Piſonis victoriam in dubio relinquimus, niſi ad L. Piſonem illū, qui ſub Auguſto Thraces vicit, ſæculo vno poſteriorem reſpexerit.

6.7. C. Scribonius Curio Proc. primus intra triennium Dardanis & Mœſis debellatis, arma Romana ad Danubium vſque promouit, vltra quem Dacia in ripam ſeptentrionalem Danubij porrigitur, Appio Claudio, qui Rhodopæis edomitis morbo conſumptus erat, Curio (vt in aliorum Annalibus eſt) ſucceſſit, qui re bene geſta proc. triumphauit anno dclxxxi. Oroſius lib. 5.

8. M. Terentius Lucullus Thraces Æmimontanos edomuit, & quæ ad littora Ponti Iſtrique, oſtiaque eius ſunt vrbes, Tomoſque Ouidij exſilio nobiles expugnauit, & Scythis arma Romanorum primus oſtendit. Tanais Europam ab Aſia in ortu terminat, atque in Mœotidem paludem labitur. Triumphaſſe Lucullum de Thraecibus, Beſſis, ex triumphorum Annalibus anno dcxxc. inuenio. Prędianus Rufus, Futrop. Oroſ.

ARGVMENTVM CAP. V.

Lib. III.

Mithradates Ponti rex xl. *annos varia victoria cum pop. Roman. bellum gerit: eius potentiam luxauit Sulla, Lucullus fregit, Pompeius extinxit.*

COM-

COMMENTARIVS.

Mithradates regum Orientis post Alexandrum Magnum maximus, bello Aristonici auxilia Crasso Consuli vt populi Romani socius submisit: deinde hunc ambitio & regendi libido in diuersa consilia distraxit: dum enim bello Cimbrico, Seruili, Sociali, ciuilibus armis seditionibusque Romanos veluti oppressos laborare videret, vtendum ea sibi occasione ad regna Asiæ Europæque inuadenda occupandaque veluti iniuriis obnoxia ratus, pulso Ariobarzane Cappadocum rege P. Romani socio, prim s belli causſas mouit anno dclix. quem Sulla prætor ex Senatus consulto, profligato armis Corthio Mithradatis duce, in regnum restituit. Estque hoc bellum à Cn. Pompeio terminatum anno dcxc. hoc est, anno quam cæperat trieesimo secundo, octo annis ante quadrageſimum. Cætera per partes Mithradates pro Mithridates edere Fastos Capit. Goltzij obſeruaui, quod imitandum duximus.

1. Mare sinistrum Pontus Euxinus erit à Roma in Asiam minorem proficiscentibus, gentes omnes quæ littora eius accolunt in genere Ponticas vocat: quo tractu ad Propontidem, prima Bithynia, inde Paphlagonia, mox Pontus propriè dicta, cui ad meridiem Cappadocia, ab ortu Armenia est.

2. Septem Persarum proceres, Magis qui regnum fraude & conspiratione a Cambysis morte occupauerant, interfectis, de noua regis ex Septemuiratu suo creatione ita conuenerant, vt cuius equus primum oriente sole ante palatium equis consensis, hinnitum edidisset, is rex salutaretur; equini hinnitus prærogatiua Darius Hystaspis filium regnum obtinet. Ex his septem proceribus Mithrades vnus nomine fuisse creditur, à quo gentem & nomen Mithradates ille Ponticus numerarer. Herod. li. 3 Iustin. lib. 1.

3. L. Cassius Asiæ prætor Nicomedem Bithyniæ regem populi Romani socium, à Mithradate profligatum in regnum restituit, & Nicomedem instigat, vt hanc Mithradatis in se iniuriam armis vlciscatur: inuadit itaque in Pontum, eamque late vsque ad Amastrim populatur, permittente id Mithradate, vt belli causſas iustiores haberet. Quarede hanc Nicomedis in agrum suum incursione Pelopidem legatum suum Mithradates

tes conqueſtum miſit ad L. Caſſium : Appian. in Mithradat.

4. Marius & Sulla ciuibus armis, & crudeliſſima laniena populum Romanum lacerabant. Sertorius Hiſpaniam contra Romanos armabat : ſed iſta fuſius capite xx. & xxii. huius tertij.

5. Eo edicto centum quinquaginta millia Romanorum vno die interfecta ſunt: ſed Valerius Max. octoginta tantum millia putat. Q. Oppium proconſulem & M. Aquillum legatos captos & fœdè cruciatos enecauit: idque dum Sulla ciuili Mariano Romæ occupatus eſt : vt intelligas Mithradatem non pro regno & gloria, ſed odio etiam cum Romanis certaſſe. Plutarch. Sulla. Velleius.

6. Rhodus excepit omnes, protexitque quicunque Romani, nominis vitæ ſuæ fuga contra Regis edictum conſuluerant ; inter cæteros & L. Caſſium Aſiæ prætorem. Mouit itaque in Rhodios claſſe Mithradates, ſed fortiter nauali prœlio à Rhodijs profligatus, multque terreſtri oppugnatione fruſtra conatus, obſidionem ſoluit. Appian. in Mithr.

7. Pireæus Athenienſium portus e quadrangulis ſaxis, quæ laminis ferreis connectabantur, à Pericle bello Peloponneſiaco munitus eſt, ad ſexaginta fere pedum altitudinem, latitudinem vero tantam, vt onuſti duo currus ſibi occurrentes ſine offenſione mutua prætergrederentur. Huius muri partem cum magno militum labore Sulla & cuniculis ſubruiſſet, Archelaus Mithradatis præfectus nouas iterum intus munitiones erexit, ita vt oppugnantium & defendentium mutua clade, cum multum temporis traheretur obſidio, Sulla totum impetum in Athenas conuertit, vbi fames tanta fuit, vt medimnus tritici veniret mille drachmis (atque cum modius ſit medimni ſexta pars, veniſſet ea ratione modius 166 2/3 drachmis: & eadem ratione panis vnius libræ emebatur 6 1/3 regalibus Hiſpanicis) lora, calceos, vaſaque aquis macerata in alimentum verterent, nec deeſſent qui cadauera vſus vitam ſuſtinerent. Tot calamitatibus fractas Athenas Sulla Kalend. Martijs expugnauit, anno dclxvij. Plutarch. Sulla. Appian.

8. Chæronæa Bœotiæ vrbs ad Citheronem montem Plutarchi patria eſt, iuxta quã Sulla Archelaum Mithra-

Gallis

datis imperatorem cxx milliũ exercitu suffultum præruptisque locis vallatum, cæsis centum decem millibus fudit, fugauitque; ipse autem xiv. tantum milites se in eo prælio desideraſſe scribit.

9. Dorylao Mithradatis præfecto iterum cum xxc. millium exercitu in Græciam venienti sese Archelaus ad Orchomenum vrbem Achaiæ coniungit, cum quibus Sulla castra confert, & vt præualidi equitatus hostium impetum tardaret, frequentes fossas x. pedes latas fodere iubet; irruente tandem hostium equitatu nonnihil trepidatum est à Sullanis, sed acuit ille suos ad resistendum dum signum à suis correptum, magno impetu in hostes, infert, vicitque feliciter cæsis xv. hostium, & Diogene Archelai filio.

10. Tot cladibus & Sullæ felicitate territus Mithradates, pacem per Archelaum à Sulla petit, quam à Sulla tempestiuius & facilius ideo impetrauit, quod Romæ absente Sulla, Marius & Cinna aduersæ factionis principes, Rempublicam crudeliter & fœde dilacerarent, & quod Cinnæ iam in consulatu regnantis auctoritate L. Valerius Flaccus (qui in Marij consulis vij. in magistratu mortui, locum succeſſerat) Sullæ succeſſor, cum Fimbria legato mitteretur. Sed Flaccus propter auaritiam inuisus exercitui suo à C. Fimbria occisus est: isque exercitu occupato cum Mithradatis copijs bene pugnauit. Ilienses, quia Sullanarum partium erãt, expugnatos crudeliſſimè funditus igne deleuit. Ipse autem, Sulla in Asiam è Græcia veniente, exercituque suo ad Sullam trãseunte desertus. Pergami sibi manus cum intuliſſet, à seruo suo adiuuante ictum, interfectus est.

11. L. Murena prætor à Sulla relictus, Mithradati bellum aduersus fœdus infert. Haly flumine superato quadringentos Mithradatis in Ponto vicos incendit murena, legatis à Roma referentibus non placere Senatui, quod regi fœderato bello moueretur, non solum ab incepto non destitit, sed maiori conatu iterum cum rege congressus, castris ac exercitu exſutus in Phrygiam fugit Mithradates Cappadociam pulso iterum Ariobarzane occupauit. Sulla iniquum ratus si Mithradates contra fœdus vexaretur, Murenam a bello reuocauit. Mithradati, restituto Ariobarzani Cappadocia, pax data est. Tenuit hoc bellum biennium, Murena de Ponto & Mithradate rege triumphauit. Mithradates iterum noua interea bellorum consilia, nouos belli apparatus moliebatur.

batur. Cum Sertorio quoque aduersus Romanos societatem iungit, L. Magio & L. Fannio, qui à Sulla ad Mithradatem transfugerant, internuntijs. Sertorius M. Marium ad regem, vt eo belli duce vteretur, mittit. Rex ineunte vere in Bythiniam, quæ populo Romano à Nicomede testamento relicta erat, irrumpit. M. Cottam apud Chalcedonem terra fudit, mari classe pulcherrima exsuit, inde ad Cyzicum obsidendam sese conuertit. Cicero. delxxix.

12. Cyzicum insula in Propontide, quæ duobus pontibus continenti adhæret, estque in ea vrbs clarissima, de quo Florus L. Licinius Lucullus, Mithradatis exercitu terra mariq; à frumentatione intercluso, vrbem obsidione liberauit. Rex præmissa Lampsacum copiarum parte, classe Parum fugit. Lucullus hostes ad Æsapum fluuium (ita enim Æsapus, non Asopus ex Strabone, Hesiodo, & Ptolemæo scribendum est) assecutus cecidit, partem ad Granicum iuxta Lampsacum à septemtrione ex Ida fluentem prosecutus interfecit: vterque fluuius ex Cyzico terrestri itinere Lampsacum petentibus occurrit. Plutarchus scribit ad Rhindacũ fluuium Mithradatis exercitum à Lucullo cæsum, iuxta Appolloniam Mysiæ, alterum ad Granicum; perijsse in vtroque conflictu trecenta millia hominum. In Lucul.

13. Lucullus Mithradatem sese in Asiam recipientem iuxta Cabira Ponti vrbem, ad Paryadræ montis radicem sitam assecutus, feliciter pugnauit, cæsis hostium lx. millibus. Mithradates à regno fugiens maximam vim auri atque argenti, pulcherrimamque rerum omnium supellectilem sparsit: quæ dum milites Romani colligunt omnia diligentius, rex ipse, qui idem in potestatem venisset, è manibus effugit. Lucullus inde Ponticas vrbes partim deditione accepit, partim vi expugnauit, Macharem Mithradatis filium Bospori regem in amicitiam recepit. Iterum cum Mithradatis & Tigranis Armeniæ regis copijs acie conflixit pridie Non. Octob. atque regem Tigranem, qui Mithradatem socerum adiuuerat, fudit. Tigranocerta regiam Armeniæ cepit. Armeniæ partem occupauit Mithradates Triarium Luculli legatum è Cabiris mouentem cum omnibus fere copijs in itinere oppressit. Lucullus militum suorum seditione impeditus, & ab ijs destitutus, eam iniuriam vlcisci non potuit. Missusque est Lucullo, cum septem annis hoc bellum gessisset, successor Cn. Pompeius, vel quia tam diuturna potestate imperijs assuescere suos Cicero Manil. dcxxcvi.

duces nollet populus Romanus, vel quia ab æmulis accusatus erat Lucullus, ipsum de industria bellum quod conficere posset, cum Mithradate protrahere.

14. Quotquot auctores huius belli habeo, scribunt lunam in occasum deuergentem Romanis à tergo fuisse, & hinc vt propius ad Horizontem prolabitur, ita productiores Romanorum vmbras porrigit, deceptos inani imagine Ponticos, in vmbrarum spectra in irritum tela conieciſſe. Plutarchus in Pompeio, Oroſius, Frontius lib. 11. & Romanos in Ponticos ita exarmatos irrupiſſe, victoriaque potitos esse. Prœlium hoc ad Daſtracum mõtem in Armenia minore accidit. Oroſ.

15. Mithradates, amuletis & antidotis assiduè deuõratis, ita firmauerat vitalia contra venena, quod ne præsentanea quidem letalique potione sibi vitam eripere cum vellet, potuerit. Inde Mithradaticum amuletium à regis istius inuentione nominatum apud Pharmacopœos extat, quod contra pestilitatem & venena efficax habetur. Rex Mithradates cum intalido ictu semetipsum percussisset, vsus serui sui manu, vel vt alij volunt à Bithocu Gallo precibus ab ipso ad id exorato, confectus est. Plin. lib. 25. cap. 8.

ARGVMENTVM CAP. VI.

LIB. III.

Piratæ, qui commercium latrocinijs intercludebant, intra xl. *diem à Cn. Pompeio edomiti sunt.*

COMMENTARIVS.

Piratæ dum populus Romanus domi seditionibus & Cimbrico bello laborat, maria latrocinijs vexabant, qui à M. Antonio prætore, à Byzantijs adiuto, in Ciliciam profligati sunt. Inde cum maiore iterum mole conualescerent, vt per mediterraneum mare vbique latrocinarentur, à P. Seruilio proconsule per quinquennium in Cilicia varie afflicti sunt. Pergamenon etiam archipirata, qui Ciciliam prædabatur, à L. Metello prætore & mari & terra profligatus est. Sed cum ipsorum potentiam hactenus per tot annos tres etiam imperatores frangere non potuerint, quin mare mediterraneum latrocinijs ita infestarent, vt commeatus & annonæ commercia intercluderent, bellum piraticum lege Gabinia

dcxxciv.

biñia ipsi Pompeio permissum est, vt maria, insulas, oras maritimas, & continentem ad quingenta à littore stadia, exercitus, classes populi Romani potestate extraordinario imperio haberet. Pompeius rem per xv. legatos aggressus, prospere gessit, ita vt extrema hieme bellum ab ipso apparatum sit, ineunte vere susceptum, media æstate confectum.

1. Cilicia Asiæ minoris regio, ab ortu Amano monte, ab occasu Pamphylia, à septemtrione Tauro monte & Cappadocia, à meridie mari mediterraneo & sinu Issico clauditur: eam in Thraciotida siue Asperam, & in Campestrem siue Planam Scriptores diuidunt. In Thraciotide vltra Taurum est Isauria regiuncula, & Isauros vrbs, quã Seruilius vi, quia prædonum arx erat, expugnauit, Isauros postea dicta fuit Claudiopolis à Claudio Cæsare, qui eo coloniam deduxit.

2. Phaselis & Olympus vrbes sunt Lyciæ maritimæ & maximæ: quæ piratarum & prædonum semper domicilium & receptaculum fuerunt, & ea de caussa hoc bello etiam à Seruilio expugnatæ & deletæ sunt. Strab. 14. Cicer. in Verrem.

3. Myoparon prædonum & piratarum nauigium erat, quod forma mixta ex naue oneraria & longa triremi fabricatum erat, quare accommodatum & expeditum semper ad celeritatem, siue remis siue velis vtendum esset, nunc galeonem vocant. Cicer, in Verrem.

4. Classem quingentarum nauium habuisse dicitur, peditum cxx. M. equitum v. M. legatos quindecim: quibus alij aliter & nomina adscribunt, & prouincias, & maria portusque distribuunt: atque ista Pompeij in opprimendis piratis prudentia satis conuincit, Romanos duces fuisse Geographiæ peritissimos, qui mediterraneũ mare, vbi est fretis angustum, classe distributa ita obsiderent, vt piratas veluti indagine caperent, aut includerent: adhæc littora prouinciarum etiam à myoparonibus piraticis ita liberarent, vt mox annonæ commercia laxarent. Plutarch. in Pomp. App. in Mithrad.

5. Quadragesimo die à freto Herculeo Balearicum, Africum, Sardoum, Gallicum, Ligustinum, & Tuscum lustrasse, & res cum legatis ordinasse alij scribunt: inde à Brunduso in Ciliciam profectum, & captis partim prædonibus, partim interfectis, Ciliciam pop. Romani imperio adiunxisse. Captis autem piratis agrum assignauit, ne ex inopia ad piraticam relaberentur, Solosque Ciliciæ vrbem à Tigrane Armeniæ rege vastatam Cicer. pro lege Manil.

instaurauit, eamque de suo nomine Pompeiopolin vocauit, captiuosque piratas eius vrbis colonos scripsit.

ARGVMENTVM CAP. VII. LIB. III.

Creta à Metello consule edomita, & in prouincia formam redacta est.

COMMENTARIVS.

In Pomp. Pædian. Diuinat.

Cretam alteram piratarum arcem siue fontem Plutarchus vocat M. Antonium triumuiri patrem cum amplissimo in eam imperio missum fuisse, turpissimoque victum, & morbo ibidem perijsse, antequam Pompeius in piratas moueret, Cicero testatur. Huic Q. Metellus proconsul in eam missus succedit, sed cum lege Gabinia Pompeius etiam ad suum imperium Cretam pertinere asseueraret, magno odio inter duces & contumelijs vtrimque certatum est, vsque adeo quòd Metellus iracundia exasperatus, dum sese Cretenses aliquot Pompeio vt clementiori dediderunt, acerbissime in eos consuluerit. etsi Pompeius ad accipiendos illos in deditionem, L. Octauium (qui hic Antonius male scribitur) misisset, ille contempto etiam legato, & irrisa Pompeij ambitione, Lappam vrbem, quam Octauius præsidio ex piratis collecto munierat, expugnauit, & supplicium de piratis illis præsidiarijs sumsit.

Plutarch. in Pomp. Dio.

Velleius.

1. Lasthenem & Panaren captos in triumpho ducere nequiuit Metellus, quod Pompeius eos à Metello per Tribunum plebis, vt suos dedititios, abstulerit: ita vt Pompeius ornamentum triumphi Metellici subduxerit. Q. Metellum inuitis æmulis inuenio de Creta triumphasse, & ab insula Creticum nominatum anno dcxi. Tentatam & antea Cretam à Q. Fabio Labeone Prætore auctor est Liuius. sed eum cum nihil dignum memoria gessisset, paucis tantum Romanis qui in insula seruiebant receptis, inde abcessisse.

ARGVMENTVM CAP. VIII. LIB. III.

Metellus Baleares insulas expugnat.

COMMENTARIVS.

Q. Metellus Metelli Macedonici maximus natu filius, qui

qui & patre viuo consul & censor fuit, Baleares insulas proconsul edomuit: vnde Balearici cognomen acquisiuit. Magna est apud Florum ἀντίφρασιν quod Balearicum faciat Cretici fratrem, & vtrumque macedonici filium: nam Balearicus fratrem habuit L. Metellum Dalmaticum, à Dalmatia deuicta cognominatum, ita vt fratrem macedonici patris à duobus filijs triumphalibus elatum fuit: sed Creticum cuius superiore bello cognomen à Creta deuicta sumtum est, fuisse L. Metelli Dalmatici filium, macedonici nepotem ex tabulis Capitolinis verisimile est, ita vt hic sexaginta annorum interuallo in tempore digerendo ex nominum confusione aberratum sit. DCXXX. Strab. 13. Epit. lx. Orosius. dcxxxvij. Plinius li. 7. c. 44. Velleius. Valerius Maxim. dcxxxiix.

Baleares duæ sunt insulæ in mari Mediterraneo, Terraconensis Hispaniæ littoribus aduersi, Græcis etiam Gymnasiæ dictæ, cætera Florus. Hodie maior illa maiorca, minor minorca vulgo dicitur Baleares è studio perfundas feriendi nomen inuenisse, ab aliquibus scriptum est: eorum opera in bello frequenter vsos deinceps esse Romanos, apud rerum gestarum scriptores inuenies.

ARGVMENTVM CAP. IX. LIB. III.

Mato in Cyprum lege Clodia profectus, pecuniam & suppellectilem regis Ptolomæi Romam nauibus vetulit.

COMMENTARIVS.

P. Clodius hostis Ciceroni acerrimus è patricia gente in plebeiam sese à M. Fonteio adoptandum, consule Cæsare adnitente, dedit, vt Tribunatum pleb. per legem Sacratam (qua cauebatur, ne cui patriciorum plebeium magistratum capere liceret) accipere posset, quem cum cepisset, vt Ciceronem per exsilium pelleret, Catonem qui solus illum prouecturus videbatur, honesto prætextu, vt ab Vrbe abesset, lege lata ablegauit. Vt Cyprus insula in prouinciæ formam redigeretur, ac bona regis Ptolomæi publicarentur, idque negotium M. Catoni viro integerrimo mandaretur. Profecto Catone Cicer. mox lege lata, quia ciues Catalinæ socios sine populi iudicio necasset, Vrbe expulit. Cæsaris etiam dcxcv.

& Pom-

& Pompeij gratiam sibi confirmasse Clodius opinabatur, quod Catonem eorum consilijs grauem amouisset: ille enim solus Cæsaris Pompeijque coitiones & factiones, vt reipublicæ perniciosas, publicè concionabatur esse dissociandas, nec ijs Rempublicam per affinitatum necessitudinem esse prodendam. Strabo causas huius legis à Clodio latæ refert in regis auaritiam, qui Clodium à piratis captum redimere noluerit, & in Clodij priuatam cum Ptolemæo rege simultatem: facitq; Ptolemæum Cleopatræ reginæ Ægypti patruum.

Lib. 14.

1. Cyprus insula ab ortu Issicum sinum & mare Syriacum, ab occasu Lycium & Pamphylium, à Septemtrione Cilicium, à meridie Ægyptium habet. In hac virgines ante nuptias statutis diebus dotalem pecuniam quæsituras, in quæstum ad littus maris mittebant, teste Iustino, & hinc Veneri sacram esse habitam.

Lib. 18.

2. Canidium familiarem suum in Cyprum præmiserat Cato, qui Ptolemæo, vt sponte legi Clodiæ cederet, persuaderet: daturum ipsi populum Romanum Veneris Paphiæ sacerdotium, quod vt opulentissimum, ita præcipuæ dignitatis apud Cyprios habebatur. Rex hausto veneno ab ea contumelia sese liberauit. Confectam pecuniam septem millium talentorum scribit Plutarchus: at cùm talentum, vt nunc est temperamentum, ccc. aureos Regales valeat, facile est hanc summam cum nostrate pecunia conferre: estq; digna præda propter quam vnius insulæ rex regno expelleretur. Cyprum postea à Iulio Cæsare Cleopatræ Ægypti reginæ concessam, & post mortem eius ad Romanos redijsse inuenio.

ARGVMENTVM CAP. X. LIB. III.

Cæsar Galliam vlteriorem per annos nouem variis bellis edomuit, Germanos Rheno superato profligauit, Britanniam insulam inuasit.

COMMENTARIVS.

Cæsar in consulatu suo, quem Bibulo anno decimo cepit, lege agraria popularem aurem assecutus, Illyricum & Gallia[illegible]am citeriorem cum tribus legionibus lege Vati-

Vatinia à populo per quinquennium obtinuit: mox senatus vlteriorem etiam ipsi Galliam cum vna legione decreuit Cæsar, vt sibi absenti & in Galliam profecto, etiam in vrbe potentiam & amicos confirmaret, Pompeium magnum sibi per filiam Iuliam generum, Calpurnium Pisonem consulem designatum, sibi per Calpurniam filiam socerum comparat, Ciceronem & Catonem suis consilijs infestos ab vrbe amouet, idque lege lata de P. Clodij Pulchri adoptione. Cæsar enim offensus Ciceronis pro C. Antonio oratione, qua temporis statum Iulio consule deplorabat; eadem die & hora nona à patricijs ad plebem traduxit. Cætera de Catonis expeditionis nos superiore capite diximus, & deinceps per partes sumus cum Floro dicturi.

1. Galli vt è finibus suis exierunt, & in Romanos mouerunt, vel ipsi à Romanis lacessiti sunt, ita in notitiam populi Romani ampliorem venerunt, & nomina primum acceperunt à cedibus, in quas migrarunt: vt Cisalpini dicti, qui Alpibus superatis. Superbo regnante in Italia descenderunt. Transalpini, qui in Gallia manserant, dicti sunt. Transalpinam Galliam Cæsar vlteriorem, Cisalpinam Citeriorem vocat. Citerioris in Italia terminus ab Alpibus ad superum mare Rubicon fluuius & Ariminum erat, ad inferum mare Luca Liguriæ ciuitas, & Arnus fluuius Cisalpina etiam Gallia flumine Pado in Cispadanam & Transpadanam aliquando diuisa est. Gallia inde omnis à cultu Gallorum distingui cœpit. Togata dicta est Cisalpina Gallia à togis, quibus vtebantur Citerioris Galliæ populi: Transalpina vero siue vlterior in Braccatam & comatam. Braccata erat quæ ad mare mediterraneum, hoc est, in Liguſtinum & Gallicum protendebatur; à Braccis vestium genere breui & præcincto, & ad terrorem mouendum compositio. Comata à promissis comis, qua Gallia in occasum & septemtrionem ad Oceanum vsque porrigitur. Vlteriorem deinde Cæsaris imperio notiorem per flumina in partes tres distinxerunt. Aquitaniam Pyrenæis montibus, littoribus Oceani, & Garumma flumine includunt. Celticam, quæ Romanis proprie Gallia dicitur, Rhodano à Narbonensi, Sequana & Matrona à Belgica. Garumna ab Aquitanis distinguit. Belgicam ab ortu & septemtrione Rhenus a Germania separat, Galliam iterum aliter ab Augusto terminatam suo loco dicemus.

2. Heluetios Cæsar ab ortu à Germania Rheno diuidit; à meridie Iura monte; Lemanno lacu, Sequanis & Rhodano fluuio à Narbonensi Gallia & prouincia distinguit: hodie Suijzeri dicuntur.

3. Cæsar audito Heluetiorum motu, iter ab Vrbe Geneuam maturauerat, & vt viam Heluetijs præcluderet, pontem qui ad Geneuam erat, recindi iussit. Geneua enim extremum oppidum Allobrogum, proximum Heluetijs erat Heluetij missis ad Cæsarem legatis, iter vt ipsis per prouinciam sine maleficio facere liceret, rogabant. Cæsar deliberandi spatio vsque ad Idus Aprilis sumpto, murum à Lemanno lacu ad Iuram montem XIX. mill. passuum longum ducit, & ita Heluetios à profectione prohibet. Ipsi ad Ararim deflectunt, Cæsar traijcientes ipsos, & quartam patrem nondum traductam concidit, aut fuga dissipauit. Iterum Diuicone legato frustra ad Cæsarem misso, pergunt in Æduos; equitatum Cæsaris IV. millium numero auidius insecutum, aliquot occisis, repressérunt. Inde Cæsar ipsorum vestigijs semper insistens, eos à populationibus coercebat, & magno difficilique prœlio in itinere eos fudit fugauitq;, ita vt CXXX. millia hominũ ex ccclxviii. millibus superessent, qui in Lingonum fines profecti, inopiaque fracti, sese supplices Cæsari per legatos dediderunt, quos obsidibus datis, armis & perfugis traditis in fines suos, vnde erant profecti, redire, oppida vicosq; quos incenderant restituere iussit.

4. Sequenti anno Cæsar in Belgas, qui per hiemem inter se contra Romanos coniurauerant, exercitum duxit: Belgas ad Axonam flumen cecidit: inde in Suessiones. Bellouacos, Ambianos profectus, ipsos, quia sese debebant in fidem recepit. Mouet inde in Neruios bellicosissimam Belgarum gentem, quos cum Atrebatibus & Veromanduis ipsorum socijs difficillimo ad Scaldim fluuium prœlio ad internecionem vsque delenit Aduatici, Cimbrorum & Theutonum progenies, Neruijs auxilio veniebant atque ipsorum clade, quam in itinere intellexerunt perterriti, domum dilabuntur & sese Cæsaris clementiæ permittunt. M. Cicero, qui superiore anno ab Vrbe lege Clodia expulsus fuerat, hoc anno lege Centuriata Sextili mense lata, maximo Senatus gaudio & vniuersæ Italiæ reuocatus est, XVI. quam exulauerat mense: sub finem namque martij mensis anno superiore in exsilium pulsus est,

reuo-

reuocatus hoc anno rediit Romã pridie Nonas Septemb.

5. P. Crassus Cæsaris legatus superiore anno Venetos, Vnellos, Osismos, Curiosolitas, Sesuuios, Aulercos, Rhedones, maritimas Galliæ ad Oceanum Britannicum ciuitates in deditionem redegerat, atque cùm Cæsar in Illyrico ipsa hieme profectus erat, Veneti, equites frumenti petendi causa à P. Crasso, qui Andibus hiemebat, missos retinebant, vt datos Cæsari obsides eorum permutatione recuperarent. Hoc factum ceteræ ciuitates sequuntur, omnesq; sollicitatæ societateque inter se coniurant: eam iniuriam Cæsar armis prosecuturus cum exercitu proficiscitur in Venetos, & vt auxilia ipsorum destineret, singulis nationibus per legatos bellum mouet, qui re bene gesta hostes partim deditione imperata facere coegerunt. Cæsar Venetos nauali prælio per D. Brutum victos in deditionem accepit. Crassus Sontiates, Aquitanos & maximam Aquitaniæ partem; Sabinus Vnellos & maritimas ciuitates. & Viridouicem ipsorum ducem vicit. Cæsar inde in morinos & menapios adhuc armatus bellum conuertit, sed superueniente tempestate & hieme, & quia illi paludibus & siluis se suaque abdiderant, militem in hibernia reduxit, ipse Lucam in Italiam proficiscitur, quo ab Vrbe Pompeius, Crassus, Claudius, Metellus Nepos, alijque Senatores colloquendi gratia conuenerunt. Cæsar lib. Comment. III. Plutar. in Cæs.

6. Cæsar ex Britannia victor reuersus, L. Domitio, Ap. Claudio coss. consilium Gallorum Samarobrinæ induxit, & quia frumentum ob siccitatem angustius prouenerat, coactus est legiones suas per plures ciuitates in hibernia distribuere. Legionem vnam & quinque cohortes, quibus legatos. Q. Titurium Sabinum, & L. Aurunculeium Cottam præesse iussit, in Eburones, qui Ambiorigi & Catiuulco parebant, misit. T. Labienum cum quarta legione Rhemis in confinio Treuirorum hiemare iussit. Inducomarus Treuir Cæsari infensus, quia Cingentorigenem æmulum ipsi prætulisset, cum Ambiorige, quem tamen multis sibi beneficijs Cæsar antea deuinxerat, & Catiuulco, vt opprimerentur legiones, conspirat. Ambiorix subitò ad Cottæ & Sabini castra properat, à quibus vi repulsus dolo agit. Sabinum & Cottam simulata officij beneuolentia admonet, vt suæ ac militum saluti consulant. Galliam, vt communem libertatem à Romanis vindicaret, conspirasse: accitos stipendio

pendio in auxilium Germanos, qui iam superato Rheno intra biduum adfuturi essent; ipsi consulent, velintne ad Labienum aut Q. Ciceronem, quorum castra L. millium passuum abessent, in tutum priusquam copiæ Galliorum conueniant, suos deducere; se tutum iter per fines suos daturum: mox itaque in castris conuocato concilio certatum est sententijs acriter inter duces. Sabinus eundem ex amicissimi regis Ambiorigis consilio contendit Cotta nihil temere credendum hosti, nec legionem insidiarum periculis in itinere obiectandam disputat, tandem Cotta cæterorum consensu victus est, & profectio prima luce pronuntiatur, eos solutis ordinibus abeuntes, hostes ex insidijs adoriuntur, & velut indagine clausos eminus lacessunt, fortissimum quemque vulnerant, aut circumfusi occidunt. Titurus tot malis circumuentus, dum Ambiorigi deditionem offert, occiditur: Cotta strenuè pugnans cum maxima militum parte interficitur: cætera pars in castra recurrens sese mutuis vulneribus confecit. Inde Eburones adiunctis Adusticis & Neruijs sese in Ciceronem, qui apud Neruios hiemabat, conuertunt, à quo fortiter repulsi sunt, nec dolo nec vi pares & superueniente Cæsare cum VII. millibus, funduntur fuganturque LX. millia hominum. Inducioma ro sui contemtum studio etiam T. Labienus augebat, quousque auxilijs in castra quàm occultissimè arcessitis, eundem ex more solito temere castris insultantem, subita nec inopinata eruptione profligauerit, fugientemque in vado fluminis assecuti equites interficiunt caputq; cæsi in castra referunt. Cæsar libr 5. eadem Dio, & Plutarch. male hic scribitur Dolabella pro T. Labieno.

7. Arioui stus Cæsare consule, rex & amicus à Senatu appellatus erat, qui Æduis cum Arueruis & Sequanis de Galliæ principatu contendentibus, contra Æduos vt potentiores mercede in Galliam cum Germanis accersitus erat, atq; cum ille per vim occupatos Sequanos crudelissimè vexaret Æduosq; congredi ausos magna calamitate afflixisset, Æduorum precibus, & Senatus consulto, quo Ædui vt socij defendendi erant, Cæsar commotus, nihilq; pacati ab Arioui sto Cæsaris legatis responderetur, in Arioui stum mouit, & ex itinere Vesontionem occupat, præsidioq; firmat: cùm ibidem Cæsar ob belli apparatum hæreret, consternatione exercitui suo oborta, quia hostium ferocia verbis nimium & fama effere-

effigerebatur, metum suis omnem veris rationibus dissoluit & mox in hostem mouit, quem nequidquam colloquijs tentarum, & Harudum, Marcomannorum Triboccorum, Vangionum, Nemetum, Sebusiorum, Sueuorum auxilijs suffultum, & acie, quia ante nouam lunam ne pugnaret, ipsi à sorti legijs mulierculis obnuntiatum erat, decernere cunctantem, ad prœlium tamen cogit, superat, & vltra Rhenum profligat. Cæsar libr. 1. Plutarchus Dio.

8. Testamenta militaria qui in aciem prodituri erant, antequam scuta caperent, & togis se præcingerent, hoc est, in procinctu, ram quam ad certam mortem eundum esset, faciebant tribus aut quatuor audientibus. At acies ita apud Romanos instruebatur, vt prima hastatorum, altera principum esset, tertiam triarij clauderent. Quare principia pro secunda acie frequenter apud alios & hoc loco à Floro ponuntur.

9. Testudo hoc loco militum manus dicitur, quæ consertis supercapita scutis se se contra impetus lapidum & telorum desuper cadentium protegit.

10. Cn. Pompeio & M. Crasso iterum Coss. Vsipetes Germani Tenchtheri, qui à Sueuis bellicosissima & maxima Germaniæ gente exacti, triennio per Germaniam vagabuntur, non longè ab Rheni ostijs in Galliam trajiciunt. Menapios profligant, ipsorumque sedes occupant. Cæsar his de rebus certior factus, cui mobilitas & Gallicæ gentis infirmitas suspecta erat, maturat in Germanicam expeditionem, confirmatque Gallorum animos iam vtcunque labefactos Germanos qui iam trajecerant Rhenum, dum legatos ipsorum pro agris petendis missos retinet, ex improuiso nec tale quid opinantes adortus, cccxxx. millia hostium non longe à Confluente Mosæ & Rheni profligat, castris exsuit, & dissipat, & perpaucis suorum vulneratis, periculosissimo bello defungitur. Vbij qui vltra Rhenum habitabant, Sueuis vectigales & nunc obsidibus Cæsari datis populi Romani amici, Cæsaris auxilium contra Sueuorum injurias orabant: quare Cæsar vt Vbios defenderet, vt Germanos etiam propiore periculo & bello domestico frangeret, Rhenum ponte sublicio intra decimum diem confecto superauit, & in Sicambros signa conuertit: illi & cæteri Germani Sueuique sese in syluas & paludes vna cum rebus cariissimis receperant: Cæsar late populatus igne ferroque ipsorum agris, & Vbijs liberatis,

XVIII.

XVIII. die iterum in Galliam exercitum reduxit, pontemq; rescidit. Huius pontis structuram vt Cæsar elegantissimè & absolutissimè describit, ita eum locundus Veronensis corruptè depingit, Cardanus in subtilitate sua subtiliter. Io. Buteo in Geometricis diligenter & fideliter Cum Pompeius & Crassus Cæsaris etiam factione Coss. essent declarati; id enim superioris anni conuentu Lucæ per coitionem optimatium conceptum fuerat, prouincias lege Trebonia, frustra intercedente Catone, in quinquennium Pompeius Hispaniam, Crassus Syriam & Parthicum bellum, Cæsar Gallias & Germaniam in alterum quinquennium nouo exemplo per vim obtinuerunt. Iulia vxor Pompeij è partus doloribus etiam periit, atque ita necessitudinis vinculum illud, quo Cæsar & Pompeius solum in amicitia tenebantur, abruptum est, cum filiola etiam quæ nata erat, statim matrem sequeretur: anno proximo id accidisse, cum Cæsar Britanniam peregraret, testatur Seneca de consolatione ad Marciam, & Cicero ad Quintum fratrem lib. III.

IV. Cæsar quia intelligebat Britannos hostibus populi Romani auxilia subministrare, aut profugos etiam excipere, in eos proficisci decreuit. Bis itaq; hac de caussa in Britanniam insulam traiecit, Primo sub Autumni æquinoctium, cùm tertia vigilia è Morinorum portu soluens, hora circiter diei quarta in Britanniam appulit, Pompeio & Crasso Coss. ipse Britannos, facto prælio, vt se eius clementiæ permitterent, impulit: sed cùm classis eius quæ equitatum transportabat, ob incognitum Romanis æstum Oceani circa plenam lunam & circa æquinoctia, quod etiam Tacitus testatur, sæuissimum, fœdissima tempestate disiecta est. Quæ res Britanos ad rebellandum erexit, sed iterum fusi fugatiq;, imperata datis obsidibus facere coacti sunt. Cæsar cum suis incolumis in Galliam redijt. Atque cum Britanni quos promiserant obsides non misissent, iterum Cæsar in Britanniam nauigat, soluitque ab Iccio portu ad solis occasum, Africo spirante, & ad insulam magno cum militum labore accessit meridiano fere tempore; oborta enim malacia ad terram remigandum erat. Hostes nauium multitudine, erant enim octingentæ, perterriti à littore discesserant; eos Cæsar insecutus, Cassiuellaunum regem, quem suis Copijs Britanni præfecerant, profligat Trinobantes & alias Britanniæ ciuitates in deditionem & ipsum Cassiuellaunum accipit: vectigaleimque populo Roma-

Romano Britanniam facit, & quia in Gallia hiemare decreuerat, sub æquinoctium Autumnale. vi. Kal. Octobris, secunda inita cum soluisset vigilia, prima luce cum classe incolumi Gallia attigit L. Domitio, Appio Claudio consulibus Cæsar lib. v. Dio Plutarchus.

12. Gallia tota pro libertate contra Romanos coniurant, Cn. Pompeio sine collega consule an. DCCI. dum Cæsarem ciuilibus motibus remoratum, & niuium, quæ in Alpibus ceciderant, altitudine à Gallia excluſum opinantur, initium à Carnutibus cepit, qui reliquorum societatem iureiurando sibi adstringunt, ac die condicta Genabum profecti, ciues Romanos, qui negotiandi causa ibidem constiterant, interficiunt, ea fama eodem die ad Aruernos per clx. millia passuum perlata, eos etiam ad arma duce Vercingentorige Aruerno incitat, qua contagione & ceteri Galliæ populi in bellum trahuntur. Cic. Att. lib. 4 epist. 15.

13. Gebennam montem qui Aruernos ab Heluijs diuidit, duriſſimo anni tempore altiſſima ad ſex pedes niue impeditum Cæsar ſummo militum labore ſuperat, & in Aruernorum fines perueuit hinc Vellaunodunum Senonum oppidum per deditionem recipit, inde ad Genabum Carnutum ad Ligerim oppidum proficiſcitur, quod, dum Denabenſes fuga ſibi conſulere parant, occupat, oppidoque potitur, diruit, incendit, vt ciuium Romanorum cædi ibidem perpetratæ, parentaret; prædam militibus donat, & Ligerim exercitu traducto, mouet in Bituriges, oppidum ipſorum Nouiodunum ex itinere capit. Vercingentorigis equitatum fundit fugatq; Galli xx. & amplius Biturigum vrbes, vt Cæsarem frumentatione & commeatu excluderent, publico conſilio incendunt.

14. Auaricum Biturigum oppidum trans Ligerim, ferè ab omni parte flumine aut palude circumdatum, ab ea parte vbi aditum anguſtum habebat, Cæsar, fruſtra renitente Vercingentorige, maximo militum labore, difficillimo anni tempore, exercitu etiam ſuo rei frumentariæ difficultate affecto expugnauit, ex xl. M. armatorum vix octingenti, primo captæ vrbis clamore audito, fuga elapſi ad Vercingentorigem incolumes peruenerunt. Cæsar lib. vii.

15. 16. Gergobia Aruernorum oppidum ſecundum flumen Elaner, in altiſſimo monte ſitum eſt, quod Cæsar oppugnatum omiſit, & ad Alexiam Mandubiorum oppidum in colle ſummo, cuius radices duo duabus ex partibus

tibus flumine subleuabant, contendit; Vercingentorigem equestri prælio congressum fundit, fugatque in castra; equitatu dimisso ad cogenda auxilia Vercingentorix sese cum octoginta millibus in Alexiam recipit: quem variis munitionibus Cæsar obsessum circumuallatumq; inclusit, & ab omni externo auxilio, quod Galliæ totius conspiratione ab obsidione Alexiam conuenerat, excluſit: quare in desperationem Alexienses coacti, Vercingentorigem seseque Cæsari dedunt, & arma proijciunt.

ARGVMENTVM CAP. XI. Lib. III

CRassus consul Parthici belli cupiditate ardens, Parthis bellum sine Senatusconsulto aut lege infert: ipse victus & occisus, ludibrio etiam hostibus fuit, qui auaritiam liquido in caput eius auro infuso exprobrabant.

COMMENTARIVS.

M. Crassus cum Pompeio iterum consul, lege Trebonia per vim perrogata, Syriam & Parthicum bellum in quinquennium obtinuit, quare Crassus in consulatu ab Vrbe paludatus in Syriam delectu habito properat, nihil dirarum Ateij Capitonis tribuni plebis deuotionibus commotus, cùm in Syria omnia quieta esse offendisset, ipse belli gerendi gloria & auaritiæ morbo ardens, in Parthos paulo ante pacatos, & tum etiam Orode regnante quietos, sine Senatusconsulto aut populi iussu mouit, ipsorum opulentia solùm, quæ celebris erat, ad prædandum inuitatus. Traiecto Euphrate, ac plerisque Mesopotamiæ locis euastatis, aut occupatis, eius regionis satrapem Talimenum Ilacem, equestri prælio ad Ichnias (id castelli nomen est) facile vicit, atque eodem impetu vius Nicephorum & aliquot Græcæ originis vrbes in potestatem redegit: Zenodotiam, quæ præsidiarios quos petierant Romanos obtruncauerat, exercitui suo diripiendam dedit. Ea victoria contentus Crassus, vrbibusque, quas ceperat, præsidio firmatis, in Syriam in hiberna concessit, ac imprudenter Parthis iam à se irritatis spatium ad belli apparatum dedit. Dio, Plutarchus, Appianus.

1. Zeug-

1. Zeugma Assyriæ vrbs ad citeriorem Euphratis ripam posita, nomen habet, quòd ibi Alexander Magnus ponte catenis iuncto exercitum transportauerat. Cum Crassus ibidem copias traiiceret, tam fœda tempestate & profunda caligine circumfusus est, vt sensus aurium & oculorum omnibus adimeretur, & vt veluti prodigio hoc præmonentibus dijs ab incepto itinere desisteret, nec signa etiam, tamquam sequi nollent, terra euelli poterant: pons etiam, quasi iter ipsorum reditui præcluderet, tempestate disiectus est. Sed Crassus ijs contemtis ab Euphrate, qui solus commeatus subuehere & hostem à latere summouere poterat, in Parthos mouit, nec legati Vogesis ab Orode missi, qui contra fœdus, quod ipsis cum Lucullo & Pompeio erat, bellum cum socijs & fœderatis susciperet, deterritus est.

2. Legiones septem Plutarch. in Crasso equitum quatuor millia, & totidem velitum numerat.

3. Tribunum plebis Ateium Capitonem vocant Dio, Plutarchus, Appianus, qui diris Crasso proficiscenti ex simultate priuata obnunciabat: quibus neglectis sese, exercitum, & filium perdidit. Diræ imprecationes & execrationes erant ab euocatione deorum inauditorum in illos obnuntiatæ, qui dicto audientes non essent, quæ fere & imprecatoribus & non obedientibus calamitosæ erant.

4. Augarum Arabum præfectum Dio, & Appianus, Ariamnem Plutarchum, qui Pompeio aliquot officijs fidelem operam nauauerat, atque ita tunc sibi fidem in paruis præstruxerat: vt nunc cum operæpretium esset, magna cum mercede falleret. Constat apud omnes hunc transfugam, quocumque nomine fuerit, subornatum à Persis fuisse, vt Crassi crudelitate in ipsius perniciem abuteretur.

5. Carthæ vrbs Mesopotamiæ cis Chaboram flumen sita, ea in Biblijs Haran, siue Charam dicitur, ex Abrahami Patriarchæ historia satis celebris. Ad Carrhas à Surena & Syllace Orodis ducibus Crassus circumuentus, totum fere exercitum cum P. Crasso filio, qui ad eum à Iulio Cæsare cum lectissimis mille equitibus e Gallia missus venerat, amisit, cuius reliquijs in collem receptis, euocatus a Surena in colloquium tamquam de pace acturo, captus, atque, ne viuus in hostrum potestatem veniret, repugnans occisus est. Qui e calamitate euaserant, fuga in Armeniam, Ciliciam, quo quemque

metus auersum egit, dissipati sunt. Cassius Longinus quæstor cum aliqua parte in Syriam incolumis rediit: accidit ea clades vi. Idus Iunias, & ex Ouidio sexto Fastorum notum est.

ARGVMENTVM CAP. XII. LIB. III.

E Numeratione comparat res superiore sæculo gestas, quæ laudem habent, cum sequenti quod ad vitia degenerat, & seditionum facibus ardet, quæ vix ciuili sanguine restinguuntur, ad hæc quod seruilibus & gladiatoriis bellis omnia contaminentur: mox ambitum ex opulentia inuasisse, ex luxuria egestatem, quæ quia inualuerint, vniuersum malorum fontem aperuisse.

ARGVMENTVM CAP. XIII. LIB. III.

C Racchorum Tribunicia leges partim agrariæ partim frumentariæ & iudiciariæ, iustissimum Reipublicæ temperamentum conuellunt, & discordiarum ciuilium fontem aperiunt.

COMMENTARIVS.

Ti. & C. Sempronij Gracchi fratres Tribu. pleb. seditiosi & furiosi. vt optimatium potentiam, cui erant iniquissimi, frangerent, plebis opes confirmabant, eamque quo ad omnia, quæ in Rempublicam molirentur, deuinctiorem haberent, optimatium agros plebi diuidebant, frumentum gratis largiebantur, socios ciuitate donabant, vt ita plebeiorum suffragiorum multitudine facilius nobilitatis factionem in comitijs imminuerent. Atque dum iudiciariis etiam legibus à Senatoribus ad equites iudicia transtulissent, consensum illum ciuitatis optimum dissoluerunt. Ita plebis potestate eousque inualescente, vt optimatium opes multis partibus inferiores essent. plebs ex libidine & Tribunorum impotentia dominari cœpit, atque dum nobilitas ab ea se vindicare

care conatur, tanta seditionum moles exstructa est, vt audaciſſimo cuique, dum largitione plebem iam dominantem corrumpit, via ad lacerandam aut occupandam Rempublicam patefacta sit.

1. Agraria lex primum à Sp. Cassio tertium consule anno cclxxvii. promulgata proferri non potuit, neque vnquam sine maximis motibus Reipublicæ agitata fuit: eius varia fuisse capita inuenio, sed quæ huc facit potissimum, ea erat quæ possessores vetere agrorum possessione exturbabat, vt illa Licinia Tribunicia, ne quis plus D. iugera agri possideret, cætera plebi diuideret: eam pertulit anno cccl xxxv. atque mox quod filium emancipando mille iugerum possideret, & legi fraudem feciſſet, sua lege x. mill. æris damnatus est: & ab hac agraria deinceps quieta ciuitas fuit vsque ad T. Gracchi tribunatum, qui legem Licinian pertulit, quamtumuis nobilitate, quæ patriæ sedibus per eam mouebatur, aduersante anno v. c. Dcxx.

2. Caius Gracchus legem frumentariam tulit, vt frumentum in modios singulos plebi semis æris ac trientibus daretur: Ita enim victus plebi suppeditabatur sine labore, Repugnabant boni, quia ea lege plebem ab industria ad desidiam auocari putabant, & ærarium exhauriri videbatur. Inde L. Saturninus in tribunatu conatus est perrogare legem, qua frumentum plebi gratis daretur, eam perlatam à P. Clodio tribuno plebis, habeo auctores.

3. Iudicium est potestas de rebus aut priuatis aut publicis ex iure & legibus Romanis iudicandi, qui iudicia obirent, iudices dicti sunt. Iudices à magistratu, hoc est, primum à regibus, inde à consulibus, sequenti tempore à prætoribus, ad quos iurisdictio, translata erat, è Senatorum ordine dabantur. Iudicia alia priuata, alia publica: priuata iniuriam priuato ciui illatam vindicabant, publica Reipublicæ. In priuatis, si de iure actio esset, dabantur vel arbitri, vel decemuiri, vel centumuiri. Si de facto controuersia erat, recuperatores, qui de rebus reddendis vel recipiendis cognoscebant. Si de neutro quæstio erat, edictum prætoris interponebatur. Publicorum vero iudiciorum dominus post exactos reges populus Romanus vsque ad annum vrbis conditæ lxxcentesimum quartum fuit, publicas quæstiones, quibus ad populum accusabat reum magistratus (nemini enim alij licuit) fuisse inuenio, de maiestate, parricidio,

peculatu, de quibus iudicio populi condemnati puniebantur morte; exsilio, multa. Maiestatis crimine tenebantur, qui magistratus vel populi amplitudinem læsissent, vel in rempublicam sese hostiliter gessissent, quod perduellionis crimen vocabatur. Parricidij accusabantur, qui cuiusque hominis cædem perpetrassent. Peculatus anquirebatur, qui de publico furtum fecisset: Perduellionis crimen vt maximum centuriatis comitijs à populo iudicabatur: de ceteris autem omnibus comitijs tributis. Aut cum vsus postularet, Quæsitores ex Senatusconsulto creabantur, qui de crimine publico quærerent, vel Dictator, vel Cossambo, vel alter, vel prætor, qui ita extra ordinem iussus erat quærere. Quæsitor dicebatur, quousque perpetuæ quæstiones anno Vrbis conditæ dein. constitutæ sunt: tum enim pro Quæsitoribus extraordinarijs prætores ordinarij sunt cœpti creari, qui suas quisque quæstiones quotannis sortirentur. Maiestatis, peculatus, ambitus, repetundarum, quibus quæstiones de falso, de parricidio, de sicarijs, de iniurijs, Sulla adiecit. Prætor qui quæstionem sortitus erat, eam cum selectis iudicibus exercebat, quæsitor editicius cum editicijs iudicibus. Prætor aut quæsitor sortiebatur iudices ex decurijs quas prætores vrbani quotannis non sorte, sed iudicio iurati conscribebant, & quia decuriæ ex ordinibus ijs, apud quos iudicia essent, defigebantur, selecti iudices appellati sunt, & ipsorum cœtus consilium, at qui primus ex ipsis sententiam ferebat, is iudex quæstionis, aut princeps iudicium vocabatur. Concilium illud ex Senatoribus tantum constabat vsque ad Caij Gracchi legem, qui iudicia ad equites transtulit, & tum ex equitum ordine decuriæ, & ex ipsis concilium descriptum est, qua Gracchi lege vniuersa Reipublicæ ratio peruersa est, & Senatus dignitate sola præstabat, equester ordo potentia, opibus, dominatione turpissima & superbissima regnabat. Editicij iudices erant, non quos quæsitor sortitus esset, sed accusator edidisset, neque ex certis decurijs, sed ex omni populi sumti, quos delectis siue selectis iudicibus Cicero opponit.

4. Vectigal pecunia erat, quæ vel portus, vel venditionis, vel circumuectionis nomine exigebatur, hinc nomina vectigalium, Portorij Decumatum, & Scriptuæ, vel Salis & Macelli, vel vicesimæ apud scriptores obuia sunt. Portiora pecuniæ erant, quæ portitoribus pendebantur, id est, ijs qui mercedes ex mercibus deuehendis

aut

aut traijciendis exigebant. Decumas soluebant fructuum, qui agrum publicum arabant. Scriptura erat vectigal, quod ab ijs pendebatur, qui siluis & pascuis publicis fruebantur. Macelli nomine res omnes quæ ad victum hominum pertinebant, comprehenderunt. ea vectigalia vt ciuibus ditato ærario remissa sunt; ita vicesima, quæ ab ijs qui manu mittebantur, exigebatur, semper remansit. At vectigalia prouincijs sunt imposita, quæ aut certa erant, & stipendiaria dicebantur, aut incerta, quæ ijs, quæ exposuimus, nominibus pendebantur, eaq; publicani ad hastam à censoribus redimebant, idq; quæstus sui causa, vt ea à prouincialibus suo periculo exigerent, & Reipublicæ datis sponsoribus repræsentarent, atque cum Publicani fere equites fuerint, & ad ipsos iudicia lege Gracchi translata essent, facile erat suæ societati fauendo vel ludificare locationem vel remittere, vel redemptionis parte reuelare: atque tali coitione pecuniam publicam depulari.

5. Ærarium locus erat in quo pecunia publica in ædo Saturni custodiebatur, quod triplex apud scriptores obseruatur. Vnum, in quo ciuium tributa ac sociorum vectigalia, & prædæ imperatorum condebantur, quo sumtus bellorum ordinarij sustinebantur. Alterum sanctius ærarium, in quo aurum vicesimarium, ex vicesima manumissorum collectum ad vltimos casus seruabatur. Tertium sanctius Gallicum, in quo pecunia Gallici belli causa reponebatur.

6. Vsucapionem intelligere videtur, qua in legitimum dominium iure ciuili ciuis Romanus per continuationem possessionis veniebat, in rerum mobilium anni tempore, immobilium biennij: ea tamen lege, ne vltra hoc tempus possessionis aut vsus interruptio, quæ vsurpatio dicebatur, fuisset.

ARGVMENTVM CAP. XIV. LIB. III.

Refert quid Ti. Gracchum ad tam pernitiosas Reipublicæ leges roganuas impulerit, & qua occasione perculsus, ab optimatibus duce Scipione Nasica cæsus fuerit.

COMMENTARIVS.

Cic. de Aruſpic. reſ. Plutarch. Appian.

Ti. Graccho inuidia Numantini fœderis, cui feriendo quæſtor C. Mancini conſulis cum eſſet, interfuerat, & in eo fœdere improbando Senatus ſeueritas dolori & timori fuit, iſtaque res illum à grauitate patrum deſciſcere ad equites & plebem coegit: de Mancini deditione in bello Numantino diximus.

Plutarch. in Grach.

1. Nati enim ſunt Ti & C. Gracchi fratres patre Tib. Sempronio Graccho, qui bis conſul fuit, bisq; triumphauit, & cenſoria ſeueritate cum C. Claudio Pulchro nobilis eſt: matre Cornelia femina lectiſſima, moribus ſanctiſſimis, P. Cornelij Scipionis, qui Annibalem debellauit, filia.

2. Agrum Romanum vocant ſcriptores, quidquid montium camporumq; extra vrbem Romanam ex omni arte ſociorum fines attingeret. Agros quos populus Romanus bello atque armis ademiſſet hoſtibus, eos ferè ſi culti eſſent, ciuibus diuiſerunt; ſi inculti, Italicis hominibus, atque adeò etiam plebi Romanæ percenſores locabant fruendos, ea tamen conditione, vt qui ararent, decimam frumenti, quintam ceterarum frugum partem ſoluerent: qui verò maiora aut minora pecora alerent, certum vectigal penderent. Cùm autem euenisſet vt incredibili locupletum impudentia atque libidine aratores antiquis pulſi poſſeſſionibus, quas diuites alijs temporibus alias ementes continuarunt, & P. R. vectigalibus annuis, & pauperes propriis alimentis eſſent exſuti, lex fuit ad auaritiam locupletum coercendam neceſſaria; quam Liciniam & Semproniam ſupra retulimus: Liciniam Gracchus auxit, ne fraus legi fieret: vt dimidium filijs tribueretur, quod reliquum eſſet, id pauperibus, qui nihil haberent, diuideretur. Quod ſi quis agrum emtione latius patefaceret, vt triumuiri quotannis ad id creati iudicarent, qua publicus, quà priuatus eſſet: eam legem Tiberij morte neglectam, iterum frater eius Caius retulit, quem cùm pariter patres interfeciſſent, lex iplorum conſilio lata eſt, qua agrorum venditio permitteretur, atque ita agri in diuitum à pauperibus ementium poteſtatem iterum redacti ſunt.

Lib. VIII. Plin. l. 16. Cic. Vati. Piſo. Mā.

3. Suggeſtum in foro ante curiam Hoſtiliam exſtructum, nauium ab Antiatibus captarum roſtris adornatum fuiſſe, Roſtraque ideo id templum fuiſſe appellatum, Liuius ſcribit. In roſtris magiſtratus ſedentes ius dice-

dicebant, & ibidem leges ferebantur, & conciones habebantur.

4. Tribuni plebis decem creabantur, quorum potestas maior semper erat in vetando, hoc est, intercedendo quàm iubendo: nam etiam si ceteri omnes rogationem alicuius legis ad populum ferrent, vnius tamen Tribuni intercessio, ne lex illa perferretur, impediebat: cùm itaq; M. Octauius collega diuersæ partis studiosus Graccho intercederet, ille in eum furorem exarsit, vt nouo exemplo ei potestatem lege lata (nihil enim collegam, quod alij scribunt, violauit,) adimeret, aliumq; in eius locum suæ factionis hominem Q. Mummium surrogaret, atque hac ferocia multum plebis animos à Graccho alienatos fuisse inuenio.

5. Triumuiros, qui agros plebi lege sua diuiderent, quique quotannis crearentur, vt iudicarent qua publicus, quà priuatus ager esset, lege sanxerat, seq; & Caium fratrem, & Appium Claudium socerum primos triumuiros creauit. Imperium nimis impropriè pro tribunatu dixit: est namque imperium belli gerendi potestas populi iussu alicui commissa.

6. Scipio Nasica cum segniter P. Mucius ageret, & seditio gliscceret, seq, se iussit qui Rempublicam saluam vellent, atque ita auctore Scipione à nobilitate in Capitolio Gracchus occisus est, ictus fragmentis subsellio-rum, & inter alios, qui in eadem seditione cæsi erant, insepultus in Tiberim à Lucretio ædili, qui inde Vospillo cognomen inuenit, proiectus est. P. Mucius arma, quæ priuatus P. Scipio sumserat, ea, Ti. Graccho interemto, iure optimo sumpta fuisse defendit.

ARGVMENTVM CAP. XV. LIB. III.

C. Gracchus assertor legum fratris sui, seditionem monet, & Opimij consulis opera occisus est.

COMMENTARIVS.

C. Gracchus decennio post fratris cædem Tribunatum plebis capit, & seditiosis legibus latis Rempublicam biennio perturbat. Cum Minucius Rufus tribunus plebis Gracchi leges, qui iam tribunatu abierat, abrogaturus esset, occupatum est ab vtraq; parte Capitolium: in

ea turba Atilius. Opimij consulis minister, Senatus eius cæde grauiter offensus, mandat L. Opimio consuli vt videat ne quid Respublica detrimenti capiat : ita Opimius postridie armato Senatu atque equitibus in forum descendit. Gracchus ac Fulvius Flaccus, is qui ante de Gallis triumphauerat, cum suis Auentinum obtinuerunt. Cum de conditionibus pacis frustra per Fulvij filium legatum actum esset, Gracchus ab Opimianis Auentino armis pulsus vna cum Fulvio & duobus eius filijs interfectus est, caput eius ad Opimium delatum auro redemtum est. Sunt qui Gracchum Philocratis serui sui manu confectum scribant. L. Opimius, etsi crudelissime in Gracchanos sæuisset, & ob id à P. Decio tribuno pl. accusaretur, tamen cum Populus Romanus semper periculo liberauit: sed cum postea muneribus à Iugurtha Numidiæ rege corruptus populi Romani maiestatem imminuisse accusaretur, eius sæuitiæ memoria adhuc eadem inuidia deflagrans, iudicio publico condemnatus, in exsilio & ignominia Dyracchij consenuit & mortuus est.

1. Errat in eo Florus, quod caput huius Gracchi sacrosanctum vocat, iam enim tribunatu abierat Gracchus, quare abdicato magistratu sacrosanctus esse desierat.

Plutarch. Plin. l. 33. Promulgatum erat si quis Caij caput adferret, quod æquale auri pondus ipsi de publico rependeretur. Septimuleius itaque eius familiaris illud pilo transfixum ad Opimium consulem retulit, plumboque in cerebri detracti locum infuso, ita vt septendecim librarum & semissis penderet, parricidio etiam suo Rempublicam auaritiaque circumscripsit.

ARGVMENTVM CAP. XVI. LIB. III.

Appuleius Saturninus tribunus pleb. ad Gracchi leges sanciendas etiam Senatum iuramento coegit. Metellum cum iurare in eius legem recusaret, in exsilium pellit: eius tandem furores à Mario VI. consule Senatus consulto repressi sunt, ipseq; cum suæ factionis hominibus occisus est.

COMMENTARIVS.

L. Appuleius Saturninus dolore factus est popularis, quia in annonæ caritate quæstorem se à frumentaria pro-

procuratione senatus amouerat, cepit itaque tribunatum plebis Mazio III. consule, atque eius potissimum opera consul IV. factus est. Cùm Saturninus à Q. Metello Numidico censore, Senatu ob vitæ dedecora motus esset, eam ignominiam vlturus tribunatum plebis Mario V. consule petijt iterum, atque nouem iam creatis tribunis cùm ipsi candidato A. Nonius competitor obstaret, vt eius cæde occupandi tribunatus facultatem adipisceretur, eum è caupona, in quam ipse confugerat, extractum, auxiliante C. Mario v. consule interfecit, & tribunatum plebis occupauit. Cic. de Resp. Arusp. Plutarch. in Mario.

1. Quinctium quendam, qui se Gracchorum fratrem ob oris similitudinem mentiebatur, Q. Metellus vt infitium censu, contra vim incitatæ multitudinis prohibuit, eum Saturninus quia populo gratum ob Gracchorum memoriam sciebat, sibi collegam tertio quem ceperat tribunatu, cooptauit, quem primo magistratus sui die perijsse in seditione inuenio hominem sine tribu, hoc est, seruum, aut, vt alii scribunt, fugitiuum. Libertini enim tribum habebant Esquilinam, aut quamcunque Vrbanam, in qua censebantur: sine nomine, hoc est, ignobiles obscuri. Cic. Sext. Valer. l. IX. Appian. de bel. ciuil. DXXCV.

2. In tribunatu secundo legem ex Marij V. consulis auctoritate promulgauit Saturninus, vt quem agrum Marius in Gallia, pulsis Cimbris, armis vindicasset, is populo Romano diuideretur, in eamque vbi à populo accepta esset, à singulis senatoribus iurari voluit; qui non iurasset, ei XX. talentorum multa irrogauit; Metello in popularem legem iurare nolenti, cum a bonis ciuibus defenderetur, ne cædes eorum fieret, maluit de ciuitate quàm de sententia discedere. profecto ei C. Marius consul aqua & igni interdixit, atque captatam hucvsque vltionis occasionem Saturninus exercuit. Metellus Smyrnæ exulauit, sed proximo anno ab exsilio ingenti ciuitatis fauore restitutus est. M. Antonio & A. Postumio Coss. anno DCLIV. In frumentariæ etiam legis rogatione Q. Cæpionem, cum quæstor vrbanus esset, Saturnino restitisse, scribitur ad Herennium. Epit. LXIX. Cic. post Red.

3. Saturninus cum III. tribunus plebis designatus esset, C. Memmium consulatus competitorem, quem actionibus suis aduersari iudicabat, interfecit, vt C. Seruilium Glauciam prætorem vrbanum, suæq; factionis studiosissimum, consulem crearet. Qua audacia commotus Senatus Mario mandauit, videret ne quid Respublica detrimenti

menti acciperet, quo Senatusconsulto difficillimo Reipublicæ tempore plena imperij potestas consulibus tradebatur, itaque Marius Glauciam prætorem, Saturminum tribunum pleb. & Saufeium quæstorem armis in Capitolinum compulsos obsedit, ac incisis aquæ fistulis, ad deditionem compulit, & contra fidem omnes vno die interfecit. Saturninum à C. Rabirio senatore occisum, & eius caput per conuiuia circumlatum esse, auctores habeo. Quare postea Perduellionis à T. Labieno accusatus, cuius patruus Q. Labienus cum Saturnio occisus fuerat, à Cicerone tunc consule defensus est, & populi iudicio absolutus.

4 Quibus aqua & igni interdictum erat, ijs pœna exsilij etsi non nomine, re tamen ipsa irrogabatur; siquidem earum rerum vsu priuati, quæ maxime ad vitam sustentandam sunt necessariæ, abire ab vrbe cogebantur.

ARGVMENTVM CAP. XVII. LIB. III.

DRusus dum iudicia inter Senatores & Equites communicare, & socios ciuitate donare contendit, vtrumque ordinem non sine magno motu offendit, & incerto percussore in turba occiditur.

COMMENTARIVS.

M. Liuius Drusus vir nobilissimus, eloquentissimus & sanctissimus, eo consilio tribunatum plebis cepit, vt summa ope niteretur pro optimatibus, quorum opes Gracchanis legibus fractæ erant; legem itaque rogabat, qua communicato inter senatores & equites iudicio, ordine in concordiam redigeret sed collegarum improborum intercessione impeditus, senatorum inconstantia & leuitate deceptus, quando bene cœpta male cedebant, conuertit animum ad dandam Italiæ ciuitatem, quàm promissam cum præstare non posset, Latinis propterea ac senatui, & equitibus ob latas leges infensus, in atrio domus suæ incerto percussore, quem tamen C. Varium Cicero nominat, occisus est: & nihil de eius morte populus consultus, nulla quæstio à senatu discreta est, inuidia cædis apud Philippum & Cæpionem fuit. Liuium etiam Drusum hoc in tribunatu suo octauam partem æris argento miscuisse Plinius scribit, lib. 33.

De natura Deorum III.

1. Vario apud Nonum in dictione, Biceps, eisdem fere verbis citatur: Grachus senatu iniquus equestri ordini iudicia tradidit ac bicipitem ciuitatem fecit, discordiarum ciuilium fomitem. Pertulit eam legē C. Gracchus deiecto ab intercessionis auxilio senatu, & conscientia ignominiæ & infamiæ, qua ob iudicia corrupta flagrabant, quod Aurelium Cottam, Salinatorem. M. Aquilium repetundarum reos captis pecuniis aperte absoluissent. Narrant autem Gracchum accepta hac lege dixisse, se penitus neruos senatorij ordinis incidisse: quod vere ab ipso vsurpatum fuisse res postea comprobauit: nam iudiciorum auctoritate à senatoribus translata, equites de ciuibus Romanis, Italicis, & Senatoribus ipsis iudicabant, multam ignominiam, exsilium irrogabant: quare eos vere dominos optimatibus proposuit. Equites etiam cum tribunis pl. conspiratione facta in comitijs coibāt, atque ab ijs omnia quæ vellent impetrabant, atque ita Rempublicam vniuersam in potestate habebant, senatus dignitate sola eaque eneruata, equester ordo potentia & opibus florebant. Appianus

2. Metellum à Saturnino in exsilium fuisse pulsum iam diximus. P. Rutilius Rufus, qui consul fuerat cum C. Manlio anno dcxlviij. vir innocentissimus lege repetundarum interrogatus, & conspiratione equitum qui tunc iudicabant, ex inuidia, condemnatus est: quod cum Q. Mucio Scæuulæ in Asia legatus fuisset, Asiaticos à publicanorum (qui equites erant) iniurijs defendisset, quare omnes ciuitates Asiæ, legatos fecessum eius opperientes, & ad se vt veniret inuitantes, obuiam miserūt: à Sulla etiam reuocatus, longius, ne quid contra leges faceret, in exsilium recessit. Smyrnæ eum exulasse in Bruto scriptum est. Velleius, Asco. in Diuinar. Epit. 70. Seneca. Val. Max. Cic. Brut.

3. Q. Seruilius Cæpio consul anno dcxlviij. legem tulit, qua senatoribus & equitibus inter se communicata sunt iudicia, quam Seruiliam Cicero vocat, at idem equitum animos propter iudiciorum communicationem à Cæpione alienatos affirmat. Eam tamen legem aut non acceptam, aut non obseruatam, aut paulo post, cum publico iudicio Q. Seruilius Cæpio ob rem male cū Cimbris gestam damnatus esset, abrogatam esse verisimile est: alioquin quid opus erat, quod eam Drusus post annos quindecim denuo referret? Inter Cæpionem & Drusum ex annulo in auctione venali inimici- In Bruto oratore.

ejas cœpisse, vnde origo socialis belli. Plinius lib. 33. scribit, At hic Cœpio ab illo alter est : hic enim eiusdem cum equitibus factionis & popularis, ille nobilitatis & optimatium studiosus : hic proximo anno sociali bello à Popedio circumuentus, & cum exercitu cæsus creditur.

dclxxxvi.

4. Ambitus siue ambitionis accusabantur, quicunque honores malis artibus affectabant : quod crimen apud Romanos variis legibus coercitum est. seuera erat Calpurnia consularis, quæ pecuniariam quoque pœnam habebat, cui postea derogatum est, etsi abrogata non fuerit. Præmium accusatoribus erat, vt, si ambitus ipsi damnati essent, aliorumque eodem in genere culpam demonstrassent, ij in integrum restituerentur. Aut quod si accusator magistratum in iudicium vocasset, eiusque culpam iudicibus probasset, reus magistratum amitteret, accusator in eius locum, si per ætatem & leges licebat, sufficiebatur. Aut tribus permutationem accusator petebat, si modo ea tribus, in qua reus censebatur, nobilior esset, quàm tribus accusatoris. Lex Tullia consularis etiam ambitus condemnatis decennio aqua & igni interdicebat. Aufidia tribunicia, hoc à cæteris noui habebat, vt qui nummos in tribu promisisset, si non dedisset, impune esset : sin dedisset, vt is quoad viueret, singulis HSIII M. deberet. Lex Iulia pœnam capitalem sanxit qualem Polybius Romæ suo tempore fuisse testatur, vel ex more, vel ex lege. Cum itaque coss. quinque ferè menses antequam inirent, designarentur (designabantur enim Iulio, inibant sequenti Ianuario) eo fere tempore per competitores, ob prædicta præmia de ambitionis crimine in ipsos inquirebatur.

Pro Cluentio.

Pro Balbo.

5. Ambiguum est quem de familia Scaurorum designet: Cicero M. Aimilium Scaurum ambitus à P. Rutilio, consulatus sui competitore, accusatum & absolutum fuisse : eundemque Rutilium à Scauro viciſſim ob idem crimen in iudicium vocatum fuisse scripsit : eundem senatus principem & à Iugurtha muneribus corruptum Sallustius testatur. M. Aurelium Scaurum suffectum fuisse collegam Sulpicio Galbæ, cum illius collega antequam iniret, mortuus scribatur, & istum, cùm legatus C. Manlio consuli contra Cimbros esset, captum, & à Bolo Cimbrorum rege, cum a eis in consilium euocatus, deterreret eos, ne alpes transiret in Italiam degressuri,

In Bruto.

dcxlv.

Epi. lxvij

greſſuri, quod diceret Romanos vinci non poſſe, occiſum. De hoc ne an illo Scauro loquatur, mihi adhuc incertum eſt: nam Scaurum à Cæpione pro M. Scauro repetundarum reum fuiſſe factum ob Aſiaticam legationem, ſcribit Aſconius, non ambitus.

6. Q. Marcium Philippum poſtquam calamitate ſua ceſſiſſet Vrbe, Nuceriæ ciuem factum eſſe Cicero ſcribit: licebat enim reo, antequam ſententia perferebantur, exſilio ſponteneo publicum iudicium ſubterfugere. An de hoc Philippo Florus loquatur, mihi adhuc incertum eſt. De L. Philippo, quem paulo poſt conſulem Druſi iuſſu violatum inquit, non poſſe intelligi, ex Ciceronis Officijs manifeſtum eſt: quia ille gloriari ſolebat ſe ſine vllo munere omnia adeptum eſſe, quæ haberentur ampliſſima, quæ gloria cum ambitione ex diametro pugnat. Pro Corn. Balb.

7. Leges ſunt rogationes, quas populus Romanus vniuerſus, conſulibus, vel alio patricio magiſtratu rogante, iuſſit Plebiſcita, quas plebs tributis comitijs ſine patribus, tribuno pleb rogante ſciuit. Plebiſcitorum nomen cum legarum auctoritate fuiſſe confuſum poſt Hortenſiam legem, qua ea quæ plebs ſciuiſſet, omnes Quiritες tenerent, ſancitum erat, ex ſcriptoribus manifeſtum eſt: at locus poſtulat, vt ea quæ de legum ferendarum more ex veterum auctoritate obſeruamus, hoc loco adferamus. Legitimæ rogationes habebantur, & quando legem laturus magiſtratus, domi etiam ſcribebat, & cum peritis conſultabat, ne quid contra populi rem aut voluntatem ſanciret, ne pugnantia capita ſimul ferret, neue quid, quod vetus aliqua lex iuſſiſſet, ſi ferretur, infirmaret (abrogabat tamen lex noua ſi perferretur veteri, præterquam ſacratis) ne curationem, poteſtatem, commodumue aliquod ipſe ſibi ſua lege, aut collegis, cognatis affinibus mandaret, ne pluribus de rebus, quæ non eiuſdem generis eſſent, vna rogatione perferretur. Scriptam ita legislator Reipubl. ſtudioſus antequam promulgaret, ſenatum conſulebat, popularis vero contenta ſenatus auctoritate, legem rogabat. In publico inde ponebatur lex, hoc eſt, promulgabatur, eo conſilio, vt inſpiceret qui vellet, & iudicio ſuo diſquireret, non ſolum vt intercederet antequam ferretur, verum etiam an antiquanda an iubenda ſibi ſuo ſuffragio videretur, aut legislatorem de corrigenda, vel non roganda lege moneret. Spatium promulgationis Licinia Æbutia, Cecilia. Didia. Dionyſ. Cic. Phil. 5 pro domo ſua.

nis erat trinundinum, hoc est, per trinas nundinas: cum enim nundinarum causſa ex agris ciues in vrbem conuenirent, per trinundinum leges patere, vt à ruſtica plebe ter legi cognoſcique poſſent, voluerunt. Poſt tertias nundinas magiſtratus populum conuocabat: ibi cum legem præco ſubijciente ſcriba recitaſſet tum quidē primum qui legem rogabat, populo ſuadebat, vt rogationem acciperet, ſed poſt eum alij: primum priuati, permittente magiſtratu, (nec enim aliter concionari priuatis licebat) inde magiſtratus, ne ſi priuati eos, qui magiſtratum gerebant ante audiſſent ab ijs diſſentire auderent: tum quidem ſi qui legi intercedere, (quod proprium tribunis pleb. erat) hoc eſt, vetare ne perferretur, vellent, potuerunt, dum ſi tella deferebatur, dum æquabantur ſortes, dum ſortitio fiebat. Tribubus vel centurijs in ſortē conjectis, quæ prior exibat prærogatiua dicebatur, populo tabellæ binæ diſtruebantur, quarum altera quæ abrogabat legem A. hoc eſt, antiquo, id eſt, antiqua volo noua non probo: altera V. R. hoc eſt, vti rogas, habebat. Atque cum centuria ſiue tribus tabulam pro ſua quiſque voluntate in ciſtam conieciſſet, ſuffragia in vtramque ſententiam dinumerabantur, numeruſque eorum punctis notabatur, vnde eius centuriæ vel tribus ſententia dignoſcebatur, eaque à præcone renuntiabatur: & eadem in reliquis tribubus aut centurijs ſeruata, ex maiore tribuum centuriarumue numero vel antiquabatur lex, vel ſciſcebatur: accepta omnium ciuium iureiurando confirmabatur, & in æs incidebatur, & in ærarium ferebatur, legique nomen factum eſt à gente legislatoris. Cōtra ſi qua lex rogata eſſet, ea ex ſenatuſconſulto à populo abrogabatur.

3. Abrogare hoc loco pro obnuntiare poſitum eſſe nullo exemplo videtur: obnuntiare enim conſul tribuno, non intercedere poterat. Obnuntiabat autem qui cōtra auſpicia aliquid fieri, vel ex augurum monitu, vel quia populo adſuffragia diſcedente fulgur aut tonitru obſeruatum erat) nuntiabat, quod ſolum magiſtratui licebat. At à Philippo conſule fuiſſe Liuio Druſo obnuntiatum, ex eo veriſimile eſt: quod is à Senatu ſtatim poſt mortem Druſi obtinuerit, quod Liuiæ leges omnes vno ſenatus conſulto tollerentur: nempe huiuſmodi legibus non videri populum teneri ſenatus decernebat, quæ cōtra auſpicia latas eſſe augures monuiſſent.

4. Tribunorum plebis, in priuato, vel in magiſtratu aliquo

aliquo ad concionem ad populum admittendo, vel ab eadem prohibendo tanta potestas erat, vt non solum de rostris concionantem, sed etiam de curru triumphantem detrahere tribuni pleb. licuerit, vel etiam ad supplicium si liberet ducere propterea quod cui vellet manus inijcere sacratis legibus poterat: ipsi cum sacro sanctus esset, nemo poterat.

ARGVMENTVM CAP. XVIII. LIB. III.

Italici toties promissa ciuitate delusi, quod legibus Fuluia & Liuia obtinere non poterant, hoc armis vindicare conantur.

COMMENTARIVS.

Bellum hoc triplici nomine dictum apud scriptores inuenio, Sociale: quia cum socijs populi Romani gestum est Marsicum: quod à Marsis primo commotum. Italicum: ab Italica vrbe, quo nomine Confinium dictum est, quia illo pro arce & concilij loco Itali hoc in bello cõtra Romanos vtebantur. M. Fuluius Flaccus consul ad spem ciuitatis donandæ primum socios erexerat. hoc est, vt perrogata quam promulgauerat lege, tribum & honorem petitionem consequerentur: atque Fuluius ægre compulsus est, vt in curiam veniret, deinde partim monenti, partim oranti senatui, vt ab incepto Reipublicæ tam pernicioso desisteret, responsum non dedit: quare decreta ei prouincia Gallia, senatus illum ab eo consilio auocauit, ipseque cum triumpho domum reuersus, se socium C. Graccho adiunxit, cum quo in eadem seditione à L. Opimio, vt dictum est, occisus fuit. Liuius Drusus eandem legem perferre conatus est: sed ei ciuium, in quod incurrerat, odium impedimento fuit. Ergo Italici bis tanta spe dejecti, facta inter populos coitione aduersus populum Romanum coniurarunt: quare populus Romanus saga sumpsit, ac bellum aduersus Italicos iussit, Sexto Iulio Cæsare & L. Marcio Philippo coss. anno Dclxii. Dcxxx. Dcxxxii.

1. Municipiorum duplex apud Romanos scriptores genus inuenio primum quod iure suo vteretur, & tantum munus honorarium inter ciues Romanos obiret, hoc

hoc est, honoris causſa in legione ſtipendium faceret, vt ciues non vt ſocij in auxilii s: illaque municipia ſine ſuffragio dicta ſunt. Alterum genus municipiorum fuit eorum, quibus cũ ſuffragij latione ciuitas est data, hoc est, quib. honores dare & petere licebat: ſed illi legibus ſuis ſpoliabantur, Romanis obſtringebantur: huic municipalia prodigia vocat duces Italici belli ex municipijs oriundos.

Lib. VII. 2. Latinarum feriarum, vel Latinorum ludorum originem, pompam, & cæremonias Dionyſius late deſcribit Conſules die initi magiſtratus, Ioui Opt. Maximi templum adibant. Latinus indicebant, ad diem condictam feriás celebrabant, Ioui Latiali ſacrum ſolenne in monte Albano faciebant.

3. Aſculanum ciuem pro obſide Italici fœderis ductum in vrbem aliam, quidam indicauerat Seruilio Cœpioni pro conſule agenti in Apulia, qui propere oppidum ingreſſus, Auſculanoſque ſolenne patrum celebrantes minis deterrere conatus, ab eis interficitur, quod defectionem proditam intelligerent: ſimulque Fonte ius eius legatus, & quotquot erant Aſculi ciues Romani, atque bona eorum direpta ſunt. Itaque aperta iam coniuratione omnes arma corripiunt, Marſi, Peligni, Veſtini, Marrucini: eos ſequuntur Pincentes, Frentani, Irpini, Pompeiani, Venuſini, Appuli, Lucani, Samnites auiti hoſtes, Latini, & quidquid populorum vltra Lirim vſque ad ſinum Adriaticum habitabat. Vtrimque armantur copiæ ad centum millia hominum, & à populo R. vtrique coſſ. T. Cæſari & Rutilio Lupo imperium datum eſt.

4. Q. Popedium Silonem huius belli ducem fuiſſe Appianus etiam & Orosius teſtantur, qui dum transfugæ fidem magna fraude ſibi præſtruxerat, cum maiore perfidia Cæpionem in inſidias cum comitatu ſuo pertractum occidit. Popedij exercitum Cæcilius Metellus adortus prælio vicit, in quo etiam ipſe Popedius cæſus est.

5. Licinius Craſſus Cæſaris legatus à M. Lamponio Italicorum duce, octingentis ex eius exercitu occiſis, fuga in Grumentum Picentinorum oppidum compulſus est.

6. P. Rutilius Lupus conſul vna cum C. Mario legato duos pontes non longe inter ſe diſtantes ſuper Lirim conſtruxerat, ad traijciendas copias, quibus Vetrius

Cato

Cato Marsorum dux sese cum exercitu opposuit: cumque propius ad Marij pontem mouisset, insidijs noctu circa P. Rutilij traiectum, quem ipsi permisit, disposuit. cæsis itaque multis, multos in flumen præcipites agit. Rutilius consul in capite saucius, paulo post ex vulnere moritur. Marius vbi eam cladem ex cadaueribus prono flumine ad sua castra delatis intellexit, properat ad hostium castra, eaque expugnat, & calamitatem acceptam castigat. Consulis cadauer in Vrbem relatum, magnum luctum ciuibus & consternationem attulit: quare Senatus consultum factum est, vt posthac defunctorum corpora ibi sepelirentur, vbicumque cecidissent. ita Appian.

7. L. Iulium Cæsarem consulem à Vettio Catone, cæsis M. M. in Aeserniam populi Romani sociam vrbem compulsum fuisse, Appianus scribit, eundemque copijs vndique contractis, contra Samnites feliciter pugnasse, & ob eam victoriam Romæ saga esse posita Orosius etiam testatur: quare hic alios esse secutum Annales Florum oportuit, qui ea de L. Iulio Cæsare scribit, quæ alij de Rutilio Lupo memoriæ prodiderunt, accedit ad crimination em Flori, quod Annales consulum, hunc Iulium Censorem cum Licinio Crasso in proximum annum nuncupent, & Rutilium Lupum in prælio occisum testentur. lib. 5. c. 17.

8. Etruscorum animos, dum moliuntur bellum, à Senatu Romano in amicitiam ciuitatis donatione fuisse præoccupatos alij scribunt, sed L. Porcium Catonem consulem rebus prospere gestis, fusisque aliquoties Marsis, dum castra eorum ad Fucinum lacum expugnat, fraude C. Marij, cuius patris victoriam Cimbricam Cato dicterijs extenuauerat, in turba occisum esse Orosius scribit. Appianus lib. 5. c. 1.

9. Gabinium aduersus Lucanos bene pugnasse, multa oppida expugnasse: sed dum castra illorum obsideret, interijsse, apud alios scriptores obseruaui.

10. Sulla legatus Samnites prælio fregit, & bina eorum castra expugnauit: ipse tot successibus inuitatus, & cum præturam etiam hoc bello feliciter gesto illustratus esset, consulatum in proximum annum petijt, eumqs honorem vnde quinquagesimo ætatis anno omnium pæne ciuium suffragio assecutus est.

11. Pompeius Strabo consul Picentes & Auseulanos, qui hoc bellum concitauerant, edomuit: cum enim diu obsedis-

obsedisset Asculum, erumpentem hostem vicit, decem & octo millia Marsorum cæsa, capta III. millia, Asculo occupato, præfectos, & centuriones, cunctosque principes eorum virgis cecidit, securique percussit, atque de Picentibus & Asculanis triumphauit, &, teste Appiano, de Marsis, cùm neque de Marsis, neque sine Marsis antea triumphasset. Hic Cn. Pompeius pater erat Cn. Pompeij Magni, ipse post biennium bello ciuili Cinnano fulmine ictus interijt, lectum eius populus diripuit, corpus vnco traxit. Hanc inuidiam sibi conflauerat, quia Q. Pompeium Rufum Sullæ collegam, ad exercitum ab ipso, quem aliquamdiu inuita ciuitate obtinuerat, accipiendum contendentem, seditione, quam ipse Strabo excitauerat, sacrificate incipientem adorti, in modum hostiæ mactauerant; & hoc primum anno & Strabone auctore, sanguine consulis Romanorum militum manus contaminatæ fuerunt.

Valer. Max. Velleius II. Dclxv.

ARGVMENTVM CAP. XIX. LIB. III.

Summatim seruilia bella recensetur, ab Vrbe liberata vsque ad annum DCLIV. quo in Sicilia per M. Aquillium proc. cum seruis debellatum est.

COMMENTARIVS.

Herdonius Sabinus conuocatis ad arma exsulibus, & seruis ad libertatem, Capitolium noctu occupauerat anno CCXCIIJ. quod dum Valerius Poplicola armis recuperat, cecidit; & Herdonius eo in prælio interfectus est: eodem etiam tempore laborabatur in Vrbe magno motu inter patres & plebem, C. Terentio Arsa tribuno plebis legibus in patrum seruitium promulgandis omni studio incumbente.

Liu. l. 3.

1. Tumultus propriè est ex subito bello tanta perturbatio, vt maior inde timor oriatur, dictus quasi timor multus. Tumultu ex Senatusconsulti decreto iustitium indicebatur, saga sumebantur, delectus sine vocationibus habebatur tam in Vrbe, quam in Italia.

Philip. 8.

2. Tres consules in Sicilia rem gessisse contra seruos inuenio C. Fuluium Flaccum: quo euentu tamen, quia rerum memoria hic perijt, parum compertum habeo L. Pisonem Flaccum successisse, qui octo millia seruorum inter-

Dcxix. Dcxx.

interfecit, quos cadere potuit, patibulo affixit. P. Rupilius Pisoni succesſit, qui cum fugitiuis debellauit, ac bello confecto prouinciam ordinauit. Hic igitur vitiose Perpenna pro P. Rupilio scriptum est. Dcxxi. Cic. Ver.

3. Ouatio minoris triumphi genus est, quod concedebatur imperatoribus, cum aut bella non rite indicta, nec cum iusto hoste gesta essent, aut cum hostium nomẽ humile indignum triumpho, vt seruorum piratarumque, videretur. Ouans nec curru vectus, nec trabeam, nec togam pictam indutus pedibus. Vrbem exercitu præeunte ingreditur, vt Dionysius (qui pedestrem triumphum vocat Ouationem) testatur: itidem Massurius Sabinus apud Gellium prodidit: sequentibus eos non militibus, sed vniuerso senatu. Myrtea coronatos fuisse, & vsos qui ouantes ingrederentur, vt qui triumphantes vehe rentur, laurea; Plutarchus, Plinius, Festus, Gellius testantur. Ouationem Plutarchus ab oue, quam immolabant ouantes, vt triumphantes in Capitolio taurum, dicta esse contendit. Gell. l. 5. Lib. V. Plutarch. in Marcello.

M. Aquillium consularem (fuit enim collega Marij V. consulis anno Dcl.) ouantem de bello fugitiuorum in Sicilia confecto, Capitolium ascendisse Cicero scribit. Hic postea legatus à Mithradate rege captus, atque per contumeliam excruciatus est. 11. de Oratore.

ARGVMENTVM CAP. XX. LIB. III.

Gladiatores Spartaco duce, aliquamdiu bellum dubio Marte gerunt cum Romanis, sed tandem à M. Crasso pro prætore debellantur.

COMMENTARIVS.

Gladiatores serui erant, qui in ludo suo à Lanistis pugnandi artem edocebantur, vt cum munus gladiatorium à magistratu ipsi populo ad voluptatem præberetur, tunc illi à muneratoribus redempti in arena depugnarent, ea quidem necessitate, vt vel aduersarium victum conficerent, vel ipsi conficerentur. idque toties donec vel ætate emeriti, vel sæpius victores libertate & missione digni haberentur, & rudea prætore donarentur, qua accepta ab omni depugnandi necessitate liberabantur. Causam tam atroci & funesti spectaculi populo

dati Iulius Capitolinis duplicem refert: vnam, quod ità hanc deuotionem contra hostes factam putarent, vt ciuium sanguine litato, specie pugnarum Fortunam satiarent: alteram & verisimiliorem, vt tam cruento spectaculo ciues Romanos assuefacerent, ne in prœlio similes casus exhorrescerent.

1. Lentulus quidem Barbatus magnam gladiatorum familiam Capuæ alebat, qui à quodam Spartaco Thrace persuasi, vt pro sua potius libertate, quam pro spectatorum voluptate dimicarent, effracta custodia, & armis, quæ viatoribus obuijs eripuerant: instructi. Vesuuium montem occuparunt. Eorum qui ab ergastulo eruperunt, numerum varij varie recensent. Plutarch. in Crasso

In ciuil. bel.

ὀγδοήκοντα δυοῖν δέουσας. Appianus ἑξδομήκοντα μονομάχους Liuius, Eutropius, Orosius lxxiv recensent.

Claudium Pulchrum legatum habet Epitom. 95. κλωδίου σφαγέα Plutarch. l. xxiv. gladiatores eo, quo noster Florus refert stratagemate à Clodij obsessione elapsos, eosque aliquot eius cohortes nec opinantes aggressos, loco pepulisse, testatur etiam Frontin. lib. I. cap. v.

3. I. Varinium Glabrum prætorem Spartacus magno prælio vicit, eiusque equo ornamentis, & lictoribus potitus est. Furium eius legatum cum duobus millibus profligauit; Cossinium alterum eius legatum apud Salinas lauantem ex inopinato fere oppressit, eiusque impedimentis & castris potitus, fugientemque exercitum assecutus, occiso Coloonio tudit fugauitque. Hic iam celebrior factus Spartacus, affluente vndique turba, exercitū LXX M. collegit.

4 Thurij vrbs Locrorum in sinu Tarentino ad Sibarim fluuium, antea etiam Sibaris dicta, vbi Herodotus historiam suam scripsit, & mortuus sepultusque est, Thucyd. lib. 5.

Appianus bel. ciuil. l. primo.

5. Crixus Spartaci socius ad Garganum montem à Gellio consule vna cum XXX. M. fugitiuis oppressus & occisus est, atque manibus eius parentauit Spartacus, trecentosque ex Gellij & Lentuli coss. exercitu captiuos Crixo inferias misit.

6. Muneratores & munerarij dicebantur qui ludos gladiatorios populo, emtis à Lanista gladiatoribus suo sumtu, exhibebant.

7. Cum Spartacus per Apenninum in Galliam properaret,

peraret, Gellius consul præoccupato itinere eum exclusit, Lentulus consul à tergo eius vestigijs inhærebat: sed ille singulos per occasionem aggressus repulit, quibus trepide fugientibus, eorum castris cum omnibus simul impedimentis potitus est.

8. C. Cassius Galliæ Cisalpinæ prætor circa Padum cum decem millium exercitu erat, qui Spartaco obuiam profectus, ac prælio commisso fugatus, & ægre lapsus est.

9. Mirmillones & Retiarij gladiatores erant, qui inter se in arena cõmittebantur. Retiarij dicti erant, quia reti varie suos aduersarios implicabant & capiebant.

ARGVMENTVM CAP. XXI. LIB. III.

Marius ambitione ardens, Sulla imperium per Sulpicium tribunum plebis abrogat. Sulla armatus Vrbem inuadit, Marium & eius factionem expellit, Sulpicium occidit. Cinna Marium exsulem reuocat, vterque crudelissimè Senatum lacerat Sulla ex Asia reuersus, omnium crudelitatem cruenta illa proscriptionis tabula superat.

COMMENTARIVS.

L. Cornelius Sulla natus familia nobili, sed iam maiorum ignauia extincta (sextus enim erat à Cornelio Rufino, qui bello Pyrrhi inter celeberrimos duces fuerat) diu ita se gessit, vt nullam petendi consulatus rationem habere videretur; deinde post præturam bello illustratus Italico, & ante in Gallia & Numidia legatione sub Mario, qua eminentissimos hostium duces fuderat, ex successu animum sumpsit, petensque consulatum, pænè omnium ciuium suffragijs anno ætatis vnde quinquagesimo consul creatus, Asiamque & Mitradaticum bellum sortitus est. C. Marius incredibili ardens eius belli gerendi cupiditate, P. Sulpicium tribunum pl. impulit, vt lege lata Sullæ (qui adhuc in Campania sociatis belli reliquias persequebatur) imperium abrogaret, atque in se transferret. Quam legem cum P. Sulpicius Q. Pompeio consule & Sullæ collega aduersante ita tulisset, vt filium etiam consulis Sullæ generum occideret:

Sulla irritatus Romam exercitum deduxit, & inimicis prœlio superatis, Vrbem ingressus, arcem Capitolinam tamquam victor insedit, atque ex Senatusconsulto xij. inimicos suos hostes iudicatos Vrbe expulit, inter quos P. Sulpicius legislator, serui indicio extractus è villa occisus est. Sulla deinceps statum ciuitatis ex sua sententia ordinauit.

Cic. Piso. 1. Marius pater fuga elapsus, cum equites Sullani ipsum insequerentur, vt vitæ suæ consuleret, se in Minturnensium paludes demerserat: inde equitum strepitu territus emergens deprehẽsus, & Minturnas abreptus est. Minturnenses eius dignitatem reueriti, ipsum dimittũt, & officijs fugientem prosequuntur: ille se in lembũ piscatorium conijcit, & inter nauigandum amicos aliquot colligens Meningem petit, cum hinc in Africam vela conuertisset, naufragus & exsul ab ea prouincia, vt hostis populi Romani, à prætore Sextilio (dum tantus imperator in ruinis Carthaginis fortunæ telis oppressus iaceret) prohibitus est. Ibi filium à Numidiæ regis insidijs vnà cum socijs elapsum recipit, & in Cercinam insulam nauigat. Cùm ibidem intellexisset Cinnam, qui suarum partium erat, & Cn Octauium consules nouis seditionibus turbare rempublicam, Cinnamque, consulatu ipsi per vim abrogato, eiectum, Italiam petit, & Cinnæ se coniungit, & reditu suo Senatum cunctum pæne deleuit.

Plutarch. in Mario. Appia. de bel. ciuil.

2. Alteram caussam huius seditionis inuenio, quòd cum ciuitas aliquot Italicis ita data esset, vt nõ in xxxv. tribus veteres noui ciues censerentur, sed in nouas alias decem conscriberentur, ne honorum ciuium multitudo ac potentia, veterum in comitijs auctoritatem labefactaret: Cinna tamen, vt ab Italicis gratiam iniret, vt se omnes in xxxv. tribus distributurum esse professus est: quo nomine ingentem ex tota Italia multitudinem Romam acciuit: cum autem hanc rogationem per vim perferre vellet, à Cn. Octauio collega, qui veterum ciuium caussam susceperat, per seditionem pulsus est, & cum ad solicitandas Italicas ciuitates circumiret, ex Senatusconsulto magistratu abdicatus est. In eius locum L. Cornelius Metula flamen dialis factus, qui capta Vrbe à Cinna & Mario cum se consulatu abdicasset, incisis venis, sponte vitam finiuit: nec alius flamen dialis intra annos duos & septuaginta suffectus est, teste Tacito libro quarto.

3. M. Antonius orator consul fuit cum A. Postumio Albino

Albino anno Dclv. Censor cum L. Flacco an. Dclvi. hunc Cicero vt eloquentissimum, prudentissimum, sapientissimumque virum vbique commendat, atque is eloquentiæ gloria omnes honores populi suffragijs assecutus est. Cum autem Mariani & Cinnani milites, vt ab ijs percussores ad M. Antonium immissi in eius cubiculum irrumperent, aliquamdiu sua eloquentia ipsorum mucrones in se districtos cohibuit: sed à superueniente Annio caput eius præcisum est, quod suis manibus inter epulas Marius per summam animi ac verborum insolentiam aliquam diu tenuit, & deinde in rostris exponi iussit.

4. L. & C. Cæsares fratres occisos esse Appianus refert, Atiliumq; Serranum Lucij germanum: item C. Numitorium, & M. Bæbium in via obuios esse trucidatos. P. Crassus in fuga filium interemit, ne veniret viuus in potestatem persequentium, quos ne ipse quidem effugere potuit.

5. Q. Catulus, qui Cimbrico bello Marij collega fuerat, dum sibi moriendum esse intellexit, vt se à ludibrio inimicorum vindicaret, in cubiculo suo recens calce illito, necdum perficcato, prunis ingestis sponte sua suffocatus est: atque ita triumæatum tres oratores, M. Antonius, Q. Catulus, C. Iulius crudelissime sunt interfecti. Cic. in Brut.

6. Plutarchus in Mario, ὅσοις ἀσπασαμένοις μὴ προσαγορεύσειε μηδὲ ἀνταπάσαιτο, τοῦτο αὐτὸ σύμβολον ἦν ἀποφθάτειν τοῖς ὁδοῖς.

7. Marius consul vij. renuntiatus, intra dies quã inierat tredecim, morbo laterali & phreneti consumtus est, cum ageret annum septuagesimum. Quarto etiam consulatu suo L. Cinna cum bellum contra Sullam ab Asia victorem reuertentem pararet, dum milites suos vt in Dalmatiam traijcerent per vim, vt Sullæ venienti occurreret, cogere vult, ob nimiam crudelitatem ab exercito suo lapidibus Anconæ concisus est Plutarc. ita: Cn. Pompeius, qui postea Magnus appellatus est, iuuenis in castra Cinnæ venit, à quo cum esset falso crimine notatus, clam fugit: eo nusquam comparente, creditum est eum à Cinna fuisse interemtum, itaque qui vetere Cinnæ odio imbuti erant, cum impetu facto occiderunt.

8. Sulla compositis transmarinis rebus in Italiam cũ xxx. millibus armatorum aduersus cc. millia & amplius hostium Brundusij appulit, atque hoc in bello insignem

animi fortitudinem ostendit, quòd dum per triennium Cinnanæ Marianæque partes Italiam obsiderent, eius vxorem, familiamque vix fuga seruatam vrbe eiecissent, bona publicassent, atque domum eius diruissent: tamen sibi frangendum hostem prius, quàm inimicos ciues vlciscendum existimaret, nec interea se ijs bellum illaturum dissimulauerit Q. Metellus Pius & Cn. Pompeius Strabonis filius cum parte exercitus se ad Sullam contulerunt: missis legatis qui de pace agerent, ijsque ab consule C Norbano violatis, Sulla ad Canusium cum signa confert: desiderata sunt ex Norbani exercitu vi. M. ipse Capuam fugit.

9. L. Scipio alter consul, dum spe pacis à Sulla duceretur, interea per Sullanos eius exercitus sollicitatus, signa ad Sullam deserto consule transtulit. Scipio & filius cum interimi possent, incolumes dimissi sunt. L. Scipio fluctibus Reipubl. ita expulsus, Massiliæ postea in exsilio vixit, & à Sulla inter proscriptos relatus est.

10. Marius iste, filiusne Marij vii. consulis, an nepos fuerit, ex auctorum ista tradentium varietate mihi incertum est. Appianus fratris Marii filium xxvij. annos natum, cum consul crearetur, fuisse scribit: sed Velleius) Plutarchus, Eutropius, & alij C. Marij filium prodiderunt, quo nomine etiam in Capitolinis tabulis vocatur, fortasse per adoptionem, ipse à Sulla non procul à Prænestæ ad Sacriportum prœlio superatus fugit, & fune in mœnia subductus est. Sulla Prænestæ circumuallauit, atque obsidioni Lucretium Offellam præfecit Marius, cum Prænestini se dedidissent, per cuniculũ captabat euadere, sextus undique ab exercitu, mortem sibi consciuit, cum Pontio Telesino fugæ comite stricto vtrimque gladio concurrens: quem cum occidisset, ipse saucius à seruo impetrauit, vt se occideret: eius caput ad Sullam missum pro rostris positum est atque Sulla hac victoria elatus, Felicem sese deinceps cognominari voluit.

11. Cn. Papirius Carbo cum iterum consul cum Cinna iv. consule esset, ne quem collegam sibi in Cinnæ à militibus suis cæsi locum sufficeret, auspicijs sæpe impeditus fuit, atque ideo solus per totũ annum consulatũ gessit; proximo deinde anno tertium consul cum C. Mario creatus, à Metello Pio non procul à Fauentia superatus, copijs suis spoliatur, ipse in Siciliam fugit, ibi à Pompeio captus, cum muliebriter etiam fleret, interfectus est.

12 Marij consulis iussu L. Damasippus, vel, vt scribit Appia-

Appianus, Brutus, Prætor vrbanus cum Senatum vocasset, omnem quæ in Vrbe erat nobilitatem trucidauit: inter cæteros P. Antistium Cn. Pompeij socerum, C. Papirium Carbonem consulis fratrem, L. Domitium, & Q. Mucium Scæuolam Pontificem Maximum, fugientem in ædes Vestæ, in vestibulo occidit, omnium cadauera in Tiberim proiecta sunt.

13. Villa publica domus amplissima erat in campo Martio, in quo hostium legati, quibus in Vrbe hospitium non concedebatur, recipiebantur, & de publico alebantur vij. millia, peditum Sullæ iussu in ea iugulata esse D. Augustinus scribit. Valer. Max. quatuor in legiones villa publica fuisse trucidatas numerat, Liu. 8. milliaPlutarch. vi. millia. De ciu. Dei, li. 3. ca. 28. lib. 9. c. 2.

14. Sulla debellatis inimicis, cum Vrbem per suos milites occupasset, proscriptionis calamitosissimæ inuētor fuit, qua præmium percussoribus proscriptorum duo talenta constituit; latentiumque indicibus, & pœnam eandem abditos cælantibus interminabatur. Senatores primum octoginta, equites MDC. proscripsit, & omnium proscriptorum filios honorum iure lege lata priuauit, aditumque ijs in Senatum obstruxit, ac vt suam tyrannidem maxima potestate confirmaret, se Dictatorem perpetuum dici per L. Flaccum interregem curauit: atque cum per annos tres multa hominum millia morte, multa, atque omni contumeliarum & iniuriæ genere acerbissime vexasset, Italiam & totam Rempubl. rerum nouarum studio perturbasset, demisso à se publico præsidio, palam in foro dixit, se omnium à se gestarum rerū paratum esse rationem reddere, ipse proximo à Dictatura abdicata anno ex pediculari morbo perijt annos natus sexaginta, magnus eius funeri honos habitus est, atque ipse in campo Martio, frustra repugnante Lepido consule, sepultus est.

ARGVMENTVM CAP. XXII. LIB. III.

Q. Sertorius proscriptus in Hispania vlteriore insurgens bellum mouit, sed domestica fraude octauo demum anno occisus est.

COMMENTARIVS.

Q. Sertorius desperatis Marianorum rebus in Hispania vlte-

vlteriorem, quam prætor sortitus erat, profectus est. C. Annius à Sulla Dictatore in Hispaniam missus, Sertorius primum Carthaginem nouam, inde in Mauritaniã, con pulit: post cum corecedente in Pityusam insulam, nauali prælio decerrauit. Sertorius tempestate ad Gades delatus, voluntatẽ cepit naui gandi ad insulas fortunatas, quæ in Atlantico Oceano extremæ versus occidẽtem credebãtur: sed bello Mauritanico, quo Cilices piratæ Mauritaniæ regem dare vellent, auocatus est; & inde victor in Lusitaniam reuersus, eam ad bellum impulit, atque armauit, & vt multorum animos sibi religione quadam astringeret, in castris ceruum album tamquam Dianæ donum nutriebat, per quem nocte sibi omnia quæ gererentur, in somnis nunciari simulabat.

1. Sulla Dictatore consulem Q. Metellum Pium in Hispaniam contra Sertorium misit, qui vel ætatis vel morum vitio nihil præclari cum Sertorio gessit. L. Domitius eius legatus ab Herculeio quæst. Sertorij victus & occisus. Itidem Manilius proconsul è Gallia in Hispaniam cum tribus legionibus & mille ac quingentis equitibus tranigressus infeliciter cum Herculeio pugnauit, castrisque exsurus in oppidum Ilerdam pene solus refugit.

2. Cum Q. Metellus impar aduersus Sertorium videretur, visum est Senatui, Cn. Pompeio priuato adhuc & equestri extra ordinem imperium in Hispaniam dare, qui Gallis ipsius iter in Hispaniam prohibentibus, iter eorum internecione patefecit primum impetum Sertorij victoris nouis quidem militibus, & multo paucioribus numero ad Lauronem sustinuit. Lauronem Sertorius inspectante Metello accendit.

3. M. Perperna Lepidi partibus, eo in Sardinia mortuo, fractis, magna cum exercitu ad Sertorium venerat: Sertorius & Perperna comungunt copias: iste cum Metello congressus, fusus fugatusque est, ille Pompeium vicit, & in femore vulneratum profligauit: iterum ad Segunti. m Sertorius Pompeium, Metellus Perpernam fudit, tertio cum se in Metellum Sertorius intulisset, superueniente Pompeio recessit; ac laboriosissimo bello, ægre tandem repulsus est Sertorius: eius quæstor L. Herculeius à Metello cum omni exercitu concisus est.

4. Perperna Sertorio ex coniuratione domesticas insidias struxit, epulantem & accubantem confodiunt. Perperna exercitum Sertorij occupauit, & proelio cum Pompeio,

Pompeio congressus, victus est; dum fuga salutem quæ-
rit ab equitibus suis ad Pompeium vt percussor erroris
retractus est: atque dum vociferetur multa se habere,
quæ ad Reipublicæ salutem pertinerent, Pompeio indi-
canda: epistolas enim eorum nobilium habebat, qui Ser-
torium ad inuadendam Italiam inuitauerant. Pompeius
statim conquisitas omnes epistolas, ac ne lectas quidem
aut inspectas combureri iussit: quo facto laudem inuenit,
& multos à metu. Vrbem à nouo motu eripuit: ipsum
perpernam, antequam indicium alicuius rei effutiret,
occidi iussit.

5. Calaguris Vasconum in citeriore Hispania oppidum Valerius
tam pertinaciter Pompeio restitit, quod etiam vxores Max.
suas natosque in alimenta mouerint, & cadauerum re-
liquias lacerint. Hoc bellum etsi cum Romanis imperato-
ribus gestum est, tamen quia cum Hispanis militibus
pugnatum est, externum potius quam ciuile est habi-
tum. Metellus & Pompeius de Hispania triumpharunt,
sed Pompeius hoc triumpho adiutus eques Romanus, ante
diem quam consularum inita curia Vrbem inuectus est
pridie K. Iend. Ianuar. DCXXCI.

ARGVMENTVM CAP. XXIII.
LIB. III.

Marcus Lepidus dum Sulla leges abrogare conatur, nouo motu perturbat Rempublicam: ipse profligatus, in Sardinia animi ægritudine perit.

COMMENTARIVS.

M. Aimilius Lepidus consul cum Q. Catulo creatus,
legem de actis Sullæ iam mortui rescindendis promul-
gauit, vt qui à Sulla proscripti fuerant, & ciuitatem &
bona sua recuperarent; cui cum catulus colleg. & boni
omnes aduersarentur, Lepidus a Senatu iureiurando
adactus, bellum se patriæ non facturum, in Galliam vl-
teriorem, quam sortitus erat, profectus est, tam quam
exacto consulatu bellum moturus.

1. Primus e patricijs Cornelijs Sulla igni voluit cre- Cic. de
mari: antea enim humari solent: cum autem ipse victor leg. 2.
acerbiore odio C. Marij reliquias ad Anienem sitas dis-
sipari iussisset, timens similem forte casum corpori suo
posse accidere, cremari voluit.

2. Consulatum alterum per vim periturus Lepidus, cùm Etruriam ad arma commouisset, Galliam citeriorem per M. Brutum, eius, qui Cæsarem interfecit, patrem, obtineret, infesta signa patriæ intulit. Post autem cum Cn. Pompeius de M. Bruto à se Mutinæ occiso Senatum certiorem fecisset, magnam metus partem, qua Roma tenebatur, adeo mit: hunc verò motum intra vnam æstatem oppressum fuisse Eutropius testatur.

3. Miluius pons supra Tiberim via Flaminia ab Vrbe plus minus duobus millibus passuum distat in oceasum æstiuum: exstructus est à M. Scauro censore Sullæ tempore, vt Ammianus scribit.

LIBRI QVARTI CAPVT PRIMVM.

Catilina & sociorum ipsius coniurationem exponit, & Ciceronis consulis in ea opprimenda vigilantiam, dehinc Catilinam à C. Antonio consule cum suo exercitu cæsum esse.

COMMENTARIVS.

L. Sergius Catilina patricius, qui triennio etiam antea cùm Cn Pisone coniurauerat, cumque priore anno repetundarum interrogatus, hoc anno ambitus insimulatus, repulsam consulatus tulisset, cum P. Lentulo & C. Cethego prætoribus, atque alijs multis de cæde consulum & Senatus, incendijs Vrbis, & opprimenda Republica coniurauit.

1. Q. Curius flagitijs atq; facinoribus coopertus, quem censores senatu probri gratia mouerant, homo vanæ & futilis linguæ, coniurationis secretæ apud Fuluiam, cum qua ei vetus stupri consuetudo erat, effutiuerat, ea, quæ, & quomodo audiuerat, compluribus narrauit, ipseque Cicero consul Multa pollicendo pellexit, vt Q. Curius consilia coniurationis Catilinariæ ipsi proderet.

2. M. Porcius Læca à Sallustio nominatur, in cuius domo Catilinæ dies exeundi, tum cæteris manendi conditio, tum descriptio totam per Vrbem cædis atque incendiorum constituta est: ipse lege Lutatia, postquam Catilina cum exercitu extra esset, ex indicio L. Vettij equi-

equitis Romani postulatus, de vi publica condemnatus est.

3. 4. P. Cornelius Ser. F. Sulla, & P. Autronius Pætus cum consules in annum Dcxxcvix. designati essent, de ambitu postulati non inierunt, sed in eorum locum facti sunt, L. Aurelius Cotta, & L. Manlius Torquatus, qui eos ambitus damnauerant: ipsi eo dolore animi exasperati cum C. Pisone & Catilina coniurant, & Cottam & Torquatum consules in Capitolio Kal. Ian. parant interficere, sed re per indicium cognita, ipsorum consilium diremtum est. P. Autronius & Seruius huius Sullæ frater, de vi publica condemnati sunt, P. Cornelium Sullam Cicero defendit & Hortensius

5. L. Varguntcius Senator eum C. Cornelio equite constituerant cum armatis hominibus nocte, quæ secuta est postridie Non. Nouemb. salutatum ire Ciceronem, & eum in suo lectulo confodere: sed Cicero per Fuluiam de dolo, qui parabatur, certior factus, non admisit salutatores tam perniciosos. Sunt & isti postea damnati lege Lutatia de vi publica. L. Cassium Longinum Salluſtius inter coniuratos etiam numerat.

6. P. Cornelius Lentulus Sura consularis, consul enim fuerat cum Cn. Aufidio Oreste anno Dclxxxii. & præter iterum, coniurationis per indicia conuictus, in carcerem ex Senatus consulto, quod ex Catonis seueriore sententia factum est, cum Cethego, Statilio, Cæpario, Gabinio coniectus est, atque de ijs supplicium, gula laqueo fracta, in Tulliano sumtum est. P. Lentulus ex libris Sibyllinis dicere solitus erat, Romæ tribus Cornelijs regnum portendi, Cinnam atque Sullam antea, se tertium esse, cuius fatum foret Vrbe potiri. Erat autem hic Lentulus M. Antonij postea triumuiri vitricus: hinc illud odium M. Antonij & Ciceronis enatum esse verisimile est, teste Plutarch in Antonio.

7. VI. Idus Nouemb. Cicero Senatum in Iouis Statoris ædem conuocauit: venit eodem Catilina, eiq; nullus senator assidere voluit; eaque pars subselliorum, ad quam ille accesserat, nuda & inanis relicta est. Tum Cicero consul, siue præsentiam eius timens, siue ira commotus, orationem habuit primam in Catilinam, qua cum ex Vrbe egredi iussit. Catilina nocte intempesta cum trecentis armatis, lictoribus & fascibus, imperij insignibus adhibitis, ex Vrbe in Etruriam Fæsulas, in castra Manliana profectus est. Postridie quàm Catilina profugis-

fugisset, Cicero orationem alteram ad populum habuit, qua gratulatur populo & Reipublicæ, quod Catilina ex Vrbe sit profectus. Senatus Catilinam & Manlium hostes iudicauit. Tertia deinde exponit, quid in Senatu actum sit. Quartam in Senatu Non. Decemb. habuit, in qua Cicero de duabus contrarijs sententijs Cæsaris & Catonis ita disputat, vt non obscure in seueriorem inclinet.

ARGVMENTVM CAP. II. LIB. IV.

Cæsar, Pompeius, Crassus coitione sibi dominationem confirmabant, Crasso à Parthis caso, Pompeij & Cæsaris necessitudine ob Iuliæ mortem abrupta, cùm Cæsar priorem, Pompeius parem non ferret, ciuilibus armis cum totius orbis & Vrbis calamitate socer & gener contendunt. Pompeius in Ægyptum fugiens perfidissimi regis inconstantia interfectus est. Cæsar victis inimicis Rempublicam occupat, & inuidiæ affectati regni, optimatium conspiratione, post triennium in Senatu 23. vulneribus confectus est.

COMMENTARIVS.

M. Marcellus consul Cæsaris inimicus anno decim. ad Senatum retulit, vt Cæsari antequam eius dominatio imperij continuatione confirmaretur, abrogata lege Pompeij & Crassi, successor daretur, vt exercitum dimitteret, & ne eius absentis in petitione consulatus ratio haberetur: sed ser. Sulpitio eius collega, & tribun. pleb. summa ope contra tendentibus, nemo in Marcelli sententiam pedibus iuit. Sequenti deinde anno cum Cæsar veritus ne C. Marcellus consul (qui Marcelli patruelis erat) efficeret, quod ille non potuisset, L. Paulum eius collegam talentis mille quingentis sibi deuinxit, vt ne quid contra se contenderet, sed C. Curionis trib. pleb. obæratissimi operam, antea consilijs suis aduersantem, maiori mercede redemit, qui cum de dimittendo Cæsaris exercitu referretur, ita quidem consensit, si & ceteri quoque ab armis discederent (qua exceptione Pompeium notabat, qui post consulatum secundum in Hispa-

nia

nia bellum per legatos gerebat, atque hoc anno etiam proconsul ad Vrbem erat) atque amici Pompeij, ne in eam sententiam discessio fieret, obsistebant. Quod vero duobus prioribus annis aduersarij Cæsaris obtinere non poterant, hoc L. Lentulo Crure, & C. Marcello coss. anni Dccıv. initio perfectum est. Etenim in sententiam Marcelli Scipionis, qui eam ex ipsius Pompeij ore promere videbatur, S.C. factum est, vt nisi ante certam diem Cæsar exercitum dimitteret, eum aduersus Rempub. facturum videri: intercesserunt M. Antonius & Q. Cassius tribuni plebis; itaq; de imperio Cæsaris & tribun. pleb. intercedentibus, acerbissime instigante Pompeio est decretum. Factum etiam Senatusconsultum ante diem vii. Idus Ianuarias, darent operam coss. prætores trib. pleb. quiq; consulares essent ad Vrbem, ne quid Respub. detrimenti caperet. Tribuni pl. statim seruili habitu ab Vrbe fugiunt, & Cæsarem, qui Rauennæ suis postulatis responsa exspectabat, conueniunt.

1. Q. Metellus Celer consulis Africani collega fuit, Dione teste, & vterque consulatum Pompeij auxilio, cuius legati in Asia fuerant, consecutus est. Q. Metellum Creticum Pompeio inimicum fuisse, quia ornamentum eius triumphi subduxerat, ereptis per tribun. pleb. eius captiuis, supra capit. 7. libr. 3. expositimus eundem hoc anno in Galliam, ob motum Heluetiorum, legatum fuisse missum cum L. Flacco, & Lentulo Clodiani F. Cicero in primo ad Atticum scribit.

2. Cum Cn. Pompeius acta sua à Senatu confirmari vellet, vt quæ in Asia bello Mithradatico singulis regibus ac gentibus dedisset, rata essent, atque ea re L. Lucullum, cui successerat, & M. Catonem aduersarios haberet, patribus offensus, Cæsarem ac Crassum sibi adiunxit. Cæsarem, qui abiecto ex Lusitania triumpho, vt priuati eius ratio in comitijs consularibus haberi posset, sua opera consulem creat. Crassum alijs promissis implet. Ita inter tres ciuitatis principes coitio facta, eaque iureiurãdo firmata est, fore vt nemo nemini Reipub. aduersaretur, atque alius alium gratia, auctoritate, atque omni ope, in ijs quæ petijsset, adiuuaret, eam coitionem Varro historicus vno libro complexus Tricipitinam vocauit. Dio, Appian. Plutarch. Suetonius.

3. Pompeius consul tertium sine collega anno Dccr. postquam defensor esse Reipub cœperat, contendit, vt decem tribu. ple. ad populum ferrent, vt absentis Cæsaris

saris in petendo consulatu ratio haberetur: quo priuilegio cum Pompeius prauitate aliorum, aut æmulatione alienatus, Cæsarem dissimulanter priuaret, Senatumque vt contra Cæsarem atrocius consulerent animasset, & Cæsari nihil pro æquissimis postulatis quam iniquissima responsa darentur: Cæsar populi beneficium, suamq; salutem armis sibi asserendam decreuit.

4. More maiorum præsentes & priuati tantum in Vrbe nomen suum profitebant magistratum: fuisset itaque Cæsari dimittendus exercitus, ipleq, inimicorum suorum ludibrio obnoxius, vt priuatus, coactus fuisset primi consulatus sui & administrati in Gallia imperij reddere rationem. Cato enim & Marcellus, tum Lentulus frequenter, simulatque Cæsar ad Vrbem priuatus rediisset, nomen eius delaturos iactauerant. Quare Cæsar inimicorum decretis, tum verbis Antonij & Cassij trib. pleb. incitatus, exercitum ad suam dignitatem contra inimicos tuendam hortatus, traiecto Rubicone, qui Galliam ab Italia diuidebat, Ariminum, quod extra pro-
Lib. 6. uinciam eius erat, proficiscitur, & quinque cohortibus, quas tunc solas habebat, vt apud Orosium testatur Liuius, orbem terrarum adortus.

5. Confinium oppidum in Pelignis, L. Domitius Aheno barbus, cui Gallia, vt Cæsari succederet, Senatusconsulto, & sine populi iussu decreta erat, xxx. cohortibus tenebat. Pompeius Domitium obsessum vt imparatus contra Cæsaris exercitum, negligere coactus est. Cæsar die septimo oppido, & Domitio, Vibullioque Rufo, & aliquot senatoribus potitus, eos incolumes dimisit, & Hs. sexagies, quod Domitius in publicum depositum adnexaret, vt ipsi redderetur voluit, militesq; eius apud se sacramentum dicere cum iussisset, eos cum Curione in Siciliam misit.

6. Cum Pompeio de casu Domitij nuntiatum esset, Luceria Canusium proficiscitur, inde Brundisium cum xx. cohortibus 8. Kal. Martij venit, quem Cæsar cum legionibus sex magna celeritate, vt eum in Italia opprimeret, consecutus, operibus & munitionibus expugnare contendit. Pompeius consules cum magna exercitus parte, ne quid in Italia noui molirentur, in Epirum, Dyrrachium præmiserat: quos ipse, obstructo & munito prius Brundisio, ne Cæsar eius fugam impediret, xvi. Kalend. April. secutus est. Cæsar postero die oppidum ingressus, & impositis Brundisio custodibus, cum à prosequendo

Pom-

Pompeio nauium inopia tardaretur, ad Vrbem reuertitur, & Senatum populumque R. hoc nouo ciuili bello & fuga Pompeij consternatum, confirmat, seque pacis & otij publici studiosum testatur: sed cùm frustra hoc se agere experiretur, in Hispaniam contra legatos Pompeij proficiscitur.

7. Imperitè Florus Cæsarem, primo in eius in Vrbe aduentu, se consulem fecisse scribit: cùm enim victor ex Hispania reuersus Massiliam venisset, se Dictatorem à M. Æmilio Lepido prætore, qui postea triumuir fuit, dictum esse ex lege lata intellexit; quare ad Vrbem profectus, comitia consularia habuit, seque, quia ex legibus ei propter decennium à primo consulatu exactum, consulem fieri liceret, consulem cum P. Seruilio creat, & intra vndecimum diem sese dictatura abdicauit.

8. Sanctius ærarium intelligit, in quo pecunia Gallici bellici causa seruabatur, cum execrationibus publ. eam motum non iri, nisi Gallicum bellum impenderet: hoc Cæsar frustra obsistente L. Metello trib. pleb. effregit, pecuniamq; abstulit, cauillans populum ea religione iolutum, quia nihil esset quod amplius de Gallis metueretur, quos ipse perdomuisset. Dio, Plutarchus, Lucanus vniuersum ab eo ærarium expilatum scribunt Plinius eum primo introitu in Vrbem xxvi. M. laterum aureorum, & in numerato pondo ccc. M. ex ærario protulisse scribit: illud si lateres aurei librales fuerunt, quinquagies centena & xviii. M. florenorum, istud quinquagies quater centena millia numerauimus. Orosius tamen summam istam lib. vi. multo angustius contrahit. Dio Plutarch. Appianus, Lucan. Lib. 33.

9. Siciliam Cato obtinebat, eo Curionem cum tribus legionibus Cæsar mittit, Cato eius aduentu cognito, ex prouincia fugit, quæstus in concione se projectum ac proditum à Cn. Pompeio, qui omnibus rebus imparatissimus, non necessarium bellum suscepisset, & ad se reliquisque in Senatu interrogatus, omnia sibi ad bellum apta ac parata confirmasset.

10. Valerium legatum Cæsar cum vna legione in Sardiniam misit. Caralitani simulatq; de aduentu Valerij accepissent. M. Cottam proprætorem ex oppido ejiciunt: ille perterritus quod omnem prouinciam consentire intelligeret, ex Sardinia in Africam profugit.

11. Cæsar septem legiones tribus Pompeij legatis ita adscribit: Afranio tres, Petreio duas, Marco quidem Varroni vlteriorem Hispaniam cum duabus legionibus

cessisse

cessisse tuendam, quem Cæsar, cum Afranium & Petreium exercitu exsuisset bello prosecutus est, cumque vna eius legio ad Cæsarem transisset, ipse ab vlteriore itinere intercluſus, se cum legione altera Cæsari dedidit.

12. P. Dolabella Cæsaris legatus à Marco Octauio & L. Scribonio Libone Dalmatia pulsus C. Antonius se Octauio cum quindecim cohortibus dedidit. Reliquam huius rei historiam noster à Lucano poëta libr. 4. mutuatus est.

13. P. Arius Varus, quem Cæsar Auximo profugum, Sulmone captum dimisit incolumem in Africam fugerat, atque ibi occupato Pompeij exercitu imperatorem agebat. Sed à Curione Cæsaris legato profligatus est. Curionis confidentia vsque adeo eo successu confirmata est, vt Iubæ Mauritaniæ regis cum magnis copijs aduentum, temere credens mediocres tantum venire cum Saburra regis præfecto, ausus fuerit excipere: quare ipse à rege circumuentus & occisus est, exercitusque Cæsaris fugatus. Intercedebant autem Iubæ cum Curione priuatæ simultates, quod legem Trib. pl. promulgauerat, qua regnum Iubæ publicauerat. Iuba hostis à Cæsare iudicatur, à Pompeio rex & amicus salutatur.

14. Pridie Nonas Ianuarias à Brundusio Cæsar soluit cum septem legionibus, & postridie in Epirum appulit, Oricum maritimam Chaoniæ vrbem, eiectis Pompeianis, & Appoloniam Taulantiorum, totamque Epiron recipit & dum classiarios Pompeij milites vndique à littoribus arceret, ad summam eos omnium rerum difficultatem coegit; vsque adeo vt Bibulus officio maritimo præfectus: frigore & labore confectus morbo consumeretur. Cæsar interea per internuntios compositionem Pompeio offerre non intermittebat, sed ab illo adulatorum suorum vocibus corrupto, nihil pacati referebatur.

15. Antonius cum tribus veteranis & vna tironum legione, & septingentis equitibus supra Lissum Dalmatiæ Vrbem, frustra hostium classe insequente appulerat: eo Pompeius vt Antonium ex insidijs imparatum opprimeret, cum exercitu magnis itineribus proficiscebatur. Antonius per Græcos de Pompeij insidijs præmonitus, se vno die castris continet, & Cæsarem venientem excipit. Pompeius, cum se persequente Cæsare Dyrrachium recepisset, Cæsarem prælio ita vicit, vt ille, ob rei frumen-

frumentariæ inopiam, castra inde in Thessaliam transferre coactus fuerit. Qua de causa Pompeius à suis imperator salutatus est. Victus Cæsar. Pompeio non instante & vrgente recentem victoriam, negauit eum vincere scire. Cæsar. Sueton. Plutarch.

16. Scæuæ Centurionis scuto ad Cæsarem relato inuenta sunt in eo foramina (vt Cæsar, nisi mendosus est liber, scribit) ccxxx. & in vno castello sagittarum xxx. circiter millia à Pompeianis coniecta fuisse; quatuorq; ex illa vna sextæ legionis cohorte (quæ quatuor Pompeij legiones per aliquot horas sustinuerit) centuriones, ipsumque Scæuam oculos amisisse, ita Suetonius. Cæsar.

17. Crastinus euocatus erat in exercitu Cæsaris, qui superiore anno apud eum primum pilum in legione decima duxerat; hic primum lancea in Pompeianos contorta acies commisit, fortissimeq; omnium post Cæsarem se hoc prœlio gessisse dicitur, eumque præcipuam ad victoriam eius die operam nauasse Cæsar credebat. Euocati vocabantur milites, qui semel emeriti, gratia imperatoris sui sponte iterum militabant.

18. Pompeius suis victoriam sine vulnere, & incruentam tali stratagemate promittebat, quod cum multo equitatu valeret, equites Cæsaris dextrum cornua latere aperto aggressuri essent, & à tergo circumuentam aciem perturbatamque propulsuri. Hoc Cæsar metuens, ex tertia acie sua singulas cohortes detraxit, atque ex his quartam aciem III. M. peditum audaciſſimorum instituit, quem equitatui Pompeij opposuit, monuitque ne ipsius iniussu pugnarent: in ipsorum namque virtute eius diei victoriam constare. Cùm itaque Pompeiani equites à sinistro cornu erumperent, quartæ aciei Cæsar signum dedit, qui tanta celeritate & impetu se in Pompeij equites contulerunt, dumque facies ipsorum infestis hastis petunt, (quod ex Cæsaris iussu ideo faciebant, vt formosos iuuenes deformitatis periculo auerterent) vt nemo eorum consisteret, omnesq; conuersi & fuga incitati altissimos montes peterent.

19. Pompeius maxima clade victus, cum duobus Lentulis consularibus, Sextoque filio, & Cornelia vxore in naues è Mitylena recepta, Ægyptum petebat, memor beneficiorum quæ in patrem eius Ptolemæi, qui tum puer tredecim annorum regnabat, Alexandriæ contulerat, Pompeius in Ægyptum delatus, iussu regis Ptole-

næi, auctoritate Theodoti præceptoris, & Photini, pedissequis Achilla præfecto regio, & L. Septimio militè quondam suo, à quibus nauicula exceptus, antequam in terram exscenderet, occisus est pridie Kalend. Octobr. quo die annos xxxx. de Mithradate & Tigrane triumphauerat: interfectus est annum agens duodesexagesimum pridie natalis sui, teste Paterculo, Cornelia vxor & Sext. Pompeius in Cyprum refugerunt. Cæsar, post diem tertium insecutus, cum ei Theodotus caput Pompeij & annulum eius obtulisset (in quo leo gladium gestans sculptus erat) doluit & illachrymauit. Appianus, Dio, Plutarch. Paterculus, & alij.

20. Cum classis Cæsaris ab hostibus diriperetur, facibus (quibus insignis illa etiam Ptolemæi Philadelphi bibliotheca deflagrauit) eos submouere coactus est. Post commissa ad Pharum peninsulam pugna, cum quandam nauiculam, vt suis opitularetur, conscendisset, ab hostibus oppressus, se è nauicula coniecit, ac per ducentos passus natans, elata læua, ne libelli, quos tenebat, madefierent, paludamentum mordicus trahens, ne spolio potiretur hostis, vix ad suos euasit incolumis: ita Suetonius, Hirtius, Dio, Plutarch. &c.

21. Theodotus Chius præceptor regis, inopia meliorum etiam in consilium vocatus, cum de Pompeio excipiendo ageretur, ostendit non admittendum Pompeium, ne Cæsarem victorem irritarent, aut ne sibi Pompeium vt dominum imponerent, sed occidendum: eo enim officio Cæsaris gratiam posse demereri, aut suorum tranquillitati consuli, quia mortui non morderent: atque ita ex vilissimi mancipij sententia de magni Pompeij capite decretum est. At Theodotus tum quidem occasione temporum supplicium euasit, sed M. Bruti iussu post quadriennium omni cruciatus genere enecatus est. Photinus, cùm eadem in Cæsarem moliri quæ antea in Pompeium crederetur, Cæsaris iussu interemtus est. Ganymedis Arsinoës reginæ præfecti insidijs Achillas est enecatus, ad Ganymedes in eodem, quo & rex ipse Ptolæmeus, prælio cæsus est. Virilia portenta Eunuchos vocat, qui virilitatem sola facie aut vestitu mentiebantur, virilibus exsectis.

22. Pompeius bello Mithradatico Pharnacen (quia patrem Mithradatem in gratiam Romanorum ad mortem coegisse credebatur) Bospori Cimmerij regem constituerat: is obseruata occasione, qua Romani inter se ciui-

ciuilibus armis digladiabantur, patrj recuperandi regni cupidus, Colchida & Armeniam, Cappadociæ & Ponti partem in potestatem redegit. Domitium Caluinum à Cæsare ad eius conatus reprimendos missum profligauit: atque hac victoria ferocior factus, reliquas Ponti partes expugnata Amiso occupauit: hinccum in Bosporum ad sedandos tumultus domesticos rediret, accepto Cæsaris ex Ægypto venientis in se impetu, sibi subsistendum ratus, cum eo ad Zelam ponti vrbem congressus, vno prælio fugatus, cùm in Bosporum profugeret, ab Asandro Bosporani tumultus auctore necatus est. Cæsar Mithradatem Pergamenum, cuius opera in Ægypto fidelissima vsus erat, regem Ponti constituit, quo factum est, vt meritò Cæsar gloriatus sit, se ita cum Pharnace pugnasse, Vt eadem hora venerit, viderit, vicerit.

23. Cæsar Romam ex Oriente reuersus, haud multo post VI. Kal. Ianuarij contra Scipionem & Iubam Mauritaniæ regem, in Africam nauigauit: ibi enim illi post pugnam Pharsalicam partes Pompeianas denuo confirmauerant, Scipioniq; imperium detulerant. Scipio prælijs aliquot & velitationibus secundis contra Cæsarem factus ferocior, collatis ad Thapsum cum Cæsare signis, funditur, profligatur, eiusdemq; castra, itidem Afranij & Iubæ regis eodem impetu, à Cæsare capiuntur.

24. Cæsar cum suos, ne cum impetu & ferocia se hostium telis obijcerent, coërceret, ipsiq; milites ardore pugnæ accenderentur, quidam tubicen iniussu Cæsaris, à militibus coactus, canere cœpit; quo facto ab vniuersis cohortibus signa in hostem inferebantur, ita Oppius.

25. Q. Metellus Scipio Pompeij socer erat, ad quem vt proconsularem (erat enim a genero Pompeio, qui solus consulerat, in quinque reliquos menses subrogatus an. Dcci.) M. Cato, qui prætorius tantum fuerat, omne imperium detulerat, non semel eius vel peruicaciam vel arrogantiam culpatus, quod Cæsarem prælio potius aggrediendum, & rem dubio Marte periclitandam, quam impetum Cæsaris mora & fame frangendum, vt Cato suadebat, putaret. Victus autem cum in nauem se conieciffet, in Hispaniam ad Cn. Pompeium fugam cogitabat: sed tempestate ad Hipponem Regium delatus, a P. Sittij classe circumuentus, honesti morti vocem quoque adiecit: quærentibus enim hostibus Imperatorem, dixit, Imperator bene se habet; atque se percussum in

fluctus intulit. De huius Scipionis prænomine ambiguum esset quid sequereris, quia Appianus vocat Lucium, & Dio L. Asiatici filium, nisi Ciceronis auctoritatem habeas potiorem, qui ad Atticum satis testatur, hunc P. Cornelij Scipionis Naficæ Serapionis filium fuisse, qui anno DCXII. consul fuerat, ex quo genitus hic Scipio, in familiam Metellorum adoptatus, Q. Cæcilius Metellus Scipio appellatus est.

L.6.Epi.1.

26. Cn. Pompeius à militibus Cæsaris, qui ne pœnas ob seditionem darent, metu à Cæsare defecerant, arcessitus in Hispaniam vlteriorem venerat, (cui & Sextus eius frater, Labienus, & Varus post eladem Africanam se coniunxerant) magnum reparauerat exercitum, vsque adeò vt Q. peditus, aut Q. Fabius Maximus, quos legatos antea Cæsar, exercitui præfecerat, iam Pompeij impetum sustinere non possent: quare Cæsar magnis itineribus, cum exercitu spatio XXVII. dierum in Hispaniam venit, obsidente Vllam Cn. Pompeio. Cæsar adducto ad Cordubam, quæ à Sexto Pompeio tenebatur, exercitu, Cn. ab Vlla, quam propè ceperat, auocauit: ipse Attegnam circumuallatam obsedit: eò Pompeius accurrens, equitatum Cæsaris circumuentum propè concidit, Attegua post à Cæsare capta est ante diem XI. Kal. Martias: ipse Imperator appellatus est: deinde Corduba, post Hispalis, postremò Munda pridie Idus Aprilis in potestatem Cæsaris peruenerunt. Is vltimo prælio ad Mundam desperatis rebus etiam de nece cogitasse dicitur: Labienus & Varus in hoc prælio ceciderunt: quod Liberalibus factum scribit Plut. hoc est, ante diem XVI. Kal. Aprilis, quo die ante quadriennium Pompeius primum belli ciuilis causa ab Vrbe profectus fuerat.

Lib.3.

27. Munda, apud quam vltimum prælium à Cæsare gestum est, teste Lucano, distabat à Corduba passuum millia quinque, quantum ex Strabone & Hirtio colligitur: sitè enim Cordubam à Carteia distare CLXX. millia passuum refert: ille Mundam à Carteia millia & quadringenta stadia, quæ colligunt millia passuum CLXXV. differentia itaque inter vtrumque numerum scilicet quinq; millia passuum, spatium quo Munda & Corduba distabant, referret.

28. Cæsarisne ad ætatem, qui ferè nunc Pompeio morienti æqualis, referendum hoc erit, an ad fortunam Cæsaris, qui iam totius Orientis & Africæ victor erat? postquam enim Pompeius de Oriente triumphauerat, vt

nunc

nunc Cæsar, nihil vnquam tanta deinceps gloria & imperatoria laude dignum gesserat, quasi iam consenescentis fortunæ fauore destitutus.

29. Quinctum hunc triumphum Cæsaris numerant tabulæ Capitolinæ & Paterculus, quo deuictis Pompeij liberis ex Hispania mense Octobri reuersus, triumphauit, an. Dccitx. Anno superiori quatuor duxerat triumphos, Gallicum, Alexandrinum, Ponticum, Africanum, in quo etiam Iuba regis filius, is qui historiam scripsit, ductus est.

30. Bis à Cæsare Hispaniam ante hanc de Pompeij liberis victoriam esse subactam obseruaui, semel cum Lusitaniam post vrbanam præturam vicit, coactus triumphum dimittere, vt præsens consulatum peteret anno Dcxciii. Iterum cum Afranium & Petreium legatos Pompeij, itidem Varronem exercitibus exsuisset an. Dcciv.

31. In Floro nostro aut verbum, conseruauit, in contextu prætermissum est, aut diuersus abit ab Hirtio, qui Cæsarem Pompeiæ Fausti Sullæ coniugi eius liberis reliquisq, rebus omnia incolumia concessisse scribit. Faustum Pompeij generum, Afraniumq; dum post cladem Africanam per Mauritaniam in Hispaniam contendunt, cum MD. quos ex fuga collegerant, à P. Sirtio insidijs exceptos captosque, & ab exercitu eius in dissensione quadam occisos, testatur Hirtius, ita vt ab hac inuidia Cæsarem liberet, eiusdemque sententiæ aliquot etiam scriptores fuisse Suetonius in Cæsare testatur. L. tamen Cæsarem cognatum suum, vt semper sibi infestum, iussit occidi, vt Dio scribit. Afranium autem in Hispania initio ciuilis belli incolumen demiserat: nunc ille iterum arma cum contra Cæsarem sumsisset, meritò cæsus videbatur. Faustum Sullam vt Pompeij generum, & hinc vt nouas partes contra se confirmaturum, occidendum putauit. Orosius autem eadem cum Floro refert de Pompeiæ & eius liberorum cæde. Lib. 44.

32. Fastigium quoddam ex Liuio refert Plutarch. Philip. c. (quod ipse ἀκροστόλιον vocat) ædibus Cæsaris, quasi honoris caussa & maiestatis, ex senatus auctoritate impositum fuisse, quod Calpurnia vxor eius per somnium ea nocte, quæ cædem eius præcedebat, collabi, maritumque in gremio suo confodi deflebat, teste Suetonio, & Plutarcho in Cæsare.

33. Lege Antonia Iulius mensis, qui antea Quinctilis erat, dictus est: quia Iulius IV. Idus Quinctileis natus

erat, C. Mario, L. Valerio Flacco coss. anno Dcliij. Cæsar etiam annum correxit, & ad Solis anfractus ex trecentis sexaginta quinque diebus & quadrante dimensus est, eumque Sosigenis, & Mathematicorum, quos in Ægypto cōsuluerat, traditione ita ordinauit: vnde annus iste, quo etiam nunc vtimur, Iulianus dictus est. Annotauit etiam in Fastis orientium & occidentium siderum dies, in quos Cicero acerbe iocatus est; cui quidam postridie Lyram oriri dixissent, nimirum, inquit, ex edicto, tamquam eam quoque parendi necessitatem hominibus Cæsar imposuisset. Plin. Plutarch. alij.

Plutarch. in Cicer.

34. Lupercalibus, hoc est, xvi. Kal. Mart. cum Cæsar pro Rostris in aurea sella sedens, amictus toga purpurea, spectaret Lupercos, Antonius consul vnus e Lupercis ad sellam accessit, & capiti eius diadema lauro circumpositā imposuit, quod Cæsar cum plausu populi reiecit. Lupercalibus multi nobiles adolescentes, & magistratum etiam gerentes, nudi per Vrbem discurrebant, & obuios, quousque per risum iocumq; hirsutis scuticis feriebant: multæ etiam matronæ nobiles de industria ipsis occurrebant, manusq; verberibus tanquam in ludo litterario præbebant, ad facilem partum grauidis, & ad fœcunditatem sterilibus id conducere persuasæ. Plutarchus in Antonio, Cic. in Philip. secunda.

35. M. Brutus & C. Cassius coniurationis istius in Cæsaris perniciem principes, clade Pharsalica ab eo conseruati erant, & nunc honoribus ornati, tamen cum plusquam sexaginta senatoribus conspirauerant in eius viri necem, pro cuius salute paulo ante & ipsi & Senatus se suosque deuouerat, eiusq; vitam se protecturos iurauerat. Atque cum Cæsar Idibus Martijs, quas eius cædi destinauerant, Senatum per Antonium consulem dimittere, nec prodire decreuisset, vel vxoris suæ insomnijs perterritus, vel valetudine imbecilliore tardatus, vel aruspicum obnuntiationibus perculsus, tandem a Decimo Bruto, quo familiarissime vtebatur, persuasus, ne scilicet Senatus dignitatem aliqua superbia offenderet, quincta fere diei hora Progressus est. Cumque ipsi libellus index coniurationis esset oblatus, & adiectum quoque, vt eum mox legeret, pertinere enim ad eius salutem: tamen a Decimo Bruto ita & coniurationis conscius studio est distentus, quod ne legere quidem eum potuerit. Cæsar vero cum in Senatum veniens consedisset, Cimber Tullius, velut profratre exsule deprecaturus,

turus, propiùs acceſſit, eiusq; togam vtraq; manu apprehenſam à collo detraxit, quod ſignum coniuratis erat ipſum inuadendi, Caſca eum primus, vt conuenerat, circa ceruicem, vt Plutarch. vt alij, circa iugulum pugione percutit: Cæſar Caſcæ brachium graphio traiecit, conatusq; proſilire, altero vulnere tardatus eſt: cumque animaduerteret ſe vndique ſtrictis pugionibus inuadi, toga caput inuoluit: & ad Pompeij ſtatuam prolapſus, XXIII. vulneribus confoſſus eſt: perijt anno ætatis ſuæ ſexto & quinquageſimo. Curiam in qua occiſus, obſtrui placuit. Idus Martias Patricidium nominati, & ne vnquam eo die Senatus haberetur. Percuſſorum nemo vltra triennium vixit, violenterque omnes perierunt; pars naufragio, pars prœlio, nonnulli ſemet eodem pugione, (quod de Caſſio ſcribit in Cæſare Plutarchus) quo Cæſarem violauerant, interemerunt.

ARGVMENTVM CAP. III. LIB. IV.

Antonij cupiditas, & regnandi libido, Sexti Pompeij hæreditatis paternæ repetitio. Octauij in Cæſarum familiam adoptio, iterum Rempublicam ciuilibus armis dilaniat, nec per XII. annos tranquillitas data eſt, donec Reſpublica ſub vnius Octauij poteſtatem, qui Auguſtus dictus eſt, conceſſerit.

COMMENTARIVS.

Cùm Cæſaris percuſſores in Capitolium ſe à perpetrato facinore recepiſſent, Cicero ante diem XVI. Kal. Aprilis, (Ciceronem Plutarch, huius coniurationis non fuiſſe conſcium teſtatur) quantum in ipſo fuit, iecit fundamenta pacis, Athenienſium renouauit vetus exemplum, Græcum etiam verbum ἀμνηστίαν vſurpauit, quo dum in cedandis diſcordijs via erat ciuitas illa, atque omnem memoriam diſcordiarum oblitione ſempiterna delendam cenſuit. Habuit & Antonius orationem de concordia, eiusq; paruus filius in Capitolium miſſus, pacis obſes fuit: itaq; percuſſores e Capitolio deſcenderunt. Brutus apud Lepidum, Caſſius apud Antonium, ceteri apud alios cœnarunt. Atque omnia hæc Antonius

callidè simulabat, quousque se suaque præsidijs contra omnem metum munijsset postero enim die cùm Cæsar funere elatus, & M. Antonius oratione funebri ad lamentationem & commiserationem compositâ, per quam gestibus, & cruentata Cæsaris toga, & imagine fœdata sanguine, populum, contra obliuionis decretum, & ad percussorum vltionem, accendebat. Plebs cum facibus è rogo raptis ad domum Bruti Cassiique & aliorum contendebat, atque ægre vi manibus & precibus vicinorum repulsa ab incendio fuit. Erat inter coniuratos deliberatum, an Antonius, quem vt propugnatorem regni Cæsariani oderant, etiam interimendus esset cum Cæsare: sed cùm iudicio Bruti Antonius satis honesta causa occidi non posset, tunc quidem dimissus est.

1. Antonius vt artibus suis Senatum magis deciperet, etsi populum seditiose in percussores Cæsaris irritauerat, ad Senatum tamen retulit de Sexto Pompeio, Magni omnibus desiderari filio, qui tum à Cæsarianis in Bætica oppugnabatur, vt pro paternis bonis in ærarium relatis darentur ei de publico sestertium bis millies; ad hæc decerneretur ei, sicut priùs patri, maris imperium, classisque daretur ad vsus necessarios. Patres mirabundi probauerunt omnia, atque ita Sextus ex Hispania in Siciliam S. C. euocatus est, ex qua postea Cæsari Augusto difficillimum bellum mouit. Appian. Dio, alij.

2. Monarchiam Augusti intelligit, siue merum vnius Principis absolutum imperium: nec enim respublica tot ciuilibus bellis labefactata, ciuibus ob priuata odia bellantibus attrita, & partium studio semper alente discordiam tentata, aliter conquiescere & respirare potuit, quam si ad vnius optimi principis ius, potestatem, atque imperium, quod magistratuum, Senatus ac populi fuerat, transferretur.

3. P. Cornelius Dolabella consul designatus erat, vt Cæsari ad Parthicum bellum profecto succederet: eo occiso, ipse natus annos xxv consulatum inuasit, & in Syriam contendit, quam cum legionibus à Cæsare in Parthicum bellum præmissis, populi suffragijs, & Antonij auxilio obtinuit. & à Pergamo & Smyrna per C. Trebonium, vnum è Cæsaris percussoribus excluſus, noctu reuersus, ex insperato Smyrnam inuadit, & vrbem ex insidijs occupat. Trebonius in cubili suo deprehensus, & omni cruciatu corporis primùm vexatus, trucidatus

est

est eius caput per vias lapidesstratas, milites sibi inuicem pro pila mittentes, per ludibrium & iram ita contriuerant, vt nulla appareret facies ; itaque Trebonius luit primas patricidij in Cæsarem pœnas. Quo facto Dolabella hostis à Senatu iudicatus est, qui cum Cassium nauali prœlio aliquoties vicisset, ad vltimum ipse victus Laodiceam fugit, ibique obsessus, vrbe capta satelliti suo ceruicem feriendam præbuit. Appianus Dio, alij.

ARGVMENTVM CAP. IV.
LIB. IV.

Octauius à Senatu contra Antonium Reipublicæ hostem Imperator declaratus, exercitum Antonij ad Mutinam profligat. Decimum Mutinæ obsessum liberat : vnde & hoc bellum Mutinense à Mutina dictum fuit.

COMMENTARIVS.

C. Octauius qui deinceps imperium Romanum sub nomine Augusti tenuit, cùm Cæsar eius auunculus magnus (enupserat enim Iulia Cæsaris soror in domum Atij Balbi, ex quo Atia nata, vxor Octauij qui pater Augusti fuit) Romæ interficeretur ; Apolloniæ literis & militaribus disciplinis operam dabat : erat enim eo in expeditionem Parthicam à Cæsare præmissus. Factus autem certior de Cæsaris cæde, in Italiam transijt. & Neapolim venit x v. Kal. Maij, fuit etiam ruricum Ciceronc perhonorifice & amice, Romam cum peruenisset, ab Antonio consule superbe exceptus est. Adijt tamen inuidiosam Cæsaris hæreditatem, quamuis id neque Atiæ matri, neque L. Philippo vitrico eius placeret. Adita hæreditate Cæsaris nomen quoque eius tulit, cumque prius C. Octauius nominaretur, deinceps C. Iulius Cæsar Octauianus de more dictus est: quamquam lex Curiata de adoptione eius anno demum sequente in ipsius consulatu perlata fuerit. teste Dione, quod ideo necessarium esse sibi putabat, quia ea lege adoptiui ius habebant ac naturales filij, vt & propinquos & libertos adoptantium assequerentur.

Epi. 10. ff. 14. ad Attic.

Velleius Sueton. Dio.

Lib. 46.

1. Testamentum Cæsaris L. Pisone eius socero postulante, inuito Senatu, ad populum recitatum fuit, ante

Appianus

quam Cæsaris cadauer in foro cremaretur : quod ideo percussoribus maximam inuidiam mouebat, quia populo viritim tricenos sestertios Cæsar legauerat, & hortos circa Tiberim publicauerat ; atque nihil adeo exacerbauit omnium indignationem, quam quod Decimum Brutum proditorem suum in secundis heredibus primum scripserat. Secundi hæredes ideo post primos adscribebant, vt si quid illis primis humanitus accidisset, tunc secundi succederent.

2. Cicero Philippica secunda, cum Antonij scelera percunctationibus exagitat, hoc quoque ei obijcit, quod Cæsaris ex testamento, vt ipse dicebat, filius esset, Appianus etiam, cùm Octauius ita cum Antonio expostulat, idem subindicare videtur: *Et te filium adoptiuum scripsisset, si sciuisset te æquo animo ex Heraclidarum gente transiturum ad Aeneadas*: id enim facit ambigere Cæsarem, dum de successore cogitat.

l. 3. de ciuil. bel.

3. Calpurnia Cæsaris vxor vel mariti cæde perturbata, vel Antonij consulis perculsa minis, pecuniam & acta Cæsaris in eius domum transferri permiserat : at quia acta Cæsaris & consilia nondum publicata, tamen Antonij calliditate Senatusconsulto confirmata erant: ea Antonius in multorum gratiam vel domesticis nundinationibus corrumpebat vel adulterabat, vsus in ea fraude Taberij opera, qui Cæsari à manibus fuerat. Sestertium quoque septies millies depositum à Cæsare ad Opis ædem occupatum erat ab Antonio. Octauium pecuniam eam reposcentem, & vt sibi aduersus auunculi sui percussores adesset, petentem superbe & contumeliose repellebat: quare vt Octauius legatum populo Romano Cæsaris nomine repræsentaret, suum patrimonium, & quidquid ipsi testamento à Cæsare obuenerat, venale proscripsit, legatumque populo persoluit; qua beneficentia plebem ita sibi deuinxit, vt Antonium inuidiosissimum omnibus redderet Octauius sibi & Reipubl. contra eum vires paraturus, deductos a patre in colonias veteranos excitauit. Legiones Martia & Quarta signa ad Octauium transtulerunt, deinde & complures fæuitia M. Antonij, qua passim in castris suis trucidari iusserat quia ei suspecti erant, ad eundem desciuerunt: quo nuntio allato, Antonius mente ita concidit, paludatus in Galliam citeriorem quam à populo obtinuerat, ante diem quartum Kal. Decemb. properaret. Decimus

cimus Brutus, qui prouinciam Galliam primum à Cæsare datam, post interfecto Cæsare, à Senatu confirmatam proc. obtinebat, vt irrumpenti in eam Antonio obsisteret, Mutinæ cum exercitu subsitit; seque ab Antonio ibi circumuallatum obsideri permisit. Dio, Appian. Plutarch. Cicer.

4. Kalend. Ianuarij Hirtio & Pansa coss. an Decx. dum M. Antonius Brutum Mutinæ obsidebat, S C factum est, vt Cæsar Octauianus, qui priuato consilio pro Republica arma contra Antonium sumserat, pro prætore bellum gereret, senator esset, & sententiam loco prætorio diceret, quantamque pecuniam militibus earum legionum, quæ Antonium reliquissent, parta victoria pollicitus esset, tanta publicè daretur, & vt Cæsar vna cum Hirtio & Pansa coss. cum exercitu illo quem haberet, bellum administraret. Antonio hoste à Senatu iudicato, Hirtius ad bellum profectus, eumque paucis post diebus Pansa consecutus est, Cæsar atque Hirtius Bononia in potestatem redacta, propius admotis castris Brutum de suo aduentu atque auxilio certiorem faciunt. Prælijs aliquot secundis ferocior factus Antonius, relictis qui Cæsaris & Hirtij castra oppugnarent, clam in Pansam aduenientem Bononiam versus xvij. Kal. Maij contendit, ac tum prope eo vulnerato pugnauit, audita re, Hirtius redeunti vt victori securius & dissolutius in castra sua Antonio se obtulit, ac fusis eius copijs Pansæ cladem correxit. Ex ea re consules & Cæsar Imperatores à Senatu & militibus appellati sunt, quamuis Pansa male. Cæsar omnino ne pugnasset quidem. Dio, Appian. Cicer. Sueton. alij.

5. Paucis diebus postquam Pansam Antonius, Hirtius Antonium vicisset, ad Mutinam summo prælio pugnatum est, in quo fugatus, & castris atque exercitu exsutus Antonius ad M. Lepidum proconsulem in vlteriorem Galliam cum paucis profugit. Hirtius post victoriam in inimicorum castris saucius obijt: Pansa Bononiæ itidem ex vulnere mortuus est. Bruto & Mutina obsidione liberatis, solus Cæsar incolumis gloriosissima victoria potitus est: atque cum de Decimo Bruto vt patris percussore pœnas sumere potuisset, ipsum incolumem dimisit. Senatus autem omnia in contumeliam Cæsaris, & vt eum quoque deprimerent. Bruto veluti victori contra Antonium, quæ Cæsari tribuenda essent, decreuit. Quare Cæsar tot iniurijs irritatus, cum sentiret

quoque

quoque metu moto, fauere Senatum Pompeianis partibus, seque tali ipsorum voluntate conterendum, nisi obsisteret; adhæc Ciceronem censuisse, quod ipse Cæsar ornandus & tollendus esset, eum aliud diceret, aliud intelligeret, nonnulli se puerum contumeliosè vocassent, caussam optimatium sine cunctatione deseruit. Tũ inter eum & Antonium per comercia epistolarum conditionum facta mentio, cumque effecissent, vt milites inter se iureiurando sancirent, eum nullo exercitu qui Cæsaris fuisset, bellum se gesturos, quadringentos milites Romam ad Senatum misit, qui consulatum sibi nomine exercitus depoſcerent: cum quidem cunctante Senatu, Cornelius Centurio princeps legationis reiecto sagulo ostendens gladij capulum, non dubitasset in curia dicere: *Hic faciet, si non feceritis vos.* Cicero subiecit. *Si ita petieritis consulatum, eum accipiet.* Militibus re infecta ad Octauianum reuersis, Antonium & Lepidum in Italiam accersiuit, atque ipse legiones hostiliter ad Vrbem admouit C. autem Cæsar Octauianus consul statim factus est pridie Natalis sui X. Kal. Octobris, cum postridie viginti annos impleret, cum Q. Pedio collega. Consul legem tulit de quæstione in eos habenda, quorum opera pater occisus esset; perrogauit autem Q. Pedius collega: vnde lex Pedia nominatur; eaq; omnibus, qui Iulium Cæsarem interfecerant, aqua & igni interdixit; postulatique ea lege M. Brutus, C. Cassius, D. Brutus, & alij.

Sueton. Patercul. Brutus Ep. 20. l. II

Sueton. Dio l. 46.

Sueton. Dio, App. Plut. Patere. Liu.

Patere. Sueton.

6. Decimus Brutus cum quatuor veteranis legionibus, & sex tironum, quos contra Antonium ex S. C. ducebat, fame & inopia coactus, statuit ad Brutum & Cassiũ in Macedoniam fugere: legiones tædio & difficultate itineris eius, quod proposuerat, deterrite, sex tironum ad Cæsarem, quatuor veteranæ ad Antonium deficiunt: ipse cum peteret Aquileiam captus, & à Capeno Sequano, qui illi Galliæ parti præerat, iussu Antonij trucidatus est, caputque Antonio missum: ita Decimus Brutus patricidij etiam pœnas Cæsari dedit, sesquianno post Cæsarem peremptum: & paulo post Minucius Basillus etiam percussorum vnus, à suis seruis, quos per iram castrauerat, trucidatus est.

ARGV-

ARGVMENTVM CAP. V.
LIB. IV.

CVm Antonius, Lepidus, Cæsar, se Reipublicæ constituendæ caussa triumuiros in quinquennium renuntiassent, proscriptione ad cædem inimicorum ciuium Respublica conuulsa est laceratáque. Ciceronis caput iussu Antonij præcisum inter duas manus pro rostris positum est.

COMMENTARIVS.

Cum Cæsar consulatum per vim occupasset, omniquo studio moliretur, vt patris percussores vlciscereturr, & ipsius opes, quam vt solus hoc posset, essent infirmiores M. Antonium & Lepidum validissimis copijs instructos sibi fœdere coniunxit Congressus horum trium occultus in triduum fuit in agro, vt Dio, Bononiensi, vt Appianus, Mutinensi, & flumine circumfuso, ibique populi Romani imperium quasi possessionem aliquam inter se partiti sunt: vt Cæsar vtramque Libyam, cum Sicilia, & Sardinia: Lepidus Hispanias, & Galliam Narbonensem: Antonius reliquas haberet Gallias: vt ipsi triumuiri essent Reipublicæ constituendæ cum summo imperio in quinquennium: magistratus nec Senatu, nec populo consulto, quibus ipsi vellent, mandarent: Lepidum in D. Bruti occisi locum in insequentem annum consulem Appian. creant, eumque Romam ac reliquam Italiam tueri iu- de Bel. ci-bent: Antonius & Cæsar bello Cassium & Brutum prose- uil. lib. 4. querentur: proscriptionem ac cædem ciuium inimicorũ ederent, quod illi Vrbem paulo post ingressi, exsecuti sunt. Præmium autem percussoribus proscriptorum ingenuis, quique caput proscripti ad triumuiros referrent, constituerunt cẽtena millia Hs. Seruius dimidium eius, & ius ciuitatis, & totidem indicibus eorum, qui proscriptos celassent, aut protexissent.

1. Maximam contentionem Ciceronis proscriptio præbuit: cum Antonius nullam conditionem accipere t, nisi prius ille interficeretur, Lepidus Antonio assentiretur, & Cæsar vtrique repugnaret; tandem tamen tertio die Cæsar consensit: fuitque permutatio ita facta Ciceronem Cæsar L. Paulum fratrem Lepidus, L. Cæsarem

Cæsarem auunculum suum Antonius proscribi permitteret.

2. Lucium Cæsarem Antonij auunculum proscriptum eius soror Iulia, Antonij mater, non dissimulanter apud se habuit, & centurionibus hanc diu reueritis, vt matrem imperatoris, tandemque irrumpentibus ad eius cædem, mater Antonij ad forum properans, ad eius pedes accidit, vitamque eius deprecata est; Antoniusque plebiscito, per Plancium consulem rogato, vt pœnæ eximeretur, effecit: hoc odium Antonius auunculo suo reposuit, quia hostis ab ipso in Senatu iudicatus erat.

3. L. Paullus Lepidi frater proscriptus centurionibus eum reuerenter vt Imperatoris sui fratrem elabi conuenientibus, securus ad Brutum nauigauit, post cuius obitum se Miletum contulit, vnde ne pace quidem facta, quamuis reuocatus, redire voluit: ita Appianus, etsi Dio hunc Paul. Aimilium postea censorem fuisse an Dccxxxi. cum L. Munatio Planco scribat, tamen in eo deceptus videtur, quia Lepidus censor, L. filius, Marci nepos in Capitolinis tabulis: at Lepidus triumuir, Marci filius, Quincti nepos in ijsdem scribitur, quod facile prodit, istos fratres non fuisse. Lib. 54.

4. Cicero sub aduentum triumuirorum Vrbe cesserat, fugeratque in Tusculanum suum: cognita vero proscriptione, inde transuersis itineribus in Formianum, vt ab Caieta nauim conscensurus proficiscitur: vnde aliquoties in altum prouectus, cum modo venti aduersi retulissent, modo ipse iactationem nauis pati non posset, tædium tandem eum & fugæ & vitæ cepit, regressusque ad superiorem villam, quæ paulo plus mille passibus abest à mari, *Moriar*, inquit, *in patria sæpe seruata*. Cum serui eius etiam prodigijs terrerentur, & percussorum venientium tumore, eum partim vi, partim precibus lecticam exceptum ad mare deferebant: sed Cicero cum percussores ad cædem accurrere sentiret, lecticam deponere, & quod fors iniqua cogeret, quietos pati iussit, prominenti ex lectica, præbentique immotam ceruicem, caput à Popillio Lænate (quem ipse patricidij reum à manifesta morte patrocinio suo eripuerat) præcisum est: nec satis stolidæ crudelitati militum fuit, manus quoque scripsisse aliquid in Antonium exprobrantes præciperunt. Caput & manus Ciceronis ipse Lænas Antonio comitia in foro habenti eminus ostendit, quo ille maxime lætatus, tribunum militum coronauit, & Hs. de-

cies

cies pro maximo præmio dedit. Fuluia vxor Antonij, caput antequam auferretur, in manus sumsit, atque atrocibus verbis illudens & conspuens, genibus suis imposuit, & linguam ex ore extractam, acubus, quibus ad capitis ornamentum vtebatur, compunxit, additis multis ijsque exsecrandis opprobrijs. Iussu autem Antonij pro rostris loco præ alijs conspicuo caput eius positum est, vt vnde in ipsum verba faciens auditus fuerat, ibi caput eius inter duas manus conspiceretur. Sed vix attollentes lacrumis oculos homines intueri trucidata eius membra poterant: cæterorum enim cædes priuatos luctus mouerant, illa vna communem. Cicero occisus est 7. Idus Decembris Dccx. vixit an. Lxiij. menses xi. dies quinque. Cætera apud Fabricium Marcoduranum fidelissimũ Ciceronis vitæ scriptorem leges, & in Sebastiani Corradi Quæstura.

ARGVMENTVM CAP. VI. LIB. IV.

Respublica vtcunque per triumuiros ordinata, M. Antonius & Cæsar Octauianus in Græciam contra Brutum & Cassium proficiscuntur, fit prælium in campis Philippicis, ibi Cassius sibi errore dum suos fugere, qui vicerant, opinatur, caput præcari iubet. Brutus etiam post paucos dies altero prælio victus exorato Stratone vt se gladio confoderet, vitam finiuit.

COMMENTARIVS.

Brutus & Cassius, Asia & Græcia in potestatem suam redactis, in Macedoniam, vt ibi bellum gererent, traiecerunt: nec ita multo post imperator Cæsar & M. Antonius cum ingenti exercitu aduenerunt, atque ad Vrbem Philippos (vnde hoc bellum Philippense dicitur) castra è regione hostium posuerunt, ibi pugnatum est acerrimo prælio, sed vario euentu & dubio Marte; ita vt Bruto Cæsarem, Antonius Cassium (vterque eorum dextrum cornu regebat) pepulerint, & castra vtrimque ab ijs qui vicerunt, expugnata sint. Cassius cum Brutum, quem in acie cecidisse meruebat, cum equitatu redeuntem lõge prospexisset, irrũpentes hostes esse suspicatus, sibi

sibi Pindari liberti sui manu caput præsecari iussit. Post paucos dies M. Brutus altero prœlio victus, rebusq; desperatis vitam & ipse, cum ageret trigesimum septimum annum, finiuit, atque ipsius latus gladio hausit Strato, Bruto exorante, vt hoc sibi extremum officium præstaret. Eodem tempore manus sibi intulerunt principum Romanorum circiter xl. Catonis filius in prœlio cecidit. Q. Hortensius iussu Antonij triumuiri ad fratris sui C. Antonij sepulcrum (quem Brutus opera Hortensij in vltionem Ciceronis interfici iusserat) iugulatus est: quia Antonius cædem fratris sui potius in Hortensij culpam, quam in Bruti mandata referebat.

1. L. Iunius Brutus Tarquinium Superbum regno vt tyrannum expulit, atque eum M. Brutus genus paternum ad eundem referret (multi tamen Cæsaris ex Seruiliæ Catonis sororis adulterio filium potius esse opinabantur) varijs conuictijs & dicterijs, vt qui Cæsarem dominantem degenerans à maioribus suis pateretur, irritatus, impetum sumpsit occidendi Cæsaris, vt libertatem Reipublicæ assereret, conspirantibus Cassio & Decimo Bruto. Cæde perpetrata, cum ipsi quoque vt tyrannicidæ, laudis & gloriæ præmia peterent, cum Cæsaris interempti contumelia, Antonius consul intercessit, metuens, si Cæsar vt tyrannus damnaretur, quod cadauer eius in Tiberim proijceretur, acta eius cum magno Antonij discrimine rescinderentur, & bona publicarentur. Prolato igitur Cæsaris cadauere, & populo, qui ob legatum Cæsaris inescabatur, ad commiserationem cõmoto, Antonius omnia pacis consilia, & istam percussorum spem perturbauit, vti latius à nobis capite tertio præcedenti expositum est.

2. Patricidij vocabulo, auxêsi inuidiosa, pro homicidio vtitur, eo sensu, vt quem ex S. C. Patrem patriæ superiori anno cognominauerant, eundem in Senatu occiderint. Percussores itaque Cæsaris ex vocabuli natione Patricidæ sunt, & cædes eius patricidum propriæ dicetur. Testatus etiam Suetonius placuisse populo, vt Idus Martiæ Patricidium dicerentur: nimirum quia ij patrem patriæ eo die in Senatu occidissent, quos ipse hostes paullo ante seruauerat.

3. Diximus iam capite tertio ἀμνηστίαν Athenienſium exemplo, & consensu etiam Antonij fuisse decretam; sed ab eodem mox abolitam, simulatque amoto metu, securus ad ingenium redire poterat.

4. Cum

4. Cum irritata plebs ad percussorum domos faci- Philip. 3.
bus contendisset, M. Brutus & Cassius Vrbem relique- Epist. 7.
runt & Antium atque Lanuuium profecti, diu ibi otiosi Lib. 16. ad
fuerunt: quia ambitiosum putabant, cum nondum præ- Attic.
tura vrbana defuncti essent, in prouincias (Cassio Suria, Bruto Macedonia à Cæsare decreta erat nauigare. Sextili tamen mense Brutum Italia cessisse, ex Cicerone manifestum est.

5. Philippos vrbē Macedoniæ intelligit, vbi hoc prœlium commissum est: vnde & hoc bellum, vt diximus, Philippense vocatur, cum antea eadem vrbs Dathos diceretur. Arenam translatitiè vocat campos Philippicos, in quibus depugnatum est: quia locus vbi gladiatores committebantur, arena ideo inspergebatur, vt ne ipsi sanguinis sui, dum digladiantur, lubricitate lapsarent. Assuetas cadauerum pabulo volucres ambagibus verborum pro vulturibus dixit, quia vultures præsagio quodam naturali, biduo aut triduo conuolare eo solent, vbi cadauera sunt futura, vt Plinius & Ælianus testantur. Quod ad magnitudinem copiarum attinet; Appianus vtrimque vndeuiginti legiones conficit: adhæc Antonij & Cæsaris equitatum XIII. & Bruti & Cassij XX M.

6. Scribit Plutarchus Brutum minimi somni fuisse, & in animo plane ob ingens quod moliebatur bellum impedito, noctes egisse magna ex parte insomnes. Cum esset postridie copias ex Asia in Europam transportaturus, concubia iam nocte omnibus altissimo silentio sopitis, atque ipso tenui admodum lumine vrente, cogitāti, & curis anxio spectrum quoddam intrare videbatur terrribile, & monstrosa imagine, ausō percunctari, quisnam hominum aut deorum esset, aut quid sibi vellet? respondit imago? Tuus ō Brute malus sum genius, apud Philippos iterum me videbis; tum ille imperterritus, videbo, inquit, Cum Brutus ista Cassio, qui Epicureus erat, de spectro referret, dicebat ille ludibrium esse ex vi imaginatrice conceptum ab eo, cuius sensus curarum æstu fatigati, ita mentem exagitarent, vt tales imaginationes conciperet. Verum idem spectrum, sed mutum, se Bruto in Philippis obtulit, pridie quam vltimo prælio Brutus superaretur.

7. Medicum hunc Artorium vocant Plutarchus & Paterculus. Cæsar ex valetudine imbecilliore in castris suis decumbebat, sed ea medici denunciatione admonitus, in aciem se recepit, quæ res ipsi saluti fuit: nam

hostes lecticam eius vacuam pilis iaculisque confoderunt, assuerantes Bruto, cui gladios cruentatos ostendebant, ipsum quoque Cæsarem à se confectum esse. Antonius fertur primo congressu se subtraxisse, & ad paludes recessisse: sed cum cornu suorum vicisset, iterum in prælium irruisse, ita vt victoriæ laus penes Antonium fuerit.

Plutarch. in Bruto.

8. Dio recitasse Brutum Herculis quoddam dictum refert, tali sensu verborum: *O infelix virtus, itáne, cum nihilquam nomen esses, ego te tanquã rem aliquã exercui, cum tu fortunæ seruieris*: hoc & Altiatus in Emblematis ita expressit:

Lib. 47.

Iam iam strícturus moribunda in pectora ferrum,
Audaci hos Brutus protulit ore sonos!
Infelix virtus & solis prouida verbis,
Fortunam in rebus cur sequeris dominam?

Certe etiam vix reperias, quos aut fortuna pronior obsecuta fuerit, aut velut fatigata maturius iterum deseruerit, quam Cassium & Brutum.

9. Titinnium misit speculatum Cassius, atque eum eũ Bruti equites, vt victores, mutuis amplexibus excipérẽt, ijsque officijs eius reditum remorarentur. Cassius & ipsum ab hostibus interceptum suspicatus, equitesque Bruti, qui gratulabundi cum Titinnio ad se contenderent, esse hostes qui irruerent, opinatus, lacerna caput circumdedit, extentamque cervicem interritus Pindaro (quem ad huiusmodi necessitatem iam à Crassiana clade secum ducebat) præbuit. Decíderat Cassij caput, cùm Titinnus aduenit nuntians Brutum esse victorem, qui cum imperatorem prostratum esse videret, *sequar*, inquit, *eum, quem mea occidit tarditas*, strictoque gladio se confodit. ita Patercul. Plutarch. alij.

10. Brutus & Cassius eo animo in hostem se ituros mutua fide ante prælium receperant, vt aut vincerent, aut à victore sibi deinceps non metuerent: intelligebant enim quòd mortem sibi, nisi Deus ipsorum res secundaret, conscisceret.

ARGV-

ARGVMENTVM CAP. VII.

LIB. IV.

L. Antonius triumuiri Antonij frater cum Fuluia eius vxore bellum Cæsari concitant. L. Antonius Perusia (vnde hoc bellum Perusinum dictum est) se mœnibus includit, & à Cæsare ad deditionem fame compulsus, incolumis dimittitur.

COMMENTARIVS.

L. Antonius consul Fuluiæ consilio vsus, modo apud veteranos Cæsarem criminatus, modo eos qui agros amiserant (quos veteranis in castris Philippicis Cæsar & Antonios promissos dederant) ad arma conciens magnum conflauerat exercitum: ex altera parte Fuluia Antonij triumuiri vxor, nihil muliebre præter corpus gerens, omnia armis tumultuque miscebat, eaque Præneste belli sedem delegerat. Cum vero legatis de pace vtroque missis, nihil proficeretur, Cæsar in Nursinos & Sentinates exercitum duxit. L. Antonius in vrbem hostiliter inuasit, M. Lepido, qui custodiæ vrbis cum exercitu præerat, profligato Cæsar Sentinatibus obsidendis Q. Saluidieno permissis, Romam accurrens, Antonium eiecit, & in Galliam contendentem in itinere intercepit, atque Perusiæ se includentem diu obsedit: tandem aliquoties erumpere conantem, sed repulsum, fame ad deditionem coegit: sed veniam petenti dedit, & bellum prœlio confectum est, Caluino & Pollione coss. Decxiii. Dio, Appian. Sueton. alij.

1. Cum Fuluia intelligeret Antonium Cleopatræ amoribus irretitum captumque, vsa Manij consilio, spectabat eum motu Italico in Italiam à Cleopatra auelli & reuocari posse. Cum ipsa deuicto L. Antonio in Asiam cum prolibus & Iulia Antonij matre ad Antonium nauigaret, Antonius fraude intellecta, eam morbo se Sicyonæ ex zelotypia afflictantem & contabescentem neglexit: ipse cum ducentis nauibus contra Cæsarem in Italiam nauigat, Sipuntum occupat, Brundisium inuadit, & Cæsarem bello lacessit: sed arma mox vtrimque posita sunt, & ex militum intercessione: pax composita, atque Octauia Cæsaris soror Antonio collocata est. Ambo,

DCCXIV. quod alter alteri reconciliatus esset, cum triumphali veste in Vrbem inuecti sunt. Suetonius, Dio, Plutarchus, Fasti Capitolini.

ARGVMENTVM CAP. VIII.

LIB. IV.

SEx. Pompeius cum Siciliam & Sardiniam classibu teneret, latrocinijs commercia impediebat, ita v Romæ fame laboraretur. Cæsar insana tempestate & a liquot naufragijs vexatus, tandem Pompeium profli gat, qui cum Asiam ad rebellandum sollicitaret, à Ti tio Antonij legato Mileti interfectus est.

COMMENTARIVS.

Sex. Pompeius ex S. C. ab Hispania in Italiam reuoca tus est, ipsique ex ærario patrimonium restitutum, & classis commissa erat: sed triumuiris crudeliter domi nantibus, cum vndique proscriptos & quoscunque fu gitiuos reciperet, sine vlla vllius loci possessione in ma ri prædabatur Messana quoque Siciliæ, & deinde tota
DCCXI. insulam occupat. A. Pompeium Bithynicum prætore occidit, Q. Saluidienum Cæsaris legatum nauali præli superat, interea dum bellum à Cæsare & Antonio Cassium & Brutum paratur. Quibus deuictis, cum Pom peius maritimas annonæ subnectiones classe infesta a
DCCXX V. ceret, Romanosque per aliquot annos opprimeret, cur eo postulatam à populo R. pacem Cæsar & Antonius cir ca Misenum fecerunt, ita vt illi Siciliam, Sardiniam, & Achaiam per quinquennium haberet, maria à piratis li beraret, commeatum in Vrbem mitteret. Cum vero Sex tus iterum latrocinijs commercia impediret, nec pacem
DCCXV. ex conditione præstaret, Cæsar necessarium contra eum susceptum bellum, duobusque prœlijs ancipiti admodum
DCCXV. Marte cum eo pugnauit, grauiterque Cæsarem eo tem
DCCXVII. pore fortuna concussit, quippe maiorem partem classi circa Veliam Palinuriique promontorium adorta vis A frici lacerauit. Proximus inde annus in comparand classe consumtus est. Anno demum sequenti vario e uentu naualibus prœlijs pugnatum est, ita vt duarum classium Cæsaris altera, cui Agrippa præerat, vinceret

altera

altera quam Cæsar ducebat, deferetur, expositiq; in terra milites fere à Pompeio oppressi sint. Victus deinde Pompeius Messanam profugit, inde Corcyram, & cum in Cephalleniam nullo prosequente appulisset ad Antonium respicere cœpit.

1. Cum Sex Pompeius ex fuga in Samum insulam delatus esset, & de Antonij clade à Parthis accepta intelligeret, ratus se Antonij imperium ad se facile translaturum, ad auxilia & societatem varios reges & populos sollicitare cœpit: sed cum inter ducem, & supplicem tumultuatur, & nunc dignitatem retinet, nunc vitam precatur, à Titio Antonij legato victus, & Mileti iugulatus est, cum ageret, annum quadragesimum. Cæsar etiam post Pompeij fugam, Lepidum triumuirum, quem ex Africa in auxilium euocauerat, superbientem viginti legionum fiducia, summasque sibi partes terrore ac minis vindicantem spoliauit exercitu, supplicemque, concessa vita, & abrogato triumuiratus honore Circeijs in perpetuum relegauit Suetonius Dio. Paterculus, Appianus, alij. DCCXVIII.

ARGVMENTVM CAP. IX.

LIB. IV.

VEntidius Bassus Antonij legatus Labienum Parthorum imperatorem, Pacorumque regis Orodis filium occidit, & Suriam recipit: atque ea victoria Crassi & Saxa cladem à Parthis acceptam ijsdem reponit.

COMMENTARIVS.

T. Labienus Titi filius à Bruto Cassio missus erat ad Orodem Parthorum regem, vt cum in societatem armorum sollicitaret: sed cum illos ab Antonio & Cæsare deuictos intelligeret, ipse regem impulit, quod in Asiam cum exercitu mitteretur, vsurus & opportunitate temporis, & victoriæ occasione, interea dum Antonius Cleopatræ amoribus dementatus, socordia contabesceret, Cæsar L. Antonij, & Fuluiæ bello & domestico & laborioso distineretur. Irrupit itaque ipse in Suriam cum Pacoro Orodis filio, victoque Decidio Saxa Antonij legato, vniuersam eam prouinciam, & Phœniciam, Ciliciam, & Palæstinam occupat, & Imperator Parthorum

salutatur. M. Antonius tot cladibus ab amore & ebrietate expergefactus, Ventidium Bassum contra Parthos mittit, qui eos, nimia victoriæ fiducia, ferocientes, altero etiam prælio victos, Suria & Tauro monte, Labieno & Phranapate præcipuis Parthorum ducibus occisis, expu-
Dccxiv. lit, & Palestinam recepit. Sequenti deinde anno ingentem Parthorum stragem dedit in agro Cyrestico, Pacoro regis filio occiso, cuius caput, vt manibus Crassi parentaret,
Dcc v. & Suriam in eum propensissimam eius clade ad deditionem compelleret, oppidatim circumferri iussit.

1. Ventidius Bassus bello sociali à Pompeio Strabone, expugnato Asculo, captus erat, & in triumphum ductus: qui obscuro etiam loco natus, victum sordide quærebat comparandis mulis & vehiculis, quibus magistratus, qui prouincias sortiti forent, proficiscerentur. Hic cum Cæsari in Gallia ob diligentiam & industriam probatus esset, ab eodem in amicorum numero receptus, ad tribunatum plebis, prætoram, & consulatum promotus est, primusque de Parthis triumphum duxit, anno Dccxv.

2. Orontes Suriæ fluuius ex Antilibano defluens, iuxta Seleuciam in Suriacum mare defluit. Euphrates fluuius in Armenia maiore ortus, vario aluei flexu inter Mesopotamiam & Suriam delabitur: hinc ab ortu in septentrionem sinuoso alueo sese insinuans, Babyloniam claudit, mox iuxta Apamiam cum Tygri confusus, tandem in sinum Persicum duobus ostijs excurrit. Appian. & Dio in Cirrhestica Suriæ hoc prælio Pacorum à Ventidio superatum scribunt, dum Parthorum audaciam simulato etiam metu vsque adeo accendit, vt castris eius prærupto in loco positis succederent, quos cum subita eruptione inuasisset, eos deturbat, profligat, occidit. Cyrrhestica à Ptolemæo inter flexum Singæ fluuij & Euphratis describitur.

3. Frontinus hoc stratagema libr. 2. ita recitat: *Ventidius aduersus Parthos non ante milites deduxit, quam illi quingentis non amplius passibus abessent, atque ita procursione subita adeo suos admouit, vt sagittas, quibus ex longinquo vsus est, cominus congressus eluderet, quo consilio, quia quandam fiducia etiam speciem ostentauerat, celeriter barbaros debellauit.*

ARGV-

ARGVMENTVM CAP. X. LIB. IV.

M Antonius nulla iusta de caussa in Parthos mouet, mens eius amoribus Cleopatræ adhuc implicita omnia boni imperatoris consilia corrumpit, quippe tempestiuius ad eam reditum accelerans. Quare exercitu eius, dum se turpiter recipere coactus est, variæ clade ad tertiam vsque partem attrito, Parthorumque insultu lacerato, tandem fœda fuga per Armeniam in Suriam reuertitur, & se Cleopatræ amplexibus recreat.

COMMENTARIVS.

Phraates Parthorum rex patrem suum Orodem, aqua intercute laborantem, ex aconito, quod ad perniciem ei miscuerat, casu in salutem conuersum, cum vis morbi per aluum deijceretur vsus sceleris compendio, præfocauit, & regnum patricidio occupatum crudelissimè vexauit; ob quam tyrannidem primathes Parthorum, & Monæses primæ nobilitatis transfugerunt, qui ab Antonio magnificè & liberaliter exceptus erat, reuocatumque à rege suo volentem benigne dimiserat, vt Phraaten spe pacis deceptum impar atiorem inuaderet. Accendebat & Antonij consilia Artuasdes Armeniæ rex, qui belli societatem, vt regem Medorum hostem suum vlciscereturr, offerebat: quo fœdere deceptus Antonius, cum insidiatore versutissimo consilia sua communicabat, eiusq; calliditate in calamitatem trahebatur Armenius enim ipsius exercitum à Zeugmate in Mediam per Montanos flexus, & viarum perplexitatem, ad quingẽta passuum millia, vt æstatem eundo extraheret, circumduxerat, magnaque fraude se prima Antonianorum calamitate, domum abrupta necessitudine cum suo exercitu XVI. M. equitum contulit, quam iniuriam Antonius, temporum necessitati subseruiens, ad tertiam vsque æstatem dissimulauit. Tum Artuasdem arte captum, catenis, ne quid honori regio deesset, aureis vinctum, Alexandriæ in triumphum duxit, regnoque exsuit, eius caput, perditis ad Actium rebus Cleopatra dono regi Medorum misit, vt cum in nouam belli societatem contra

Cæsarem victorē pertraheret Appianus, Dio, Suetonius, Paterculus, Strabo, alij.

1. Araxes Armeniæ maioris fluuius, in monte Abo, cum Euphrate oritur, quorum fontes sex M. passuum distant. Euphrates ab occasu, Araxis ab ortu sunt, qui placido cursu varijsque flexibus defluens, donec inter anfractus cautium impetum collegerit, tum præcipiti pernicitate rapidus, altero alueo cum. Cyro confusus, altero in Caspium mare defluit. Pomp. Mela, Prolem. Strabo lib. duodecimo.

2. Antonius in Mediam properans Oppium Statianum cum duabus legionibus & impedimentis subsequi iubet, ipsis Praaspa (Mediæ regiam) validissimam vrbem & præsidio firmatam frustra oppugnat. Artuasdes Medus, qui cum Parthis auxilio suis accurrerat, ab Antonio in Starianum se conuertit, quem ducem millibus militum opprimit & occidit, capto Polemone Ponti rege, qui suam vitam redimere coactus est. Artuasdes Armenus paulo post, vt desertor se cum suis in regnum recipit. Antonius magna cum ignominia, Phraatorum obsidionem soluere coactus, spe pacis, sed fallacis deceptus est.

3. Antonius post confectam cum Partho pactionem copias suas per eam qua venerat, viam, hoc est, per campos apertos & ariditate squalentes reducturus erat, ita vt eas Parthorum equitatui obijcere videretur. Itaque Mardus qui Parthorum mores longa consuetudine callebat. Antonium admonet, fictam esse illam Phraatis & infidam pacem, vt militem patentibus in campis pellectum, vndique equitatu circumfusum opprimeret, iter se aliud per loca culta & commeatibus abundantia compendiosius ostensurum, & vt fidem faceret, se vinciendum, donec promissa præstitisset, obtulit. Progressus itaque eo duce per triduum erat Antonij exercitus cum admonet Mardus vt contra subitam vim hostium (quam mox futuram vestigijs aliquot se deprehendere indicat) suos expeditos in aciem collocaret: patebat admonitioni Antonius, cum subito emicans Parthus, parata vi Antonianorum profligatus est. Atque sæpius equitatus Parthicus pari clade inter proficiscendum repressus, fatigabantur: quousque quincta die Flauius Gallus impetu temerario in hostem multo cum discrimine irrupit, atque dum carptim laboranti subsidia mittuntur, ea quoque, vt imbecilliora, ab hoste cæsa sunt,

donec

donec Antonius, tota vi cum exercitu procurrens, cæteros manifesto periculo eriperet : cæsa sunt tria millia Romanorum, quinque millia sauciata. Antonius misere se afflictans, saucios circumcursando consolabatur, & vicissim pietas & benevolentia militum Antonij animum confirmabat.

4. Parthi ex præcedentis die victoria ferociores, collecto xl. millium equitatu, contemtius insultabant Romanis vt victis, & ad prædæ paratæ direptionem venientes, sed fortiter ab Antonianis submoti sunt, quousque iterum, vt per decliuitatem quandam tardius degredientes sagittis configerent, vndique circumfunderentur, tum grauis armaturæ milites, receptis in medium velitibus, in sinistro genu subsederunt, elatisque super capita clypeis, se suosq; ab hostium sagittis in clypeorum conuexitatem lubricitate delabentibus, protexerunt.

5. Testitudinem intelligit, quæ ita fit: Impedimentis & leuis armaturæ militibus equitibusq; in medium receptis, grauis armaturæ pedites, qui oblongis & in morem tubi conuexis vtuntur clypeis, vndique extrema claudunt, clypeosq; hostibus obijciunt. Cæteri qui lata gestant scuta in medio conferti, ea supra se & reliquos extollunt, vt densitate ordinum à telis desuper labentibus protegerentur: hinc testudini nomen factum, à tesiæ, qua testudo animal se protegit, similitudine: huius vsus est & in Vrbium oppugnatione, & quando à sagittarijs circumfusus est, vt hoc loco, exercitus.

6. Romani ita testitudine protecti subsidentes, opinionem hosti præbuerant veluti confecti vulneribus concidissent, qui positis arcubus, contos sumserunt, atq; accurrerunt : Romani magno multoque armorum fragore se mutuo cohortati, prosiluerunt, atque primos pilis exceptos confodiunt, & vniuersos in fugam conijciunt.

7. Hoc accidit in traijciendo quodam fluuio, quem limitem prosequendi Romanos Parthi constituerant, sextoque die antequam ad Araxem fluuium peruenirent: tunc enim laudata Romanorum virtute Parthi, octies & decies victi, laxatis arcubus abierunt.

8. Cum Antoniani à frumentatione Parthorum perpetua insultatione arcerentur, tanta fame in castris laboratum est, quod duæ libræ panis triticei ducentis sestertijs venirent, hordeaceus panis pari argenti pon-

dere venderetur. Conuersi itaque ad herbas & radices edendas, inciderunt in quandam herbam, quæ manducata insaniam & mortem adferebat: nam qui eam edissent, saxa moliebantur, lapidesq; mouebant (tanquam magnopere seriam rem agerent) tandem bilem euomentes (quia vino carebant, quod vnicum huic malo remedium erat) moriebantur. Fluuium illum aquam frigidam & pellucidam, sed falsam & venenosam habuisse, nam bibentibus statim tormina ventris ciebat, & sitim exasperabat, scribunt, Plutarch. & Appian.

9. Hoc accidit tumultu militari, trepidatione nocturna per totum exercitum, quod hostes irrupisse putarent, coorto: argentum enim aurumque habentes occiderunt, spoliaueruntque, denique Antonij etiam impedimenta aggressi, pocula & mensas pretiosas diuiserunt, & inter se distribuerunt. Antonius in tanta consternatione quendam stipatorum, nomine Rhamnum, iuramento sibi adstrinxit, vt iussus statim ipsum confoderet, & caput amputaret, ne viuus in hostium potestatem veniret, & ne mortui truncus à reliquorum cadaueribus secerni posset.

ARGVMENTVM CAP. XI. LIB. IV.

ANtonius Cleopatræ amoribus dementatus, ad viliſſimi mancipij obſequia ſe dimittit, & in regem barbarum degenerat. Amoris impotentia & opum licentia victus, Cleopatra Romanum imperium promittit. Ea contumelia irritatus populus Romanus bellum Cleopatræ per Fecialem indicit. Antonius cum Cleopatra totum Orientem contra Cæſarem, Cæſar occidentem contra Antonium armat. Pugnatur prælio nauali ad Actium: fugiens Cleopatra, ſecum in fugam Antonium rapit. Cæſar victor poſt annum in Ægyptum profectus, Antonium aliquot prælijs debellat: ille ſibi manus infert, & Cleopatra ſibi necem aſpidis irritata morſu conſciſcit.

COM-

COMMENTARIVS.

Inimicitiæ inter Antonium & Cæsarem cœperant Autronio & Volcatio Coss. anno Dccxx. eruperunt Domitio & Sosio Coss. Dccxxi. Antonius Cæsarem criminabatur, quod Lepidum triumuiratu exsuisset, quòd militem eius & Sext. Pompeij, quem communem esse oportebat, solus occupasset, atque militis etiam illius, quem in Italia vtrique communi conscripserat, partem repetebat. Cæsar autem Antonio crimini dabat, quod Ægyptum sine sorte obtinebat, & Sex. Pompeium, cui ipse sponte ignouisset, interemerat, & Artualden Armeniæ regem fraude circumuentum, in vincula cum magna populi Romani infamia coniecisset, partemque spoliorum reposcebat. Vitio etiam vertebat Cleopatram pro vxore habitam in sororis suæ contumeliam, & liberos ex ea susceptos esse reges salutatos, in primis quod Cæsarionem Cleopatræ filium ex C. Cæsare nominasset, atq; ad genus Cæsaris traduxisset. Atq, cum neq; in Vrbem venire vellet, neque finito triumuiratus tempore imperium deponere, bellumq; moliretur, quod Vrbi Italiæq; inferret, ingentibus copijs tam naualibus quam terrestribus ob hoc contractis, remissoq; Octauiæ sorori Cæsaris repudio, omnium odia in se accendit. Cæsar in Epirum cum exercitu traiecit, se tertium, & M. Messalla coss. anno Dccxxii. Bellum hoc Actiacum dicitur, quia ad Actium Epiri promontorium iuxta Ambracium sinum gestum sit. de quo Horatius eleganter Ode 37. primi.

1. Leucas insula est, & in ea ciuitas cognomine Neritum, vltra Actium in ortum sita, & Cephalleniæ insulæ oppida: quæ cum olim ceruici trium stadiorum continenti adhæreret, à Corinthijs quorum colonia fuerat, perfosso Isthmo, insula facta est: sic Thucyd. Strabo, Plinius. Istam insulam, (vt Paterculus scribit) in ore & oculis Antonianæ classis, M. Agrippa expugnauit, itidem Patras; in quibus Antonius hiemauerat, & mox Corinthum. Leucate petra est excelsa, è Leucade in mare & Cephalleniam prominens.

2. Ambracia vrbs est Epiri, quæ sinui maximo, cui propinqua est, nomen dedit: huius fauces, quæ quatuor stadia patent (Florus cornua vocat) ab Oriente habent Actium oppidum, & nobile Apollinis Actij templum, ab occasu Nicopolin Augusti monumentum, quod ob

ob victoriam condidit, qua eò loci contra Antonium & Cleopatram potitus est.

Lib. 32. 3. Vt huic loco lucem adferamus aliquam, ea, quæ nos cum Bayfio ex Plinio obseruauimus de remigum ordinibus sic habent: Quinqueremis Caij (de qua Plinius) remigum quadringentorum remis impellebatur. Vtrumque ergo latus nauis ducentos remiges habebant, quos si per quinq; distribuemus (vnde nomen est quinqueremi) quadraginta remiges, singula sedilia occupabunt, & ea sedilia ordines remigum aut remorum dicuntur. Nauibus itaque nomen non erat à remorum, quibus impellebantur, multitudine, sed ab ordinum numero, qui in alterutro latere sedilibus suis distinguebatur: sic nouenis remorum ordinibus dicebantur instructæ naues, quarum tabulati latera in nouem sedilia distributa erant, & singulis ordinibus remigum numerus ex imperatoris iussu imponebatur, vel pro arte gubernatorum, vel scientia remigum, vel mole nauium. Turribus etiam à prora & puppi fuisse Antonij naues instructas, vt in mari velut è muris pugnarent, ex Virgil. libr. 8. & Dione libr. 50. constat.

4. Antonius aliquot prælijs naualibus à Cæsare victus, equitatu eius à Stalitio Tauro fuso fugatoque, ad hæc fidissimi cuiusque amici ad Cæsarem ob odium Cleopatræ defectione, Cleopatra autem aliquot prodigijs consternata, commeatuque ob Cæsaris classem & exercitum intercluso, prælio rem committendam eo consilio censuerunt, vt inter præliandum fuga Antonius & ipsa elaberentur: & hinc velut in rebus deploratis Antonium iussisse, vt vela in naues suas deportarentur, tanquam ad fugam, non ad pugnam se præpararet, Plutarchus scribit. Et hic iterum Antonij consilia Cleopatræ auctoritate sunt corrupta, qui cum fidissimum militem haberet, maluerit nauali pugna, in qua Cæsaris copiæ ob bellum cum Sexto Pompeio gestum exercitatissimæ erant, quàm terrestri, in quo firmissimus erat, decernere. Antonij milites ab Imperatore suo deseri diu fideliter & constanter pugnarunt, & desperata victoria in mortem dimicabant. Cæsar verbis eos mulcebat, clamitans & ostendens Antonium fugisse, quærebat pro quo & cum quo pugnarent? qui ægrè tandem cessere victoriam, & vitam veniamq; Cæsar citius promisit, quàm illis, vt ea precarentur, persuasum est. Canidius, qui terrestribus Antonij copijs præ-

præerat, nocte fuga elapsus, cum suos deseruisset, ipsi se Cæsaris clementiæ permiserunt. Victus est Antonius ad Actium à Cæsare ante diem IV. Nonas Septembris anno Dccxxii. à quo die Cæsaris Octauiani imperium incipit.

5. Cæsar Antonium & Cleopatram victos in Ægyptum fugientes alijs persequendos dedit, ipse in Vrbem ad res vrbanas, ne quis motus grauior nasceretur, ordinandas reuertitur, ac post xxx. dies cum in Græciam ad bellum traiecisset, postero anno ambos Alexandriæ obsedit Antonius in vltima rerum desperatione, vbi pacisci cum Cæsare non potuit, (petebat enim vt sibi priuato Athenis viuere liceret, Cleopatræ filiis regnum Ægypti daretur) falso rumore occisæ Cleopatræ perculsus, se interemit anno ætatis tertio, vel vt alij, sexto & quinquagesimo, Plutarchus, Dio, Suetonius, alij.

6. Cleopatra obstupenda molitione fugam in Oceanum instituebat: namque classem ex Ægyptiaco mari in sinum Arabicum per Isthmum illum, quo Asiæ Ægyptus per xxxvii. M. passuum adhæret, transferre moliebatur, atque ita effugere bellum & seruitutem: sed cùm Arabes aliquot naues incendissent, & Antonius nondum desperaret, ab incepto destitit.

7. Cornelius Gallus Cæsaris legatus Parætonium, est is portus ad viii. M. passuum patens, & oppidum eiusdem nominis in Cyreniaca, occupauerat, eiecto Antonij præsidio. Antonius eò properat, confisus se aut militem corrupturum, aut vi potiturum Parætonio: sed id frustra fuit; namque cum Antonius ad murum accederet, vt milites alloquio ad se pelliceret, tum Cornelius Gallus classicum canere iussit, vt sensum aurium obtunderet, & subita vi erumpens, Antonium profligauit, classemque eius afflixis. Dio lib. 51.

8. Pelusium vrbs est Ægypti, Arabiæ Petreiæ proxima, & ad extremum Nili ab ortu ostium sita, quod ab vrbe vicina Pelusiacum dicitur, illud præsidio firmatum Cleopatra per proditionem Cæsari tradidisse creditur, vt iam tum eius animum officio sibi demeretur.

9. Quo genere mortis Cleopatra sit extincta, admodum est incertum: nullum enim veneni manifesti vestigium in corpore apparuit, duas tantum cicatrices esse repertas, exiles & obscuras, quales aspidis lacessitæ morsu relinqui dicuntur; quibus adductum Cæsarem

expres-

expressam fictamque eius imaginem in triumphum deportasse, cui aspis afflixa adhæreret, scribit Plutarchus, & quod aspidis veneno afflicti, somno in mortem soluuntur. Perijt autem Cleopatra anno ætatis suæ tricesimo nono.

ARGVMENTVM CAP. XII. LIB. IV.

CÆsar Octauianus gentem, quæ cis, intra, vltra Alpes in septemtrionem & ortum, itidem eam, quæ Danubij fontes, & vtramque eius ripam vsque ad ostia eius incolit, edomat Germania iugum impositum, Quintilij Vari & trium legionum excussit. In meridie Lybiam, Marmaricam, & Garamantes subegit: in occasu Hispania citerioris populos, Astures, & Cantabros per quinquennium magnis cum laboribus imperata facere coegit. Secutus deinde totius orbis felicitatem & amplitudinem Augusti, bellis ciuilibus post vicesimum annum finitis, pacatisq; gentibus omnibus, ipse Ianum Geminum post Numam regem tertium clausit.

COMMENTARIVS.

Vt Augustum totius orbis victorem demonstraret, per partes colligit, Geographicam distributionem secutus, & quatuor terræ tractus victoria eius edomitos recenset, qua enim ab Italia orbis in septemtrionem & ortum vergit, Salassos, Iapudes, Noricos, Pannonios, Mysios, Dacos, Thraces, Sarmatas, Europæos deuicit: qua in occasum ipsum, Astures, & Cantabros Hispaniæ populos: qua in meridiem, Africam, Gætuliam, Marmaricam: atque in ortum, Armeniam, Parthiam, Indiam sponte eius imperio cessisse colligit: sed rerum gestarum seriem, etiam temporis ratione neglecta, confundit.

dccxxxiix 1. De Retis & Vindelicis Florum loqui satis constat, qui per Tiberium Drusum fratres, Cæsaris priuignos, vna æstate M. Druso, & L. Pisone Coss. edomiti sunt. Rætia à Vindelica ab ortu Lyco amne, Vindelica à Norico Aeno flumine terminatur. Rætia ab occasu fontibus Danu-

Danubij & Rheni clauditur, vt Vindelicia Lyco: sed vtraque Danubio à septemtrione, à meridie Alpibus Græcis, Pœnis, Ocra in Vindelicis Breuni, in Rætis Suanitæ à Ptol. censentur, Seunones à Strabone inter Sueuos. Istarum gentium vsque adeo immania fuisse in Romanos odia Strabo testatur, vt si quo illorum oppido aut vico potita esset, non solum cædibus grassaretur in impuberes, sed etiam cum vates suos consuluisset de sextu grauidæ, si masculum vtero geri respondissent, ipsam quoque prægnantem conficeret. Vt eam crudelitatem Augustus vlciscereturi, Drusum contra eos misit, qui prælio apud Tridentinas Alpes fusos ab Italia submouit, atque cum in vicinam Galliam incurrissent, Tiberium quoque Drusi fratrem contra eos misit, qui multis vrbium & castellorum expugnationibus, variis quoque prælijs dissipatos aggressi, plurimo eorum cum sanguine perdomuerunt. Ne autem gens populosissima (Noricos etiam eodem tempore debellatos Strabo testatur) bellum denuo moueret, bellicosissimam & robustissimam inde deduxerunt, relicta inualidissima, vt agrum coleret. Feritatem quam mulieribus istarum gentium Florus adscribit in paruulos filios, eam Orosius tribuit furori Cheruscorum, Sueuorum, Sicambrorum, lib. 6. Lib. 4.

2. Illurij, hoc est, Dalmatæ, Liburni, Iapudes, cum finitimos aliquandiu latrocinijs infestarent, nec vectigalia persoluerent, & Cæsare bello, quod contra Sex. Pompeium gerebat, impedito, arma sumserunt. Cæsar vt militem suum laboribus confirmaret, in Iapudes mouit (Iapudes Illurijs adscribunt Ptol. & Strab. nunc Striam vocant) atque eos qui citra montes haud procul à mari habitabant, haud difficulter ad deditionem compulit; qui verò vltra montes, difficillime. Etenim cum Metulum oppidum suo præsidio trium millium communissent, multos sæpe Romanorũ impetus retuderunt, multas machinas incenderunt, & Cæsar à lignea quadam turri in murum per pontem conscendere conatus, ponte ob multitudinem prægrauato collabente, dextro crure & vtroque brachio afflictus est: tamen ille suos confirmauit, & exercitum aduocauit, nihil oppugnationem remittens. Barbari de pace se agere velle simulantes, præsidium in arce acceptum nocte trucidarunt, & ædibus incensis, alij se, alij vxores etiam & liberos occiderunt, vt nihil prædæ inde ad Cæsarem peruenerit, cum etiam

etiam captiui haud ita multo post sibi manus intulissent, Sex. Pompeio, & L. Cornificio coss. anno Dccxviii.

Lib. 94. 3. Pannonicum bellum cœpisse anno Dccxxxiv. M. Vinucio, & M. Agrippa IIII. coss. ex Kalen. Iulij suffectis, Paterculus scribit, quod magnum atroxque & quam vicinum Italiæ imminebat: sed si Dionem sequemur, annis XIV. priùs cœptum est, cum Cæsar domitis lapidibus in eos quoque arma, sed nondum hostilia, conuertisset: verum cùm ab ijs, quando ad Vrbem Sciscam accessisset, afflictus esset, populari eorum agros iussit, & Sciscam à terra fluuijsque Colope & Sano obsedit: sed eorum pertinacia fracta est, cum intellexissent de suorum clade (qui cæsi à Cæsare erant) & se eius elementiæ permiserunt, reliquaque Pannonia pacem accepit: ipse Cæsar, relicto Fufio Gemino, cum parte exercitus Romam redijt Pannonis iterum rebellantibus, Fufius à Sciscia exturbatus est: sed ille prælijs aliquot feliciter gestis, iterum eosdem imperata facere coegit.

Dccxlii. Atque cum Pannonij frequentius rebellassent, & à M. Agrippa repressi, & tandem à Tiberio perdomiti sunt, Q. Ælio Tuberone, & F. Maximo coss. Pannonia duplex est, superior modò Austria, inferior modò Hungaria dicitur.

4. Quinam iste fuerit Vibius, propter Annales Roma-

Lib. 49. norum hic vel incuria maiorum, vel iniuria temporum labefactatos, ambigi potest, & sunt qui Fufium Gemium ex auctoritate Dionis scribendum putent.

5. Gabinium per Dalmatiam ad Iulium Cæsarem quindecim cohortes & mille equites in Macedoniam ducentem, Dalmatæ filius & insidijs impeditum oppressérunt. Eam cladem Cæsar Iulius, Pompeij Magni Bello impeditus, vlcisci non potuit: sed victori Cæsari, vt vltionis occasionem præuerterent, Romam reuerso pacis conditiones obtulerunt, & vectigales facti sunt. Cæsare in Senatu occiso, iterum per decennium pro libertate arma sumunt, & Atinium à Cæsare præfectum expellunt. Ad eos edomandos in Dalmatiam profectus Octauianus, ijsdem insidijs ex siluarum & viarum perplexitate ab ijs tentatus est, sed intelici successu: ipse eos velut indagine captos oppressit, & profligauit, fugaque in Setouiam vrbem delatos obsidione clausit, ibi cum Dalmatarum exercitus in vrbem irrumpere conatur, profligatus est. In eo prælio Cæsar in genu ex lapidis iactu laucius, aliquot diebus decubuit: tandem

tandem Dalmatas imperata facere coëgit datis obsidibus, atque tributum hactenus à Iulij Cæsaris tempore debitum persoluere, anno Dcxx.

6. L. Marcius Censorinus de Macedonia triumphauit, vt est in Capitolinis, anno Dccxiv. quo anno etiam consul fuit cum Caluisio Sabino. nec quidquam præterea de rebus ab eodem gestis inuenire potui. Obseruo autem ab Appiano in Illyrico scriptum esse, Marcium Figulum consulem (fuit is cum L. Cæsare consul anno Dcxxcix) Delminium Dalmatarum vrbem incendio deleuisse. Forsan Florus noster eo respexit, vt scriptum eius est tumultuarium, *detruncauerat* enim, pro *exciderat*, ad tempus præteritum respiciens dixit. estque in eo verbo egregia translatio: vt enim homine capite truncato, sensuum omnium & motuum præsidium auultum est, ita & Dalmatarum populo excilo Delminio regia vrbe, vis omnis ablata. Equidem in Strabone obseruo, Dalminium vrbem, vnde genti nomen est, amplissimam à Nasica, nescio quo, in angustias fuisse redactam. Lib. 7.

7. C. Ainius Pollio consul cum Cn. Domitio fuit anno Dccxiii. & de Parthinis triumphasse legitur anno Dccxiv. Parthini sunt Illurij populi supra Apolloniam & Dyrrachium in Epiro. Asinium de Dalmatis triumphasse Horatis testatur, cum ita cecinit: Strab. lib. 7. lib. 2. Od. 1.

Et consulenti Pollio Curiæ,
Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.

Porphyrion ibidem eum Salona Dalmatiæ vrbe matrima capta triumphasse, & Seruius in expositione Pollionis Vergiliani scribit, Asinium Pollionem ductorem Germanici exercitus, cum post captas Salonas Dalmatiæ vrbem primo meruisset lauream, postea consulatum adeptus esset, eodem anno suscepisse filium, quem à capta ciuitate Saloninum vocauit.

8. M. Licinius Crassus consul fuit cum Cæsare III. anno Dccxxix. ipsum de Thracis & Getis triumphasse Capitolini triumphi testantur, qui in Macedoniam missus Mysios bis deuicit: itidem Bastarnas Scythas, qui Mysiam inuaserant, ac regem eorum Deldonem interfecit: cætera Dio. Mysij superiores cis & vltra Danubium habitabant: inferiores Macedoniæ à Meridie, Danubio à Septemtrione & Dacis finitimi erant.

9. Bulogæses Thrax Bessorum rex (habitant autem illi ad Æmum Thraciæ montem) socijs quibusdam alijs per cæremonias & superstitionem callidam sibi adiunctis, defectione facta, Rhascyporum Cotys filium victum interfecit, & patruum eius Rhymetalcen exercitu exsulē in Thraciæ Chersonesum compulit. Eo motu, & quod Sialetæ Macedoniam populationibus infestarent, excitus L. Piso exercitum duxit in Bessos, cum quibus male pugnauit: sed altero prælio eam cladem magna victoria correxit, eosq; partim expugnationibus, partim acie imperata intra triennium facere coëgit. L. Piso consul fuit cum M. Druso Libone anno Dccxxxvi. Idem Tiberio principe præfecturam Vrbis, compotatione tridui à Tiberio sibi demeruit, vt Plin. auctor est.

Fatercul.

10. Dacia à septemtrione Sarmatia Europæa includitur, meridiem Danubius prætendit, ortum Tyras fluuius, occasum Iazyges Metanastæ claudunt: ea regio partim Transsyluania, VValachia, & Moldauia nunc dicitur. Dacos Getis esse à Ponto in occasum proximos ad Istrum Strabo scribit, essequé populum montanum. Contra quos Cor. Lentulus ab Augusto missus, trés eorū duces cum magnis copijs deleuit: citeriorem ripam præsidijs muniuit, satis victoriarum putans posse illos prohibere. Dacos, scribit Dio, ad Cæsarem legatos ante bellum Actiacum misisse, & cum nihil eorum quæ peterent impetrassent, ad Antonium inclinasse societatem, obq; intestina bella ipsi Antonio nihil vsui fuisse. Sed in eos, cum Sitam regem gentis Dentheletarum in Thracia, oculis captum bello peterent, M. Crassum mouisse, repulsos insecutum, & Segestriam expugnasse inuenio. Nec hactenus huius rei gestæ historia plenior; nec quis fuerit ille ex Lentulorum familia (multi enim hoc tempore Lentuli consulares fuerunt) de quo Florus narrat, mihi satis constare potuit: eadem obliuione apud reliquos qui exstant scriptores, bellum à Lentulo cum Sarmatis gestum, video sepultum esse: C. Lucium cum Rhymetalci regi, populi Rom. socio auxilium ferret, contra Sarmatas bellum gessisse, victosq; vltra Istrum submouisse Dio scribit lib. 54. Sarmatæ modo sunt Moscouitæ, Lituani, Russi, Sarmatas tamen à Tiberio domitos scribit Euseb.

Lib. 7.

Dccxiv.

Dccxlvi.

11. Sicambri, Vsipetes, & Tenchteri Germaniæ gentes, cum quosdam Romanos in suo territorio deprehensos in crucem egissent, Rhenoque transmisso Galliam popu-

populārentur, equitatum Romanum contra se missum per insidias circumuenerunt, & cum fugientibus instarent, vsque ad Lollium Galliæ proconsulem delati, eum quoque profligarunt, amissa quinctæ legionis aquilaquæ clades ipsum quoque Cæsarem ab Vrbe in Galliam extraxit. Cura deinde atque onus belli Germanici delegata est Druso Neroni, qui Cæsaris priuignus, Tiberij frater erat. Dio 54. Paterculus. DCCXXXIIX

12. Iulius Cæsar bis facto super Rhenum ponte in Germaniam traiecit: semel, vt ipse scribit libr. 4. haud longe à Colonia: iterum in Treuirorum finibus, quod libro 6. scribit.

13. Drusum consulem cum Quinctilio Crispino an. Dccxliv. annum agentem triceſimum, ex fractura, equo super crus eius collapso, triceſimo die quàm id accidesat, inter Salam & Rhenum fluuios mortuum esse, ex Epitoma Liuij, Paterculo, & Strabone colligo; & hucusque ab Vrbe condita Liuij, historiam fuisse productam, cuius vel incuria hominum, vel iniuria temporum vix quarta pars, eaque mutila & mendis fœdata superest. Lib. 7. CXLXI.

Dio scribit morbo consumtum, ostentoq; cum populano ab Albim vsque peruenisset, quem traijcere moliebatur, consternatum. Corpus eius à Tiberio Nerone fratre, qui nuntio valetudinis eius euocatus raptim accurrerat, Romam peruectum est, & in Augusti tumulo contitum. Drusum consulem cum filijs Germanicum à Senatu appellatum, ibidem Dio scribit, quod cognomen ei primo Senatus à prouincia imposuerit. Lib. 55.

14. P. Quinctilius Varus consul cum Tiberio Nerone fit anno Dccxl. hunc Suriæ fuisse præfectum Iosephus tatur, adjcit Paterculus eum fuisse pecuniæ vsque eo studiosum, vt Suriam ipse rapinis ditatus pauperem reliquerit, quam ipse pauper diuitem ingressus at. De huius morte Virgilium, vt eam impotentius feerem Horatius Ode XXIV. libri primi consolatur. Augustus vsque adeo ea clade consternatus fuit, vt Suetonius recenset, quòt per continuos aliquot menses, barbà pilloq; summisso, caput interdum foribus illideret, clamitans: *Quinctili Vare redde legiones.* Verum inuentus agere, est in loco denegato ad certam diem prouincialibus ius dicere, quod forum agere, Cicero dicit. *Ausus*, inquit, &c. quare ausum dicit inuentum agere? quia nullo exemplo hoc Varus fecit: imperium enim tantum, hoc est, belli gerendi potesta-

tem; nullam iurisdictionem habebat. Germania enim in prouinciæ formam redacta erat: verùm ante prouinciam ordinatam iurisdictio non mandabatur. Lib. 2.

15. Arminius (quem Hermannum nonnulli scribendum contendunt) Cheruscorum princeps erat, filius Segemeri, qui militarat cum Romanis, & equestri ordine & iure ciuitatis erat donatus, segnitie & socordia Vari vsus est in consilij sui de Germania liberanda occasionem. Ipsum tunc annum egisse vicesimum sextum ex Tacito colligitur, qui eum septem & triginta annos vixæ, duodecimum imperij sui expleuisse scribit; cum dolo propinquorum occideretur Norbano & Flacco coss. an. Dcclxxii.

16. Segestis Cheruscorum regis filiam, nomine Thusneldam, alij desponsam Arminius rapuerat; hinc gener inuisus erat: quare Segestes coniurationis conscius, extremo conuiuio, post quod insidijs Romanos sit adorti, Varo rebellionem & insidias ab Arminio parari indicat; suasitque Varo, vt se & Arminium & cæteros proceres in vinculis haberet: nihil aurum plebem sine ducibus; interim ipsi tempus fore quo de criminationibus suis & de innoxijs cognosceret: sed fatum, quod hominum consilia, cum cladem aliquam struit corrumpit, & mentem & animum Vari socordia & segnitia perstrinxerat. Tacitus lib. 1. Paterc.

17. Video Florum nostrum alios annales secutum, quàm Paterculum, huic sæculo æqualem, aut Tacitum, aut Dionem: qui, vt rem in pauca conferam, ferè ita tradunt, pertractos esse ex insidijs Romanos in Teutoburgensem saltum inter Luppiam & Rhenum, ibiq; paludibus & siluis impeditos, vndiq; insultantibus Germanis, oppressos esse, Varum ab hostibus vulneratum & desperatis rebus mortem sibi consciuisse.

18. Clades Cannensis, qua Annibal ad Cannas Paullum Aimilium magna cum calamitate Populi Romani ex Varronis consulis temeritate ferè obtriuit incidit in diem quartum Nonas Quintileis. Paulli Aimilij casus & Vari satis iniquè comparantur. Paullus enim Varronis stoliditatem sequi coactus cum fortiter pugnasset, ex funda grauiter ictus mori maluit, quàm vt cladi suorum aut temeritatis Varronianæ accusator superesset; Varus & culpam, suæ infelicitatis ex securitate & socordia, quæ frequentissima ad calamitatem sunt initia, sustinet. 16. Mu-

16. Musalanios vocat Ptolemæus μισουλάμιους, Numidisque meridionales collocat verius Africæ solitudines, & sub Audomonte ad Amsagam flumen, Mauritaniæ Cæsarienſis terminum. Tacitus testatur de ea gente ter triumphalia insignia esse acquisita, à tribus Romanorum ducibus, & à P. Dolabella, cæso Tacfarinate hostium duce, eam gentem fuisse deuictam. Lib. 4.

20. Gætulia supra Africam minorem in meridiem extenditur, regio tota montosa ab Atlantico Oceano in Orientem procurrit, & in Septemtrionem nonnihil se versus Syrteis inflectit.

21. Cn. Cornelium Lentulum Cossum, cum L. Calpurnio consulem fuisse anno Dcclii. in Annalibus consulum scribitur, & postea Gætulicum esse appellatum, nimirum à deuictis Gætulis. Tacitus etiam eundem triumphalia de Gætulis insignia accepisse testatur, de huius belli caussa & re gesta altum apud alios silentium est: vt etiam bellorum in Africa tempore Augusti gestorum, quæ tamen post M. Lepidum à Cæsare exercitu & potestate exsutum, cuius prouincia in triumuiratu fuerat, nunquam quieuisse videtur. Statilius enim Taurus à Cæsare in Africam missus, de ea triumphauit anno Dccxix. Iterum L. Autronius proconsul anno Dccxiv. tertium triumphum duxit ex Africa L. Sempronius Atratinus anno Dccxxx. Quartus L. Cornelius Balbus, de Garamantibus Africæ populis triumphauit anno Dccxxxiv. de quibus Plinius, libr. v. Solinus & Strabo scribunt, quod ad Garamantas (habitabat autem vltra Gætulos meridiem versus à fontibus Bagradæ fluminis vsque ad Nubam paludem) iter inexplicabile ante hac fuisset, latronibus gentis eius puteos, qui non altè fodiendi sunt, si locorum notitia adsit, arenis operientibus. Balbus hic Gadibus oriundus, cum patruo L. Cor. iure Balbo iure Quiritium donatus, & primus peregrinorum fuit, qui accessit ad Gloriam triumphalem.

22. Marmarica ab occasu Cyrenaica terminatur, ab ortu Ægypto, à Septemtrione Ægyptiaco mari, à meridie Lybia deserta & Æthiopia; de rebus in ea gestis & ducibus Romanorum nihil apud alios reperi. Lego apud Dionem, Æthiopes, qui supra Ægyptum iunt, duce Candace regina vsque ad Elephantinem populationibus grassatos, sed à C. Petronio repulsos, & Tanapen regiam tum alias vrbes ipsorum occupasse & diruisse. Cum Lib. 41.

Petronius propter arenam & æstum cum suis pedem re-
ferret, præsidium quoddam ipsius iterum ab Æthiopi-
bus expugnatum, ipsoq; reuerso liberatum, & candacen
reginam ad pacis conditiones coactam.

23.24. C. & L. Cæsares erant Augusti nepotes, nati ex M. Agrippa & Iulia eius filia. Caius quidem M. Apuleio & P. Silio coss. anno Dccxxxiii. Lucius verò C. Furnio & C. Silano coss. anno Dccxxvi. Vtrumque Augustus hoc eodem anno adoptauit, teste Dione, teneroso-
que adhuc ad reipublicæ curam admouit, & consu-
les designatos circum prouincias & exercitus dimisit. C. Cæsarem consulem à populo creatum, annos xiv. na-
tum veteres tituli testantur: sed nec tum inisse magi-
stratum puto, neque cum consul iterum esset designa-
tus cum L. Paullo post quinquennium, Lucium Hispa-
niam petentem Massiliæ ex morbo perisse annum fer-
mè ante Caij fratris sui mortem, vt Paterculus scribit,
sed vt Sueton. numerat, intra octodecim menses: verum
Dcclvi. cum triennio post ipsorum obitum Tiberius ab Augu-
sto, Sex. Ælio Cato, C. Sentio Saturnino coss. adoptatus
sit, manifeste colligitur Caium anno V. C. Dcclv. Lu-
cium Dcclii perisse.

25. Augustum contra Astures & Cantabros (qui hodie
Lib. 53. Biscaini sunt) quique nomen Oceano Cantabrico de-
derunt, profectus est, teste Dione, cum nonum consula-
tum ipse cum M. Iunio Silano cepisset anno Dccxxviii.
at Suetonius auctor est Augustum octauum inisse consu-
latum Tarracone, collega T. Statilio Tauro, & ibidem
quoque hunc nonum cepisse cum M. Silano. Oportuit
itaque Augustum in Hispaniam, quam Dio scribit, tem-
pestiuius profectum fuisse, & rem deinceps per legatos
eius gestam esse, cum Orosius hoc bellum per quin-
quennium extendat.

26. Vaccæi mediterranei sunt Hispaniæ Tarraconensis
populi cis Durium flumen, vbi nunc vrbes Palentia,
Vallis Oletana, inter quas olim Segisama, vt Ptolemæus,
aut Segesama, vt ex Polybio Strabo recitat numeratur,
modo Tordesillas dicta Autrigones populi supra Can-
tabros versus Tyrenæum habitabant montosa admodum
& præruptа regione circa Iberi fontes, vbi nunc Biru-
iesca, ceteræque vibes: Sub ijs in meridiem & occasum
Murbogi habitabant (vbi nunc Burgos oppidum situm
est) inter Vaccæos & cantabros. Sintne itaque Mur-
bogi reponendi pro Curgonijs (quorum nomen ob-
scurum

seurum est) eruditi lectoris iudicio permittimus. Nec minus aliena vox est, quæ mox sequitur, *Belgicæ* mihi si coniecturare in tanto Annalium silentio liceat, *Vellica* scribendum putarem, eam namque in Cantabris Ptol. recenset Vindio monte vicinam, quàm modò Victoriam vocant. De Aracillo non habeo nunc quidem quod adferam. Astures fuisse eos, qui nunc in Legionis regno ab Astorga vrbe vtrimque in septemtrionem vsq; ad littora Oceani Cantabrici habitant, loca ex Ptolemæo conferenti satis apertum est. Edulius mons erit, qui vulgo Roncevallus dicitur.

27. Cantabros ex more toxicum, quod ex herba apio simillima componunt, semper, ne quid inuiti patiantur, in promtu habere Strabo quoque testatur. Eosdem morti se etiã pro iis, in quos sunt propensi, deuouere, & immolandos præbere scribit, quo more etiam pro Augusti salute Sextum Pacuuium se deouisse Dio scribit. Itidem bello Cantabrico à matribus filios, ne in hostiũ potestatem viui venirent, interemtos Strabo tradit. Quendam etiam puerulum parentes & fratres suos, cùm vinculis essent adstricti, iussu patris vniuersos gladio confeciſſe: itidem mulierem quandam captiuos necessitudine sibi iunctos trucidasse: aliquot etiam cum captiui ipsi in crucem agerentur, lætitiæ carmina cecinisse, quæ ideo hic referenda putabam, vt intelligatur cum quam efferata gente Augusto bellum fuerit. Lib. 3. Lib. 12.

28. Augustus ex morbo Tarracone decumbens, C. Antistium veterem contra Astures cum exercitu misit, quos ipse locorum difficultate impeditus debellare non potuit. Astures confidebant se præruptis saxis & præpeditis vijs satis munitos, qua socordia decepti C. Antistium contemtius excipiunt, & malè pugnarunt: ipsos profligatos prosequitur Antistius, multa eorum oppida expugnat, gentemq; varijs cladibus fractam imperata facere cogit: ita Dio. Lib. 53.

29. Cum Astures propter Carisij ferociam & superbiam anno DCCXXXII. rebellassent, Cantabros etiam in societatem defectionis traxerunt: C. Furnium Cæsaris legatum, vt hominem belli cum ipsis gerendi ignarum contemnunt, quod ipsis calamitatis initium fuit: nam Furnius coniunctis cum Carisio copijs, acie congredi ausos fundit fugatque. Cantabrorum pars ferocissima, ne, rebus ita perditis, viua in hostium potestatem veniret, veneno, igne, ferro semetipsum & suos confecit.

Astures ab opugnatione oppidi cuiusdam profligati, prælio etiam victi, armis positis perdomiti sunt.

30. M. Vipsanius Agrippa Augusti gener erat, qui contra Cantabros hac de causa rebelles exercitum duxit. Cantabri, qui superioribus bellis capti & sub corona venditi erant, dominos suos singuli interfecerant, domum fuga delapsi, multos ad defectionis societatem pertrahunt: castellis aliquot occupatis & munitis, præsidia Romanorum oppugnant. Contra eos profectus Agrippa militem suum habuit contumaciorem, vel quia vt emeritus iuste missionem flagitabat, vel quia Cantabrorum ferocia, quam expertus esset, torpescebat, quem cum ad obedientiam permouisset, cum hoste ex desperatione & militari etiam scientia acerrime pugnante, parum feliciter congressus est: tandem cum suos ignominia notatos acuisset. Cantabros fere omnes, qui militari ætate essent, concidit, reliquos exarmauit, & ex montibus in plana deduxit, an. Dccxxxv. Triumphum, ipsi huius victoriæ causa à Senatu ex Augusti voluntate decretum, magna cum animi moderatione neglexit.

31 Corona pro signo captiuis venalibus imponebatur, quos iure belli milites cepissent, & idcirco dicebantur sub coronis venire: ita Cælius apud Gellium, hinc Liu. Li. 7. c. 4. frequenter: *Oppidum captum, ciues sub corona venierunt*, & Cæsar: *Omni senatu necato reliquos sub corona vendidit.*

32. T. Carisium, Lanciam, quæ maxima Asturiæ vrbs erat, desertam, post Antistitij victoriam occupasse Dio scribit, multaque alia armis expugnasse. Lanciam quoq; inter Asturiæ vrbes Ptolemæus recensel. Orosius eandem historiam prosequitur lib. 6. Brigæcinorum hoc in tractu meminit quoque Ptolemæus.

33. Augustus hoc bello confecto, emeritos missione donauit, & ijs condere vrbem in Lusitania iussit, de suo nomine Augustam ab ipsorum missione Emeritam cognominatam. Ita etiam in Hispania multæ passim vrbes conditæ sunt ab Augusto nominatæ, vt eas de montibus deducti Astures & Cantabri incolerent, in Asturibus Augusta Asturica, nunc Astorga, in Pelendonibus Augustobriga, quasi dicas Augusti oppidum: (vt enim Germanis Burgum, ita priscа Hispanorum lingua Briga oppidum vocatur.) Sic in Sedetanis Cæsar Augusta (nunc Saragossa) condita est. Vide Plin. Ptol. Strab. Melam, alios.

34. Cur

34. Cur ab alio soleãn quia Indi ab ipso solis ortu, & extremo oriente, venerant in occasum extremum? Augustum namque Tarracone in Hispania, quæ vltima terrarum versus occasum veteribus credebatur, legatio Indica & Scythica cum suæ gentis muneribus adorauit, teste Orosio.

35. Iani Gemini templum ab Augusto tertium fuisse clausum anno Dccliixxx. postquam primum à Numa, iterum post bellum Punicum primum anno DXVIII. pace toto imperio parta, clausum fuisset, constanter omnes testantur Annales. Desunt itaque hic in Flori recensione anni octo & viginti. Dio scribit ab Augusto bis Iani templum fuisse clausum, semel post Actiacam victoriam anno Dccxxviij. iterum postquam ob bellum Cantabricum & Germanicum fuisset reseratum, gentibus ijs deuictis clausum esse anno Dccxxx.

36. Augustum dictatoris nomen nunquam tulisse in Annalibus veterum testatissimum est, vel vt inuidiã nominis deuitaret, vel quia Dictatoria potestas Antonia lege abrogata erat. Dictatur in namque, quam pertinaciter ei populus Romanus anno Dccxxxv. offerebat, tam constanter repulit, vt cum populus eam magna vi etiam offerret, ipse genu nixus, deiecta ab humero toga, nudo pectore deprecatus sit. Paterculus, Sueton. Dio, Fasti Capitolini, alij: nam ipse longè maiorẽ auctoritatem exercebat sub Imperatoris prænomine, & Tribuniciæ potestatis titulo, quem Dictatura perpetua abdicata, ex A. D. V. Kalend. Iulij accepit, sapienterque inuidiam nominis exosi & tyrannici declinauit.

37. Iulius Cæsar Diui filius, ante diem XVI. Kal. Febr. Augustus sententia Munatij Planci à Senatu cæterisque ciuibus dictus est, le septimum & M. Vipsanio Agrippa coss. anno Dccxxvi. vt Censorinus testatur Ouidius tamen primo Fastorum hoc Idibus Ianuarij factũ scribit. Augustus appellatus est, non quod propriam aliquam eo nomine potestatem augeret, sed quod dignitatis ipse decorem illustraret: Augusta enim religiosa loca, & in quibus augurato aliquid contectatur, dicuntur, vel ab augẽdo, vel ab auium gestu: Suetonius, Eutropius, Dio, alij.

FINIS.

Commentariorum in L. Florum per Ioan. Stadium.

INDEX POSTERIOR SINGVLARIVM RERVM A STADIO IN FLORI EPITOMA explicatarum adnotato duplici numero: quorum Latinus versum, Barbaricus paginam indicat.

A

Achia 110
Ad interregnum res redijsse quando dicebatur 21
Ægimurus Insula. xxvi 78
Æmus mons j.105
Æneas in Italiam aduentus, xv. 17
Ærarium quid v.147. *quotuplex Romæ.* *ibid.*
Ager Romanus quid ij.48
Agrigentum ix.73
Alba longa à quo condita, iv.15.j.25
Alexia. xv.141
Algidum oppidum iv.39
Alia ij.iij.46
Allobroges j.122
Ambracia Vrbs. ij.203
Ambitus accusati qui. iv. 154
Anci opera ij.26
Ancile quid vi 23
Andriscus 107
Antiochus Syria Sex 98
Antium xviij.41
Aqua & igni quibus interdicebatur iv.152
Aquila quid ix.88
Araxes fluuius j.116
Areuacces *ib.*
Aricinum nemus xij.40
Ariouistus Rex vij.138
Aristonicus 119
Arminius, Cheruscorum princeps xv.212
Aruspices ij.22
Asculum ij.62
Astures xxix.215
Asylum à Romulo cur apertum xiv.17
Auentinus vnde ita vocatus, & cur pomœrio exclusus viij.16
Augures ij.22
Augusta Eremita xxxiij.216

B

Baia v.52
Baleares insula & indigenæ, Baleares vnde ita dicti 133
Βρυτίσιον iv.62
Brutus, vnde dictus i.33

Bulogases Thrax ix.210
Byrsa, quid Gracis iij.19

C

Caieta iij.51
Calaguris v 86
Camarina xiij.74
Camillus cur exsul vij.47
Campania ij.51
Campus Martius iij.34
Cantabri xxvij.215
Capite censi j.120
Capitolium, vnde dictum vj 32
Capua vnde dicta xv.53
Carrha v.143
Carthago quando condi cœpta vi 110
Caudina Furca xxi.55
Censorum magistratus quando Roma cœpit cum plebe 68
Cephallenia insula j.102
Chaonia iv.97
Charybdis quid ij.72
Chiomara j.103
Ciceronis proscriptio, caussa maxima contentionis j.107
Cilicia j.131
Cimbri iij.123
Cineas Orator xj.xij. & xiij. 59.60
Cisalpini Galli 28
Clades Cannensis xviij.205
Cleopatra mors incerta ix. 203
Collatinus vnde ij.34
Consules vnde dicti 33
Corsinium v.174
Corinthus & eius portus ij. 111
Coriolanus cur exsul 64
Corioli xvij.40
Corniculum vi.39
Cremera ij.iij.46
Crixus v.162
Curia triplex significatio xxij.20
Curiones ij.22
Curulis quid v.28
Cynoscephala v.97
Cyricum xij.129
Cyprus j.134

D

Acia situs x.210
Darius ij.100
Decuma iv.147
Dentatus vnde Curius dictus j.38
Dido v.110
Drepanum xi.74

E

Diti iudices iij.146
Egeria qua ix.24
Patricijs quis primus igni cremari voluit, & cur i. 169
Eubœa vi.97
Euocati qui xvij.177
Euphrates xvj 40

F

Oesula x.40
Falernus viij.52
Fasces, vnde & quid iv.28
Feretrius Iupiter vnde dictus xvij.18
Feria-

Feriales. iiij.23
Ficus ruminalis, cur ita dicta iij.15. *eadem arescens quid portenderit.* ibid.
Fadus qui cum Sabinis percussum xx.18
Fratres aruales ij.22
Fregellæ xiv.40
Furius Camillus, cur exsul. 64

G

Gabij iv.32
Gallia multiplex diuisio j.135
Galli Senones 45
Galli vnde nomina sibi quæsierunt j.135
Gaurus mons viij.52
Gehenna mons xiij.141
Gentius Illyriorum rex 106
Getulia xx.213
Gergobia vx.141
Gessoriacum xv.40
Gigas vnde conflatum Græcis vocabulum viij.57
Gladiatores qui 161

H

Heluetij ij.136
Herculanium xiij.53
Hercynius saltus xiij.40
Hostilij mors incerta 25

I

Iani templum vbi olim vij.24
Insubres j.83
Interregnum quid 21
inter rex quis 22
Iudex quæstionis iij.145. & 146
Iudices qui ibid.
Iudiciorum differentia ib.
Ius ciuitatis quid 149
Iugum qui olim fiebat xxij. 41
Iugurtha 120

L

Latinorum regnum v.15
Leges quid vij.155
Legio quid Romanis & quot militum millibus constet xxij.19.20
Legiones linteatæ xviij 54.
sacratæ ib.
Legitimæ rogationes vij.155
Leucas insula j.203
Lex Valeria de prouocatione viij.34
Lilybæum x.73
Lipara v.ib.
Luceres, tribus, vnde xxij.19
Lustrum quid j.30
Lisimachia iv.101

M

Macellū quid iv.146
Mœander v.101
Massicus viij.52
Magister equitum j 38
Maiestatis reus quis iij.146
Marmarica xxij.213
Messana j.71
Militiæ Romanorum ius xiij. 89
Miluius pons iij.170
Mirmillones ix.163
Misse-

Missenus iv.52
Mithradates rex 126
Mons Algidus iv.39
Mulieres liberæ xx.18
Munda xxvij.180
Muneratores & munerarij qui vj
Municipalia prodigia j.157
Municipiorum duplex genus 158
Mussalanij xix.113
Myoparan quid iij.131

N

Nabis tyrannus vij 97
Nauibus bellicis vnde nomen iij.204
Nemea viij 98
Nonæ Caprotinæ, quis dies xxiv.21
Numæ annus v.23

O

Oriculum iij.32
Olympus ij.131
Opima spolia quæ xvij 18
Orontes fluuius ij 198
Ostia condita, & colonia iv. 27
Ouatio quid iij.161

P

Pacis conditiones cum Porsena factæ iij.37
Pacis leges Antiocho datæ vj. 101
Palatium & Palatinus mõs vnde ix.16
Palladium, quid vi.23
Pallantium ix.16
Panormus xij 74
Paratonium, portus, vij 205
Parricidij accusatus quis iij. 145.146
Patres Romæ qui, & cur ita dicti xxiij.20
Pater Patratus iv.23
Patricidium xxxv.181.ij.192
Patricij qui xxij.20
Peculatus quis accusatus iij. 145
Pelusium viij.205
Perses Philippi F. 104
Phaselus ij.131
Philippus Macedoniæ Rex 95
Phraates Parthorũ Rex 199
Picentes j.62
Pilum quid & quibus proprium iij.97
Piræus Atheniẽsium vij.127
Plebis secessio prima cur 64. *cur secunda* 65
Plebiscita quid vij.155
Polyxenidas Rhodius iv.101
Pomœrium quod xi.35
Pompeij Vrbs xiij.53
Pontificum cura quæ i.22
Poplicola, vnde dictus vi.34
Populi fuga, qui dies, xxiv. 21
Portoria quæ iv.146
Præmium quod percussoribus proscriptorum 189
Præneste ix.39
Prætura plebeia 68
Proletarij qui j.120

Putare

Putare quid probis auctoribus iij.12
Puteoli xij.53
Pirenæi montes. xxij.92

Q

QVamdiu regnatũ Roma v.12
Quæstores iij.146

R

RAmnensis tribus vnde xxij.19
Recuperatores iij.14
Remi incerta mors xiij.17
Retiarij ix.163
Roma quando condi cœpta xi.16
Remus à ruma, post Romulus ij.15
Rostra iij.148

S

SAbini, quasi Seuini dicti ij.9
Sacerdotes Latinis qui iv.23
eorum diuersa nomina & officia, ibid.
Salij Palatini iij.25
Sallentini vbi olim incoluerint iij.62
Samnites vnde dicti xix.54
Samothrace iij.106
Satricum v.39
Scæua Centurionis scutam xvi.77
Scordisci i.124
Scriptura quid iv.146
Scylla quid ij.72
Segestes, Cheruscorum rex xvi.212
Sicilia insula iij.72
Silua Algida iv.39
Sora, oppidum iij.*ib.*
Spartacus vij.162
Stator Iupiter vnde dictus xix.18. *stipendium de publico quando primum peditibus datum, & quando equiti Romano* ij.43
Submittere populo fasces, qui magistratus dicitur iv.28
Suessa pometia v.32
Superbus Priscine regis filius fuerit an nepos i.28
Suphes quid Carthaginiensibus iij.100
Syphax rex xxv.94

T

TAphra xi.40
Tarienses tribus vnde xxij.19
Testamenta militaria viij.139
Testudo, quid apud milites, & quomodo fieri soluta v.201
Testudinis significatio ix.139
Teuta i.85
Thermopyla xv.74
Thuanelda Segestis filia xvi.12
Tiberina insula Romæ vnde nata iij.34
Tibur viij.39
Tigris xvi.40
Tribuni qui xxij.19
Tribus vocabulis triplex significa-

gnificatio xxij.19. *eius e-tymo.* ibid.
Tributum triplex apud Romanos xiv.89
Triumphus quid vi.29
Triumuiri agres diuid. v. 149
Tropæa quid ij.122
Tumultus quid j.160

V

Vaccæi ij.114. & 214
Væ victis prouerbium vi.46
Vectigal quid iv.146
Vectigalium differentia 147
Veij 43
Venetia ij.123
Verutum pili genus iij.163
Vesuuius mons xi.52
Vicesima iv.146
Villa publica xiij,167
Vinum, Gauranum Faustianum, Talernum viij.52
Viriathus iv.115
Velones, qui dicti xviij.90
Vsucapio vsurpatioque quid vi.147
Vultures in auspicijs cur obseruati x. 16.
cadauerum sequaces xij.17

X

Xerxes j.99

Z

Zeugma i.143

FINIS.





KSIĘGOZBIÓR
MARCINA ZAMOYSKIEGO
1412 -KZ

1412-KZ